
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

DA BOX

No 95.



M. Tuscher fecit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

In

Canonicam & Catholicam

JACOBI

Epiſtolam Commentarius:

In qvo

I. Textus Græci verba diligenter premuntur & expenduntur.

II. Membrorum nexus clarè oſtenditur.

III. Diſſentientium interpretum ſententiæ afferuntur & æſtimantur.

IV. Strabæ adverſariorum expoſitiones & corruptelæ confutantur.

V. Doctrinæ, ſervituræ his, qvi conciones ad populum habebunt, ſingulis verſibus ſubjunguntur.

AUTORE

CASPARO ERASMO BROCHMAND, D.
Selandiæ Epiſcopo.

HAFNIÆ,

Typis MELCHIORIS MARTZAN, Typographi.

Sumptibus JOACHIMI MOLTKENII, Bibliopolæ.

ANNO, M. DC. XLI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Viri reverendi, religioſiſſimi, Doctiſsimi, univerſæ Selandiæ PRÆPOSITI digniſſimi, fratres in CHRISTO JESU conjunctiſsimi:

HUnc in D. JACOBI Epiſtolam Commentarium cur vobis inſcribam, cauſas habeo, nec paucas, nec leves. Omnes ac ſingulas haud promam; præcipuas tantũ afferam & ſtrictim ſignabo.

PRIMA eſt; ut vos animem & accendam hujus Epiſtolæ lectione, ad gratias Deo noſtro devotè agendas. Nec enim vel veſtibulum divini hujus ſcripti luſtrare animo poteſtis, quin ſtatim ſine monitore animadvertatis, quantum Deo debeatis. Inſcribit namq; D. JACOBUS Epiſtolam ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ. Quæ verba, etiam fugiente oculo inſpecta, vos veſtri commonent officii. Ecquis enim veſtrûm eſt, qui quando feriò & ſanctè ad animũ ſumit, quomodo vicina regna bello hodiè ardeant; religio jaceat; veræ religionis cõfeſſores, in triſte exilium pulſi, fame contabeſcant; nos verò, qui hæc regna incolimus, & verâ religione fruamur, & aureâ pace gaudeamus, & omni bonorum genere abundemus: ultrò nõ fateatur, indigniſsimos eſſe nos tanta Dei bonitate, ſi peccata quotidiè non defleamus, Jeſum omnibus rebus non præferamus, benignitatem Dei non æſtimemus, vitam indies in melius non mutemus, & nos totos Deo non ſacremus.

SECUNDA eſt; ut in mentem ac memoriam vobis revocem, eo eſſe homines, hoc ævo Chriſtianam profeſſos religionem, animo & ingenio, quo fuerũt illo tempore, quo D. JACOBUS huic Epiſtolæ conſcribendæ manum admovit. Qui enim ſcriptum Jacobæum vel aliud agens legit, non ſine acerbo dolore animadvertit, glo-

rio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

rioſè quidem jactaſſe iſtius ſeculi homines fidem, ſed vitam interim vixiſſe, profeſsioni fidei Chriſtianæ extremè adverſam. Eodem animo, iisdem moribus eſſe plerosq;, qui hodie vivunt, Chriſtianos, nemo ullo jure negare poterit. Nam ne unus quidem nominari poterit, qui non fervidè contendat, ſe ex animo credere in Jeſum, mortuum, reſuſcitatum, in cœlos glorioſè evectum, ad judicandum vivos & mortuos tandem rediturum. Sed quotusquisq; horum eſt, qui re ac facto teſtetur, quod hæc, & verè dicat, & ſeriò credat? Dicite, an fieri poſſit, ut in JESUM, pro peccato mortuum, verè creeat, qui peccato quotidiè non moritur? in JESUM, è mortuis excitatum, immotâ cordis fiduciâ certò recumbat, qui, virtute reſuſcitati Chriſti, è morte peccati non reſurgit, nec in vitæ novitate proficit? fidem Chriſti, in cœlos glorioſè evecti, verè jactet, qui, terrenis curis ac cupiditatibus emancipatus, τὰ ἄνω οὐ ζητεῖ, οὗ ὁ χριστός ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ καθήμενος? Dicite deniq;, an in Chriſtum, virorum & mortuorum judicem, ſeriò credat, qui ita vivit, ac ſi nullius facti, etiam maximè enormis, nedum cujusvis verbi otioſi, in cenſorio illo & extremo die reddenda ſit ratio? Qui itaq; non videt, nimis multos hoc ſeculo eſſe, qui fide falsò inſoleſcant, pauciſſimos autem inveniri, qui verè fideles ſint: aut mores hominum non novit; aut tantas in oculis habet lemas, quantæ ſunt cucurbitæ; aut in re nimis ſeriâ ac ſanctâ joculariter ludit. Noſtis, qui curæ animarum præeſtis, raros eſſe, qui caritatis officiis, qui vitæ ſanctimoniâ, clarè commonſtrent, quod hoc D. JACOBI monitum habeant ſibi quàm commendatiſſimum: Τὶ τὸ ὄφελος, ἀδελφοί μου, ἔαν πίστιν λέγῃ τις ἔχειν, ἔργα δὲ μὴ ἔχῃ; μὴ δύναται ἡ πίστις σῶσαι αὐτὸν; Intelligitis dubio procul, *Viri reliquoſiſſimi*, quæ & mihi & vobis incum-

Rom. 6. v. 1. 2. 3. ſeq.

Coloſ. 3. v. 1.

Matth. 12. v. 36.

cumbat neceſſitas, ut Jacobæum in docendo ductum ſequamur. Monendi ſunt ſeriò & ſeverè homines, quòd umbrâ fidei ſe oblectent, quando ſe totos in carnales cupiditates demergunt, & interim fide Jesu Chriſti audaculè triumphant. Monſtrum hoc, & *Chriſtus*, & *Paulus*, & *Jacobus* oppugnavit, nondum expug-
Matth. 7. v. 21. natum. *Chriſti* vox eſt: *Non quicunq; dixerit mihi, Domine Domine, introibit in regnum cœlorum, ſed qui fecerit quod vult Pater meus, qui eſt in cœlis.* Pauli monitio eſt:
Rom. 6. v. 16. *Peccabimus, quòd non ſimus ſub lege, ſed ſub Gratiâ! Abſit. An neſcitis, quòd cui vos ſiſtitis ſervos ad obediendū, ejus ſervi eſtis cui auſcultatis, ſive peccati ad mortem, ſive obedientiæ ad juſtitiam? Jacobæum* tonitru eſt: *Homo vane, fides, quæ eſt abſq; operibus, mortua eſt.* Hoc itaq; agamus, *Viri Reverendi & religioſiſſimi*, à *Chriſto*, à *Paulo*, à *Jacobo* manuducti, ut homines, noſtræ inſtitutioni commiſſi, æterno animarum bono diſcāt, quòd ea demùm fides ſit vera ac viva fides, quæ optatorum juſtitiæ fructuum quàm feraciſſima eſt.

Tertia Cauſa, eaq; non poſtrema, quæ ſuadet ut hunc in Epiſtolam Jacobæam commentarium vobis inſcribam, eſt hæc: ne ſcilicet poſteritas neſciat, quæ in noſtris Eccleſiis tradita ac auditoribus inſtillata ſit doctrina. *Fidem* ita prædicamus, ut exercitio bonorum operum ferventiori ne tantillum præjudicemus: & *opera bona* ita extollimus, ut fidei ſuus conſtet honos & illibata integritas. Nam veluti Paulina effata quàm maximè probamus: *Ex operibus Legis nulla caro juſtifi-*
Rom. 3. v. 20. 21. *cabitur in conſpectu Dei: per legem enim agnitio peccati. Nunc verò abſq; lege juſtitia Dei manifeſta facta eſt, comprobata teſtimonio legis & Prophetarum: Juſtitia Dei per*
Rom. 11. v. 6. *fidem Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt. Si per gratiam, non jam ex operibus: alioquin gratia non eſt gratia.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

tia. Sin ex operibus, jam non ex gratiâ: alioquin opus jam
non eſt opus. Ita non minus æſtimamus hæc D. *Jacobi*
monita: *Quæ utilitas, fratres mei, ſi quis dicat fidem ha-* Jac. 2.
bere ſe, opera verò non habeat? Num poteſt fides illa eum v. 14.
ſervare? Quod ſi frater aut ſoror nudi fuerint, & deſti- v. 15.
tuti quotidiano victu: Dicat autem ei aliquis veſtrum: v. 16.
Abite cum pace, caleſcite & ſaturamini: non tamen dede-
ritis eis quæ ſunt apta corpori, quæ erit utilitas? Ita quoq; v. 17.
fides, ſi opera non habeat, mortua eſt per ſe. Hoc agi-
mus univerſo conatu, hic doctrinæ, quam in Eccleſiis
noſtris urgemus, ſcopus eſt; ne aut gratia divina ita
commendetur, ut carnalis ſecuritas animis homi-
num ingeneretur; aut opera bona ita extollantur, ut in
gratiam & gloriam Dei, in ſanguinem Jeſu Chriſti, pe-
riculoſè peccetur. Ingeneraremus certè hominibus
pudendam ſecuritatem, ſi talem probaremus, prædi-
caremus fidem, quæ nudâ Dei & Chriſti cognitione
abſolveretur, ab omni ſanctorum operum ſtudio ab-
juncta. Talia qui ſibi ſomnia fingunt, audient tan-
dem, & quidem æterno ſuo damno & dolore: *Nun-* Matth. 7.
quam novi vos: abſcedite à me, qui operam datis iniquitati. v. 23.
Opera verò ſancta licet amemus, æſtimemus, abſit ta-
men à nobis, tantum ipſis pretium ponamus, ut in a-
ctum juſtificationis noſtri coram Deo admittamus.
Hoc enim ſi faceremus, in gloriam Dei graviter delin-
querêmus. Hæc enim ſunt Spiritus S. verba: *Si Abra-* Rom. 4.
ham ex operibus juſtificatus eſt, ἔχει καύχημα. In pretium v. 2.
etiam immenſum ſanguinis Chriſti periculoſiſsimè
impingeremus, ſi operibus noſtris in actu divinæ juſti-
ficationis, ubi de vitâ æternâ obtinendâ, & condemna-
tione æternâ declinandâ agitur, vel tantillum tribue-
remus. Nota ſunt hæc D. *Pauli* effata: Κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ Gal. 5.
Χριστοῦ, οἵτινες ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε. *Non operanti, credenti au-* v. 4.

tem

Rom. 4. *tem in eum, qui juſtificat impium, fides ejus imputatur in ju-*
v. 5. *ſtitiam. Beatus eſt, cui Deus imputat juſtitiam ſine operibus.*
v. 6. *Sanguis Jeſu emundat nos ab omni peccato. Qui non novit*
1. Joh. 1. v. 7. *peccatũ, hunc fecit Deus peccatũ, ut nos in ipſo eſſemus juſti-*
2. Cor. 5. *tia Dei.* Vim deniq; inferremus divinæ gratiæ, ſi ullas
v. 21. in juſtificationis opere relinqueremus noſtris operi-
bus partes. Eccui enim non ſunt nota hæc Dei noſtri
Eph. 2. monita? *Gratiâ ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis:*
v. 8. 9. *Dei enim donum eſt: Non ex operibus, ne quis glorietur.*
Rom 11 *Quod ſi per gratiam, non jam ex operibus: alioquin gratia*
v. 6. *non eſt gratia.* Urgemus quidem juſtitiam operum, &
Joh. 15 v. 1. 2. ſeq. hanc adeò neceſſariam eſſe contendimus, ut qui non
Luc. 1. eſt ferax optatorum juſtitiæ fructuum, & in omnibus
v. 6. mandatis Dei non incedit, & ſecundum Spiritum non
Rom. 8. ambulat, nec in Chriſto ſit, nec veram fidem habeat:
v. 1. Sed unà addimus, & pari conſtantiâ docemus, quòd
hæc operum juſtitia haud ſit ea juſtitia, quâ coram tri-
bunali Dei comparebimus tuti ac intrepidi, ut audia-
mus judiciariam ſententiam de vita æternâ certò obti-
nendâ. Noſtra enim juſtitia languidior eſt & impuri-
or, quàm ut cenſuram judicii divini ſuſtinere poſsit.
Rom. 4. *Abrahamo* certè, in medio pietatis curſu jam conſtitu-
v. 5. to, has ſententias accommodat Dei Spiritus. *Non ope-*
v. 6. *ranti, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, impu-*
tatur fides ejus in juſtitiam. Beatus eſt vir, cui Deus impu-
Job. 27. *tat juſtitiam ſine operibus.* Quid dicemus de *Jobo?* Job,
v. 6. quando ab amicis accuſatur hypocriſeos, provocat ad
Deum, innocentiæ ſuæ teſtem, inquiens: *Juſtitiam*
meam retineo, nec eam deſeram: non abjciet eam animus
c. 31. v. 6. *meus unquam. Examinet me Deus bilancibus juſtitiæ, &*
integritatem meam cognoſcet. At ubi *Job* à Deo ipſo in
jus vocatur, & quæritur, an ſe adeò juſtum cenſeat, ut
confidat ſe vitæ ſuæ innocentiâ & mortem æternam e-
vade-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

vadere, & vitam æternam conſequi poſſe: hîc dat *Job*
victas manus, nec ullam in ſe agnoſcere audet juſtiti-
am, quâ conſiſtat. Hæc namq; eſt ingenua *Jobi* con-
feſsio: *Quid juſtificabit ſe homo coram Deo? Si volet li-* c. 9.
tigare cum eo, non poterit reſpondere ei ad unum ex mille. v. 2.
Quid eſt quod mundus eſſe velit homo? quid juſtificat ſe c. 15.
natus mulieris? Quid *Davidem* memorabimus? Qui v. 14.
quando accuſatur ab inimicis, tanquam qui malis arti-
bus ſolium regium occupaſſet; non modò non ſubter-
fugit judicium divinum, ſed ipſe etiam ad tribunal Dei
animoſâ confidentiâ provocat, his uſus verbis: *Domi-* Pſal. 7.
ne, judica me ſecundum juſtitiam meam: Secundum puri- v. 9. Pſal. 18.
tatem manuum mearum retribue mihi. Sed verò ubi De- v. 21.
us ipſe *Davidem* in jus vocat, tantum abeſt ſuæ tùm fi-
dat juſtitiæ, ut contrà dicat: *Si iniquitates obſervaveris* Pſal. 130
Domine, quis poſsit conſiſtere. Nam apud te eſt condonatio, v. 3. 4.
ut reverenter colaris. Ne experiare judicio cum ſervo tuo: Pſal. 143
nam non eſt coram te ullus juſtus. Qualis quæſo ſervus v. 2.
Domini fuit *David?* Ipſis Davidis verbis id enunciabi-
mus: *Servus tuus*, inquit, *cuſtodit mandata tua: in obſer-* Pſal. 9. v. 12.
vatione mandatorum tuorum eſt emolumentum magnum.
Licet itaq; David eſſet totus in obſervandis mandatis
divinis: hac tamen divinorum mandatorum obſerva-
tione ſe coram Deo juſtificatum eſſe negat. Quid di-
cemus de *Paulo?* Habet quidem ἀπρόσκοπον συνείδησιν πρὸς Act. 24.
τὸν θεὸν καὶ ἀνθρώπους: Nullius ſibi conſcius: huic tamen v. 26:
novæ obedientiæ, ac operum atq; integritatis juſtitiæ, 1. Cor. 4.
negat ſe fidere, tractum ad tribunal divinum, ut cau- v. 4.
ſam ſuam tueatur, inquiens: *Nullius mihi conſcius ſum,*
ἀλλ' οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι. Noſtra igitur juſtitia, quâ
volumus immoti ſtare coram judicio divino, non eſt
operum noſtrorum juſtitia, nimis immunda; ſed con-
ſummatiſsima Jeſu Chriſti juſtitia, ita à Dei Spiritu de-
ſcrip-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Rom. 5 ſcripta. *Sicut per unius hominis inobedientiam peccatores*
v. 19. *conſtituti ſunt multi: ita per unius obedientiam juſti conſti-*
1. Cor. 1. *tuentur multi. Chriſtus factus eſt nobis à Deo juſtitia. Fe-*
v. 30. *cit Deus, ut qui nunquam novit peccatum, pro nobis eſſet*
2. Cor 5. v. *peccatum, ut nos efficeremur juſtitia Dei.* Hæc eſt illa Ec-
cleſiarum noſtrarum doctrina, quâ & Dei gloriam vin-
dicamus, & turbatas conſcientias tranquillamus, & ar-
dens bonorum operum ſtudium animis ingeneramus.
Quam qui conſtanter tuentur doctrinam, his ab Apo-
Gal. 6. v. 16. ſtolo dictum eſt: *Qui ſecundum hanc regulam ince-*
dunt, pax ſuper eos & miſericordia.

Habetis, *Viri Reverendi & Doctiſſimi, Præpoſiti vigilantiſſimi*, ſi non omnes, ſaltèm principes cauſas, quibus inductus hunc in Epiſtolam Jacobæam commentarium vobis inſcribendum cenſuerim. Hoc autem poſco inſcriptionis præmium, ut auditoribus veſtris, & doctrinâ & vitâ, ita præluceatis, ut in cenſorio illo die lætam hanc à veſtro Jesu vocem ſinguli audire
Matth. 25 v. 21. poſsitis: Euge ſerve frugi & fidelis: in exiguo fidem tuam mihi probaſti: meliora & majora concredam tibi: ingredere in gaudium Domini tui. Quâ felicitate nos omnes beet Jesus, Amen. Hafniæ XII. Decemb. 1640.

Qui vos omnes ac ſingulos in Chriſto
Jeſu ſincerè amat

Caspar. Erasm. Brochmand, D.
Selandiæ Epiſcopus.

Adſis

ADSIS ô JESU.

IN CANONICAM ET CATHOLICAM DIVI JACOBI EPISTOLAM ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

INterpretaturi, benedicente Servatore JESU CHRISTO, divinam Jacobi Epiſtolam, operæ pretium nos facturos ſperamus, ſi, meliorum interpretum exemplo, paucula præmiſerimus: *Primò, de divinâ præſentis epiſtolæ auctoritate: Secundò, de ſcripti hujus, verè divini, auctore: Tertiò, de receptâ epiſtolæ Iacobeæ, in capita ac verſus, diviſione: Quartò, de lingvâ, quâ ſcripta eſt hæc epiſtola: Quintò, de ordine & loco, quota ſcilicet ſit inter Epiſtolas Catholicas: Sextò, de Interpretibus, qui hanc epiſtolam commentario illuſtrarunt: Septimò, de ſacratiſsimi hujus operis occaſione, ſcopo, utilitate ac argumento: Octavò & ultimò, de receptâ epiſtolæ inſcriptione cum duabus Petri, & tribus Iohannis Epiſtolis, & unâ Iudæ, communi: Omnes enim vocantur Catholicæ.* Quæ omnia & ſingula, mediocri diligentiâ explicata atq; expedita, & auctoritatem operi conciliabunt, & lucem huic ſcripto afferent non exiguam. Diſſertationem verò noſtram ita attemperabimus, ut nec diductiore commentatione, nec obſcurâ & abruptâ brevitate, in lectoris commoda peccemus. FAVE JESU CHRISTE, & mentem manumq; ſcribentis, ſancto tuo Spiritu rege, Amen.

SECTIO PRIMA.

Quæ & quanta ſit Epiſtolæ Jacobeæ Auctoritas?

AQuâ quæſtione, nos non ſine juſtiſſimâ causâ ordiri, docebunt diſſentientes nobilium ſcriptorum, de hujus epiſtolæ auctoritate atq; *αὐθεντίᾳ*, ſententiæ. Quas ne, aliorum Interpretum more, confuſiùs enumerem, *tres* nominari & numerari poſſunt celebriorum auctorum, de ſcripti Jacobæi æſtimio, variantes ſententiæ.

Prima ſententia eſt vetuſtiſſimorum ſcriptorum, qui ita probarunt & adſtruxerunt *αὐθεντίαν*, & divinam autoritatem epiſtolæ Jacobeæ, ut unà monuerint, de hujus ſcripti canonicâ autoritate quondam dubitatum fuiſſe. Teſtes aſſertionis laudamus notiſſimos Patres, *Euſebium Pamphilum & Hieronymum.* Euſebius certè lib. 2 hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, c.22. p.48 clarè teſtatur, epiſtolam

 Jaco-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Jacobæam à plurimis veterum rejectam fuiſſe, tanquam adulterinam. Iniquiùs fert *Bellarminus*, controv. de verbo Dei lib. 1. c. 18. pugnare hac Euſebii autoritate Magdeburgenſes, cent. 1. hiſt. Eccl. lib. 2. c. 4. col. 54, αὐθεντίαν epiſtolæ Jacobeæ impugnaturos: quocirca nodum quem ſolvere non potuit, violenter ut ſecet, mendacii accuſat Magdeburgenſes, negatq; unquam ab Euſebio dictum aſſertumq; eſſe, epiſtolam Jacobæam, ut adulterinam, à priſcis rejectam eſſe. *Ægidius Hunnius* ſuo examine controverſiæ primæ Bellarminianæ de verbo Dei, lib. 1. cap. 18. tom. 2. oper. lat. pag. 114, ſeq:, vindicaturus Magdeburgenſes, remittit Bellarminum ad primigenium Euſebii textum, in quo hæc de Jacobi epiſtolâ diſerte inveniuntur verba: Ἰστέον ὡς νοθεύεται: *Sciendum quòd adulterina ſit.* *Gretzerus* Jeſuvita, non tàm fervidus, quàm furioſus Bellarmini propugnator, Hunnianâ irritatus cenſurâ, immeritum Hunnium multo ſale perfricat, tom. 1. defenſ. Bellarm: lib. 1. c. 18. pag: 318. ſeq:, ac oratione in periodos nimis multas diductâ oſtendere allaborat, reſponſum Hunnianum eſſe ſplendidiſſimum mendacium. Quod ut probatum det, *duo* urget. *Vnum* eſt; Bellarminum ſeqvutum eſſe Ruffini, Patris antiqui, verſionem, in quâ hæc verba: *Sciendum, quòd* [Epiſtola Jacobi] *ſit adulterina*: non extant. Sed quia ſatis animadvertebat iſte Bellarmini πρόμαχος, lubricum eſſe reſponſum, in quo pedem tutò figere non liceat: Huic enim purgandum meritò dixeris caput, qui verſionem textui primigenio velit æquatam, nedum prælatam: *alterum* addit: videlicet, ne ipſa quidem Euſebii verba Græca Magdeburgenſibus Centuriatoribus favere. Quod quâ fide dicat, certò conſtare ut poſſit, verba Euſebii apponemus integra. Τοιαῦτα, inquit Euſebius, καὶ τὰ κατὰ τὸν Ἰάκωβον, οὗ ἡ πρώτη τῶν ὀνομαζομένων καθολικῶν εἶναι λέγεται. ἰστέον ὡς νοθεύεται μέν. οὐ πολλοὶ γοῦν τῶν πάλαι αὐτῆς ἐμνημόνευσαν, ὡς οὐδὲ τῆς λεγομένης Ἰούδα, μιᾶς καὶ αὐτῆς οὔσης τῶν ἑπτὰ λεγομένων καθολικῶν; ὅμως δ᾽ ἴσμεν, καὶ ταύτας, μετὰ τῶν λοιπῶν ἐν πλείσταις δεδημοσιευμέναις ἐκκλησίαις. Quæ verba, qvanqvam clariùs id, de quo controvertitur, enuncient, quàm ut ullæ offuciæ hîc qvidqvam poſſint: non tamen conquieſcit feroculum adverſarii ingenium, ſed tenax ſui inſtituti, objectat, qvod ſectarii, qvos vocat, verba illa, ἰστέον ὡς νοθεύεται, peſſimè hoc modo vertant, *Sciendum, hanc epiſtolam eſſe adulterinam*: idq; quia νοθεύεσθαι, non eſt *eſſe ſpurium & ſuppoſititium*; ſed eſt, *notari, argui, & accuſari, tanqvam ſpurium*: nam hoc etiam legitimo accidere poteſt. Ego verò, qvanqvam Epiſtolam Jacobæam, rejectaneis ſcriptis non annumerem, tamen conſtanter affirmo & urgeo, Euſebii aſſertionem talibus conceptam eſſe verbis, quæ utrumq; ſenſum admittant. Ecquis enim adeò hoſpes eſt in literaturâ Græcâ ut neſciat, *Heſychium & Suidam*, verbum νοθεύειν interpretari, ἀπολοτριοῦν, ἀπατᾶν, κολακεύειν. Unde eidem Svidæ νόθευσις τῶν θείων γραφῶν eſt ſacrarum ſcripturarum adulteratio & corruptela. Νοθεύεσθαι itaq;, non tantùm eſt haberi pro notho & adulterino, ſed principe ſignificato valet, nothum eſſe, ſuppoſititium eſſe, adulterari, corrumpi. Sic in vitâ *Thucydidis*: λέγουσι γὰρ τινες

τὴν ὀγδόην ἱστορίαν νοθεύεσθαι, καὶ μὴ εἶναι Θουκυδίδου. Quo certè in loco ὀγδόην ἱστορίαν νοθεύεσθαι, eſt notham eſſe, adulterinam eſſe: ita enim eſſe, interpretamentum ἐξηγητικὸν, quod ſubjungitur, evincit, nimirum, καὶ μὴ εἶναι Θουκυδίδου. Et ne longiores ſimus, dirimit controverſiam ipſe *Euſebius*, qui lib. 3. hiſt: Eccl. c. 19. ſeriem librorum N. T. ſummatim comprehenſurus, inquit; *Primùm, ſacer Evangeliorum quaternio, ratus eſto; quem quidem liber de Actis Apoſtolorum ſequitur; Huic annumerentur Pauli Epiſtolæ, quibus deinceps prior Epiſtola, quæ fertur eſſe Iohannis, & Petri ſimiliter prior, tanquam omnium conſenſu conſtabilitæ, adjungantur. Inter iſta, ſi placet, Iohannis Apocalypſin conjiciamus, de quâ, quid veteres ſtatuerint, alìud erit tempus exponendi. Atq; hæc ſunt, quæ omnium aſſeveratione, conſtanter approbantur,* ὧν δὲ ἀντιλεγομένων, γνωρίμων δ' οὖν ὅμως τοῖς πολλοῖς, ἡ λεγομένη ἰακώβου φέρεται: *& ſecunda Petri; & Tertia, quæ Iohannis nomine inſcribitur. Inter ſcripturas autem nothas, numerantur Actus Pauli, & liber, qui vocatur Paſtor, & Apocalypſis Petri.* En tres ordines librorum ſacrorum: qvorum primus continet libros, qvi omnium judicio ſunt Canonici: ſecundus, ſcripta complectitur, qvæ qvidem in controverſia fuerunt poſita, à multis tamen Eccleſiaſticis viris approbata: tertius comprehendit ambitu ſuo libros, qvi ſunt planè nothi, nec ab ullo, ſaltem melioris & antiqvioris notæ ſcriptore, pro genuinis ſcripturis agniti. Epiſtola itaq; Jacobi νοθεύεται, non qvia eſt inter ſcripturas, ab universâ meliore antiqvitate rejectas, ſed qvia eſt è numero ſcriptorum, ἀντιλεγομένων qvidem, ſed γνωρίμων ὅμως τοῖς πολλοῖς. Sed ut miſſo Euſebio, qvi clarè teſtatus eſt, pluſculos è veteribus, non tàm de epiſtolæ Jacobeæ auctoritate dubitaſſe; qvàm eidem contradixiſſe; accedamus ad *Hieronymum*: cujus hæc ſunt verba in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, tom. 1. oper: edit: Frob: p. 263: *Iacobus, qui appellatur frater Domini, unam tantùm ſcripſit epiſtolam, quæ de ſeptem catholicis eſt, quæ & ipſa ab alio quodam ſub ejus nomine edita aſſeritur: licet paulatim tempore procedente, obtinuerit auctoritatem.* Qvis jam dubitare volet, qvin plurimi è veteribus, fidem & auctoritatem Epiſtolæ Jacobeæ in dubium vocarint? Et hæc eſto prima, de epiſtolæ Jacobeæ αὐθεντίᾳ, ſententia. A quâ recentiores Lutheranos, ne latum ungvem deflectere, teſtes ſunt, *Hemmingius*, in Epiſt. Jacobi, *Ægidius Hunnius* diſput: de ſcript: th. 119. 120. 121. 122. 123, *Oſiander* contra Anal: Gregor: de Valent: pag. 478. *Mentzerus*, diſput. Anti-Piſtor. 1. th: 26, & in Apol. contra Piſtor. pag. 126. & 243. & 251, *Skróderus* de princip. fid. c. 1. p. 146. & 152, *Hutterus* in locis com: pag. 17. 18. *Gerhardus* in exegeſi uberiore articulorum primi tomi pag: 252. 253. 254: qvorum conſtans aſſertio eſt, qvod omnes libri novi Teſtamenti, etiam 7 epiſtolæ Catholicæ, ſint pares veritate, certitudine, auctoritate; ſed ita, ut addant, de qvibusdam aliquandiu in primitivâ Eccleſiâ dubitatum fuiſſe. Nec nos in diverſum abimus. Nam veluti epiſtolæ Jacobeæ auctoritatem divinam jure tribui, in ſeqventibus oſtendemus: ita de ejus αὐθεντίᾳ in primitivâ Eccleſiâ aliquandiu dubitatum fuiſſe, jam evicimus.

Secunda ſententia eſt *Lutheri*, qvi ſuâ in Epiſtolam Jacobi præfatione,

 editio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

editionis Bibliorum Germanicor: anni 1528, Epiſtolam Jacobæam è cenſu ac numero ſcriptorum verè Canonicorum expungit, atq; alibi in hanc epiſtolam adeò exardeſcit indignatione, ut ſtramineam appellet. Dici verò vix poteſt, qvot & qvanta hoc ipſo nomine in Lutherum convectent convitia Pontificii, inprimis *Sixtus Senenſis* Bibl: ſanct: lib. 7 hæreſ. 9. pag. 609. 610 ſeq, *Salmeron* Jeſuvita diſp. 1. in Epiſt. Jacobi pag. 3, *Edmundus Campianus*, in epiſtolâ ad Academias Oxonienſem & Cantabrigenſem; *Duræus* in confutatione Wittacheri, *Coſterus* in Enchiridio pag. 64, *Balthazar Paës*, Luſitanus, in Epiſt. Jacobi, qvæſt. procemial. 3. p. 5. ſeq. *Bellarm.* diſp. 1 de verbo Dei lib. 1. c. 18. p. 56. 57. ſeq. *Baronius* tom. 1. annal: ad annum Chriſti 63. p. 691. ſeq. *Eſtius* proleg. in Ep. Jac. pag. 1094. 1095. *Serarius* proleg: in Epiſt. Jacobi, proleg. 2. pag. 3. ſeq:, *Lorinus* præfat: in Epiſt. Jac. pag. 492, *Cornelius* à Lapide proæm: in Epiſt: Jacobi q: 1. p. 3. ſeq:, & ... ii, multò plures, qvàm ut pauculis periodis comprehendi poſſint. Summa crudelis accuſationis eſt, *Lutherum mertò peſtilentiſsimis annumerari hæreticis, ut ... Epiſtolam Iacobæam, extra omnem controverſiam, divinam & canonicam, privâ auctoritate è canone ejiciat, ſtramineamq; appellet, hac inprimis de causâ, quòd operum neceſsitatem urgeat; quam Lutherus, imitatus Simonem Magum, improbat ac damnat.* Quam dicam, præter alios, Luthero ſcribunt Anglo-Rhemenſes annot: in cap. 2. Jac. v. 14. A quâ calumniâ, nimis gravi, quomodo vindicari poſſit Lutherus, videbimus. Anglus Theologus, Wittacherus, reſp. ad primam Campiani rationem pag. 7, laboranti Luthero ſuppetias laturus, accuſationem adverſæ partis cenſet eſſe atrocis mendacii calumniam. *Profer*, inquit Wittacherus, [Campiano reſponſurus, objectanti, Epiſtolam Jacobi à Luthero vocatam eſſe stramineam] *locum, & tuam fidem exploremus. Præfationem quandam deſignas in Epiſtolam Iacobi, quam ego non admodum multis notam exiſtimo: nuſquam enim inter ipſa Lutheri opera reperitur: in iſtam tamen præfationem incidi fortè, eamq; integram perlegi, in qua prorſus nihil horum ineſt, quæ tu commemoras. Facilis conjectura eſt, qualem te ſimus in reliquis habituri, quem ſtatim initio mentiri tàm inſigniter minimè puduit.* Qvâ ego nolim uti defenſione Lutheri. Lutherum enim nuſqvam Jacobæam Epiſtolam vocaſſe ſtramineam, haud facilè dixero. Fallitur quidem *Edmundus Campianus*, Jeſuvita, qui fidem facturus aſſertioni, citat præfationem Lutheri in Epiſtolam Jacobi: ſed nec minùs fallitur Wittacherus, qui hoc nunquam à beato Luthero ſcriptum contendit. Etenim *Lutherus* in Bibliis Germanicis, excuſis Argentorati per Johannem Knoblouch anno 1528, præmittit Novo Teſtamento præfationem, quâ monſtrat, qvinam ſint genuini & antiqviſſimi N. T. libri, ac eam his concludit verbis: *Epiſtola Iacobi verè ſtraminea epiſtola eſt, collata cum Evangelio Iohannis & ejus Epiſtola primâ, & Epiſtolis Paulinis, inprimis quæ ad Romanos, Galatas, Epheſios ſcriptæ ſunt, & primâ Petri epiſtolâ: nec enim genium indolemq; habet Evangelicam. Sed hac de re in alia præfatione prolixiùs dicetur.* Hæc Lutherus: qvi Epiſtolam Jacobæam, loco jam ſignato, vocat Epiſtolam verè ſtramineam. Sed aſſumentum Jeſuviticum eſt, qvòd eandem epiſtolam, contentioſam, tumidam, aridam ibidem appellet: qvod objectat Campianus, & a Campiano decepti *Lorinus & Iacobus Tirinus*, Jeſuvitæ. Noſtri Theologi, *Hutterus* in locis comm; art, de ſcript: pag. 23. ſeq: & *Gerhardus*

Exe-

Exegeſi ſeu uberiore explicat: articulorum, primo tomo tractatorum, loco primo de ſcriptura, theſ: 279. pag. 291, adverſæ parti ſatisfacturi, reſpondent: iſta à Luthero per σύγκρισιν dici, hoc ſenſu; qvòd collata hæc Epiſtola cum Paulinis illis ad Romanos, Gallatas, Epheſios, nec non cum priore Petri Epiſtolâ, verè ſit ſtraminea. Qvando verò, inquiunt, Epiſtolam Jacobi non amplius comparatè, ſed in ſe conſiderat Lutherus, eam judicat bonam & utilem. Qvod verè dici ut evincant, promunt hæc Lutheri verba, qvæ inveniuntur in frõtiſpicio præfationis, qvam Epiſtolæ Jacobeæ præmittit: *Epiſtolam hanc*, ait Lutherus, *quamvis rejectam à veteribus, pro utili tamen & non contemnenda habeo, vel ob hanc cauſam, quòd plane nihil humanæ doctrinæ afferat, & Legem Dei fortiter urgeat. Verùm ut meam de illâ ſententiam candidè promam, extra tamen præjudicium, exiſtimo nullius Apoſtoli eſſe.* Probo qvidem benivolum in maximum & planè incomparabilem Lutherum affectum, ſed reſponſioni minùs fido. Clariùs enim & rotundiùs Epiſtolam Jacobæam non uno loco improbat, qvàm ut hæc reſponſio acutiori adverſario ſatisfaciat. *Lutherus* certè ſuâ in N. T. præfatione, anteà adductâ, non modò ſtramineam vocat, collatam cum Evangelio Johannæo, & Epiſtolis Paulinis, ſed etiam genium Evangelicum habere ibidem negat. *Et in libro de captivitate Babylonica, cap. de extremâ unctione*, hanc Jacobi Epiſtolam non eſſe dignam Spiritu Apoſtolico, diſertè affirmat. Et qvod omnium maximum eſt, Jacobum, juſtitiam operum propugnantem, Lutherus ſuo in cap. Geneſ: 22 commentario pag: 306 delirare contendit: qvin & addit: *Faceſſant itaq; è medio adverſarii cum ſuo Iacobo, quem toties nobis objiciunt.* Tantum autem abeſt, cauſa hæc juvetur verbis, è præfatione Lutheri in Epiſtolam Jacobi antea adductis, ut inſtituto propugnantiũ hic Lutherum, quàm validiſſimè adverſetur. Nam ubi laudaſſet Epiſtolam hanc Jacobi, tanqvam qvæ doctrinã hominum non afferat, ſed legem Dei validè urgeat; ſubjungit ſtatim argumenta, quibus inductus non annumeret Epiſtolam Jacobæam ſcriptis canonicis, ac tandem ita concludit, pag. 178 edit: Argentor. anni 1528. *Nolo hanc epiſtolam numerari in Bibliis meis, inter Canonicos & indubitatæ fidei libros.* Cui etiam Lutheri ſententiæ acceſſerunt *Eraſmus* in ſuis annotationibus, *Vitus Theodorus* in ſummariis Bibliorum, *Iohannes Bugenhagius Pomeranus* ad cap. 4. Epiſtol: ad Rom. & ad cap. 3. Jonæ, *Lucas Oſiander* præfat. comm: in Epiſtolam Jacobi, pag. 643, *Centuriatores ſeu Hiſtorici Magdeburgenſes* cent. 1. lib. 2. cap. 54, *Flacius Illyricus* præfat: comment. in Epiſt. Jacobi pag. 1197. aliiq;.

Anteqvam verò vindicias pro Luthero adornemus, placet paucis & afferre & æſtimare argumenta, qvibus motus beatus Lutherus Epiſtolam Jacobæam è ſacro canone expunxit.

Primò urget, Iacobum oppugnare gratuitam è fide Iuſtificationem, à Paulo in Epiſtola ad Romanos validè adſtructam. Paulus enim Abrahamum fide, ſine operibus juſtificatum eſſe docet Rom. 4. v. 2. 3. Iacobus verò Abrahamum ex operibus juſtificatum eſſe contendit Iacob. 2. v. 21.

Qvem obicem ut amoveamus: reſponſio non tàm noſtra, qvàm priſcorum & recentium ſcriptorum eſt: pugnam hanc, quod putavit Lutherus, non eſſe planè irreconciliabilem. *Auguſtinus* certè præfatione in Pſalm: 31. & libro de fide ac operibus cap. 14. monſtrat, qvomodo conciliatio optato ſucceſſu tenta-

ri poſſit. Noſtri etiam Theologi, & inter eos *Hunnius*, examine controv. primæ Bellarminianæ lib. 1. cap. 18. pag. 119. 120, dudum oſtenderunt, qvomodo facilis ſit inter Jacobum & Paulum, in articulo de juſtificatione, conciliatio. Indignatur contentioſus Gretzerus, auſum eſſe Hunnium loca Jacobi & Pauli componere, & objectat hæc è colloqviis Lutheri menſalibus verba: *Multi laborarunt & conati ſunt, & conando ſudarunt, ut Epiſtolam S. Iacobi, cum S. Pauli ad Romanos epiſtolâ componerent: ſicut & Philippus in ſuâ Apologiâ idem conatur: ſed non ſeriò: quia è diametro ſibi adverſantur iſta: Fides juſtificat: Fides non juſtificat. Qui hoc componere poteſt, huic imponam pileum meum Doctoralem, & feram ut ſtultus appeller.* Litigioſus Jeſuvita Gretzerus exclamat, defenſionis Bellarmini tom: 1. pag. 322. *Actum eſt de pileo & honore Lutheri: ſtultus nominetur oportet, quia quod fieri poſſe negabat, non modò ab Auguſtino, ſed etiam Hunnio præſtitum eſt.* Nos inania verborum litigia qvodam naturæ ductu exoſi, reſpondemus: Indignum eſſe iſtum convivalium ſermonum librum, cuius auctoritate Lutherus conſtringatur. Nihil enim certius eſt, qvam iſtud convivalium ſermonum opus, Luthero nunquam eſſe viſum, nedum ab ipſo approbatum. Et qvis neſcit, convivales iſtos ſermones è tenui, qvod primùm prodiit, ſcripto, in molem adeò magnam excreviſſe? Unde nemini non liqvidum eſt, qvanti ſint qvæ hinc petuntur probationes. Revocamus pio Lectori hæc Lutheri verba in mentem ac memoriam, præmiſſa tom: 1. oper. Lat, Witteberg: *Oro*, inqvit Lutherus, *ante omnia pium Lectorem, ut iſta legat cum judicio & multa miſeratione, & ſciat, me aliquando fuiſſe Monachum.* Petimus etiam, velint Lutheromaſtyges meminiſſe, Lutherum ita improbare Epiſtolam Jacobæam, ut nolit ulli præreptam judicandi ac diſſentiendi libertatem. De re ipsâ dicemus, cum bono Deo, in ipsâ capitis ſecundi Epiſtolæ Jacobeæ explicatione, inibi expedituri, qvæ aut *Bellarminus*, aut Bellarmini propugnator, *Gretzerus*, aut è ſcholâ Pontificiâ alii, Theologorum noſtrorum conciliationi objectant; & eâdem operâ refutaturi falſas adverſariorum conciliationes.

Secundò urget Lutherus; Iacobum cap. 2. Epiſtolæ v. 23. verba Moſis, deſcripta Gen. 15. v. 6, torquere violenter ac trahere invita, ad operum juſtificationem, cùm de ſolâ Abrahami è fide juſtificatione agant, & non de ejus operibus: quo etiam ſenſu Paulus eadem allegat Rom. 4. v. 2. 3.

Quæ ſententiarum pugna, primo intuitu ἄσπονδος, qvomodo commodè & ſalvâ veritate componi poſſit, deditâ operâ docebimus noſtrâ in cap. 2. Jacobi commentatione: nec enim hîc libet promere, qvæ in ipſo commentario tædiosè iteranda eſſent.

Tertiò objicit Lutherus, Iacobum in hac epiſtolâ, Iudæis in religione chriſtiana inſtituendis unicè ſerviturâ, ne ſemel quidem meminiſſe, aut mortis, aut reſurrectionis, aut meriti Servatoris Chriſti. Quod quàm alienum ſit ab officio viri Apoſtolici, monet Chriſtus Iohan. 15. v. 27. Teſtabimini de me.

Duo reponere poſſumus: *Vnum*, meminiſſe etiam Apoſtolum, in ſuâ Epiſtolâ doctrinæ de Jeſu Chriſto: ſed ſtrictiùs. Nonne de Evangelio agit noſter Jacobus, quando jubet, ut in manſvetudine ſuſcipiamus inſitum verbum, qvod poteſt ſalvare animas noſtras, c. 1. v. 21? Nonne concinna Evangelii circumlocutio eſt: *introſpicite in perfectam illam libertatis legem, & permanete in ea.* v. 25.

Non-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Nonne fidei Domini noſtri Jeſu Chriſti diſertè meminit, c.2. v.1? Nonne à v. 14. uſq; ad finem prolixa de fide texitur diſſertatio? Nonne adventu Domini afflictos ſolatur c.5.v.7. & judicem præ foribus eſſe docet.v. 9? Quis enim ille judex, niſi qvi judicaturus eſt vivos & mortuos? Quis autem ille, niſi Chriſtus, cui Pater omne judicium dedit, Joh.5.v.22? *Alterum:* Apoſtolum Jacobum principe inſtituto hos refutare, qvi religionem & fidem inſolenter jactabant, cœno peccatorum immerſi, nec circa vitam emendandam ullo modo occupati: Qvorum & religionem & fidem, vanam eſſe Apoſtolus evidentiſſimè oſtendit. Qvi cùm ſit princeps ſcripti Jacobæi ſcopus, inſtituti certè ratio reqvirit, ut Apoſtolus parciùs de fide, diductiùs autem de operibus, veræ religionis & vivæ fidei teſtibus, diſſerat. Dicite, an epiſtolam Pauli ad Philemonem è canone ſacro ejicienda ſit, qvòd de morte & merito Chriſti ex profeſſo non agat? Scribentis ſcopus ſemper attendendus eſt, & ex eo ſcriptionis ratio æſtimanda.

Quartò & ultimò urget Lutherus, quòd Auctor epiſtolæ, Iacobo adſcriptæ, citet quasdam ex Epiſtola Petri ſententias: quales ſunt: Charitas tegit multitudinem peccatorum Iac.5. v.20. Deus ſuperbis obſiſtit, ſubmiſſis autem dat gratiam cap.4. v.6. Quis vero ullâ veri ſpecie dixerit, Iacobum, Apoſtolatu parem Petro, Petri ſcrinia compilaſſe, & ab ipſo ſententias mutuatum eſſe?

Cui argumento, ſe pretium ponere negat *Ægidius Hunnius*, lib.1 exam: controv: Bellarm: c.18.p.122, qvòd Prophetæ in V.T. iisdem ſæpè utantur ſententiis, veluti evincit collatio locorum Eſ. c.2.v.3. & Mich. 4. v.1, Jerem. 49. v.16. & Obdiæ, cap.1.v.4. Nec citat Petri verba Jacobus: qvod conferenti loca manifeſtum eſt.

Quæ ſunt maximè ſtringentia argumenta, qvibus Lutherus ſuâ in Epiſtolam Jacobæam præfatione oppugnat ſcripti Jacobæi αὐθεντίαν: Qui *an ideo à Pontificiis poſtulari poſſit hæreſeos*, videbimus. Dicant Adverſarii, an qvotqvot è vetuſtis Patribus ſeſe huic epiſtolæ oppoſuerunt, ac illi contradixerunt, peſtilentibus hæreticis hoc nomine annumerandi ſint? Aut vetuſtiſſimos Patres, qvi hanc Jacobi Epiſtolam improbarunt, teſte Euſebio & Hieronymo, condemnent oportet; aut Lutherum ab intentato hæreſeos crimine abſolvant neceſſe eſt. Ingenuè dicite, qvi veſtram in Lutherum acuitis lingvam, an profligatiſſimi cenſendi ſint hæretici, qvi omnes & ſingulas librorum Canonicorum partes & particulas pleno aſſenſu non probarunt? Quod qvi affirmaverit, aſſertionis ipſũ pœnitebit. Extat apud Lucam Evangeliſtam, c.19.v.41, *Servatorem noſtrum fleviſſe ſuper Hieruſalem.* Sed an peſtilentiſſimi proclamabuntur hæretici, qvi hæc verba, qvibus ſingularis Chriſti miſericordia & bonitas exponitur, ſuſtulerunt? Negat id in Ancorato Epiphanius pag. 482. *Habentur*, inqvit, *verba hæc in correctis exemplaribus, atq; eo teſtimonio Irenæus contra hæreſes utitur, adverſus eos qui Chriſtum apparuiſſe tantùm dixerunt, & in apparentia cum Diſcipulis verſatum. Orthodoxi ſuſtulerunt verbum [flevit] timentes & non intelligentes ipſius finem, vim & robur.* Vide quàm diſſideat animo & affectu ab hodiernis adverſariis Epiphanius. Tantùm abeſt his, qvi ſententiam illam ſuſtulerunt, dicam hæreſeos impingat, ut Orthodoxos, metu neſcio quo, certè vano, ſuſtuliſſe dicat. Qvis etiam neſcit, ſaltem in antiqvitate meliore mediocriter verſatus, multos è veteribus ultimum Marci caput non admiſiſſe, quòd doctrinæ Matthæi adver-

ſari

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ſari crederetur: veluti videre eſt apud *Hieronymum*, quæſt: 3. ad Hedibiam, & *Euthymium*, in ejuſdem capitis explicatione. Sed an hac de cauſa à quopiam hæreſeos damnati ſunt? Conſimiliter cui ignotum eſt, extitiſſe è priſcis Patrib⁹ pluſculos, qui quæ commemorantur Luc. 22, *de ſudore Chriſti ſangvineo, & de Angeli ad ipſum conſolatione*, expungenda è textu cenſuerint. Quibus non modò non hæreſeos culpam hoc nomine impingit *Sixtus Senenſis* Bibl: ſanct: lib: 1. cap. 22. p. 24, ſed etiam ſuſpicatur, hanc hiſtoriam pio quidem, ſed ſimplici, ac ſine ſcientia Zelo rejectam, qvòd Arrianis hæreticis favere videretur. Et decantatiſſimum eſt, *hiſtoriam mulieris in adulterio deprehenſæ*, qvæ Johannis VIII habetur, à plurimis, tanqvam adulterinam, ſeverè improbatam eſſe, teſtibus *Hieronymo* lib: 2. adverſus Pelagianos & *Euthymio*, in commentariis ejusdem capitis: qvi tamen ob iniqviorem cenſuram è territorio Eccleſiæ, tanquam Hæretici, non ſunt proſcripti. Quid ergò rei eſt, qvod in Luthero id damnent adverſarii, tanqvam hæreticum, quod Patribus condonandum cenſent? Cur non è Romanâ Eccleſiâ dudum ejecerunt Pontificum *Cardinalem Cajetanum*, Lutheri adverſarium acerrimum, qui judicio Andradii defens: fidei Trident: lib. 3. omnes ſuæ ætatis longè ſuperavit, qvòd non mitiùs Epiſtolam Pauli ad Hebræos, qvàm Lutherus epiſtolam Jacobi tractârit; ut qui contendat, auctorem epiſtolæ graviter erraſſe, & ſententiam ſcripturarum qvam allegat, pervertiſſe. Quæ verba *Ambroſio Catharrino*, Pontificio celeberrimo, horribilia ſunt Chriſtianis auribus. Nihil de eo dicam, Jacobi Epiſtolam videri indignam Cajetam, qvæ credatur Apoſtolica. Quis jam negabit, adverſarios Pontificios affectibus & partium ſtudio abripi, quando Lutherum, ob rejectam Jacobi epiſtolam, hæreſeos poſtulant.

Sed ſat ſcio, qvâ ceruſsâ hoc ſuum factum, nimis iniqvum, pingere ſoleant. Nam ne in Lutherum videantur præter meritum duriores, ſpecioſè cõtendunt, non tàm ob rejectam Jacobi epiſtolam, accuſari ipſum hæreſeos: [Hoc enim ipſi fortè cum pluſculis Patribus vetuſtis commune:] quàm ob cauſam, qvâ inductus Epiſtolam Jacobæam cenſuit rejectaneam: quæ plane hæretica eſt, & à peſtilentiſſimis hæreticis mutuò accepta. Quod ne falsò dixiſſe videantur, cauſam conſcriptæ à Jacobo epiſtolæ. non tàm ſuis, qvæ ſuſpecta eſſe poterant, quàm *Auguſtini* verbis promunt, quæ ita habent, deſcripta cap. 14. de fide & operibus: *Excitata fuit tempore Apoſtolorum opinio, ſufficere ſolam fidem, ad ſalutem obtinendam, ſi vel maximè bona opera negligerentur: contra quam opinionem Apoſtolicæ Epiſtolæ, Petri, Iohannis, Iacobi, Iudæ, maximè dirigunt intentionem, ut vehementer adſtruant, fidem ſine operibus nihil prodeſſe: Sicut etiam ipſe Paulus non quamlibet fidem, ſed eam ſalubrem planeq; Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt.* Eâdem causâ inductum Lutherum, improbaſſe Epiſtolam Jacobæam, docent locis antea ſignatis, *Bellarminus*, *Gretzerus*, *Rhemenſes*: Nec enim Lutherum aliâ causâ Epiſtolam Jacobæam rejeciſſe contendũt, qvàm quia fidem ad ſalutem ſufficere negat, ubi impurè & impiè vivitur. Hîc frontem in adverſariis deſidero. Nam qvanti Lutherus opera bona æſtimet, & qvàm ἀσύςατα ſint Luthero, Fides vera & impurior vita ac bene vivendi neglectus, vel ſola in caput V. Epiſtolæ ad Galatas commentaria docere poſſunt. Hoc v. qvàm maximè impulit Lutherum, ut Epiſtolam Jacobæam è cenſu canonicorũ

ſcri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ſcriptorum ejiceret, qvòd doctrinæ Paulinæ de juſtificatione, adverſari crederet. Quâ interim aſſertione aliis noluit præjudicatum, qvippe ita concludens ſuam in Epiſtolam Iacobi præfationem: *Non impedio, quò minùs alii hanc Epiſtolam, tanti faciant, quanti velint: Nam multa aliàs hic inveniuntur non inutilia.* Atq; hæc de ſecunda ſententia, qva Epiſtola Jacobi è cenſu ſcriptorum Canonicorum ejicitur, dicta ſunto.

Tertia Sententia eſt, uti Conciliorum plurimorum, ita Pàtrum propè infinitorum, Græcorum non minùs qvàm Latinorum, qvi Epiſtolam Iacobæam ſcriptis Canonicis ſine omni exceptione annumerarunt. Qvam qvoq; ſententiam probant & propugnant, omnes Pontificii, vetuſtiores pariter & recentiores, Cajetano excepto, qvi epiſtolæ Iacobeæ auctoritatem in dubium vocavit, ac indignam cenſuit, qvæ cæteris ſcriptis, extra dubitationem omnem Canonicis, accenſeretur. Faciunt hîc cum Pontificiis Calviniani: Nam *Harmonia confeſsionis* Sect: 1, *Anglicana & Helvetica*, art: relig: 6, *Calvinus* ſuo in hanc epiſtolam commentario, *Bullingerus* decad. 1 Serm. 1, *Zanchius* Commẽt: 1. art: 9, *Iunius* in Iudam, *Wittacherus* reſponſione ad Campianum, *Piſcator* in Epiſt. Iacobi, *Rainoldus* de libris Apocryphis tom: 1. prælect: 4, *Pareus* in Epiſtolam Iacobi, & alii Calvinianæ doctrinæ approbatores, Jacobæam epiſtolam, ut Canonicam & plane divinam, admittunt & approbant. Nec diſſentiunt recentiores Lutherani, modò addatur, qvòd de hujus epiſtolæ auctoritate in primitiva Eccleſia à pluſculis initio dubitatum ſit, velut liqvìdò certum eſt ex iis, qvæ attulimns, qvando primam ſententiam expendimus & expedivimus.

Adſtructuri igitur Epiſtolæ Iacobeæ αὐθεντίαν, *initiò* urgemus ipſā epiſtolæ inſcriptionem, qvæ de divina hujus epiſtolæ auctoritate non obſcure teſtatur. Etenim ſi epiſtolas *Pauli, Petri, Iohannis*, admittimus, ut planè divinas, qvòd verè præferant nomina Pauli, Petri, Iohannis, qvos ad munus Apoſtolicum à Deo vocatos eſſe liquidò conſtat: qvæ qvæſo poterit eſſe cauſa, ob qvam Epiſtola D. Iacobi, tanqvam minimè Canonica, rejiciatur? Præfert enim nomen Iacobi, ſervi Dei & Jeſu Chriſti, qvem ad munus Apoſtolicum divinitùs vocatum eſſe, & cum cæteris Apoſtolis, die Pentecoſtes, Spiritu Sancto mirabiliter donatum, qvàm manifeſtiſſimum eſt è cap. X. Matth: v. 3. & Actis Apoſtolicis cap. 1. v. 2. 3. & c. 2. v. 4.

At dices, qvòd inſcriptionibus tutò non fidatur: Circumferri enim *acta Andreæ Apoſtoli; Apoſtolorum Canones & conſtitutiones; Danielis Prophetæ ſomniorum interpretationem: Heliæ apocalypſin: Iacobi Patriarchæ ſcalam: Iacobi, fratris Domini, Protevangelium & Liturgiam: Ieſu Chriſti ad Abgarum epiſtolam: Ieſu Chriſti Magiam: Iohannis Evangeliſtæ librum de tranſitu Mariæ: Lucæ hiſtoriam de actibus Pauli & Teclæ; Marcum de vita Barnabæ Apoſtoli: Mariæ, Matris Ieſu, interrogationes magnas & parvas: Matthæum de ſtirpe Mariæ & infantia ſalvatoris: Matthiæ Apoſtoli Evangelium: Pauli Evangelium; Epiſtolam ad Laodicenſes, ad Corinthios tertiam, ad Theſſalonicenſes tertiam, apocalypſin; Epiſtolas ad Senecam: Philippi Apoſtoli Evangelium: Thaddæi Apoſtoli Evangelium: Thomæ Apoſtoli Evangelium: Timothi libros quatuor ad Eccleſiam Catholicam:* qvibus ſcriptis, qvi ob ſolam inſcriptionem fidere volet, periculoſiſſimè errabit. Sua itaq; veritas ut conſtet aſſertioni, ductæ ab inſcriptione epiſtolæ Iacobeæ: hæc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

eſto *Secunda probatio*, qvæ primam ſtatuminabit, qvòd ſcilicet haud contineatur qvicqvam Epiſtolâ D. Iacobi, qvod non cum dogmatis & decretis, in divinâ ſcripturâ traditis, examuſsìm conveniat. Nam ἑτερόδοξα illa, quæ in hoc ſcripto Iacobæo inveniri creduntur, ea omnia & ſingula, qvàm maximè ὀρθόδοξα eſſe, noſtrâ in hanc epiſtolam commentatione qvàm evidentiſſimè oſtendemus.

Cæterùm cùm non omne illud ſcriptum cenſeri poſſit debeatvé Canonicum, in qvo non contineatur vel tantillum, qvod à veritate, in codice ſacro revelata, abludat: ne qvidqvam prætermiſiſſe videamur, qvod auctoritati huic epiſtolæ conciliandæ, utiliter ſervire qveat: *Tertiæ probationis* loco addimus priſcæ Eccleſiæ conſenſum, qvo hujus epiſtolæ auctoritas validè firmatur. Etenim è *primo ſeculo Ignatius*, Epiſtola ad Epheſios; *Dionyſius Areopagita* cœleſtis Hierarchiæ cap. 8. *Anacletus* epiſtola 1: è *ſeculo tertio, Clemens Alexandrinus*, teſte Caſſiodoro, divin: lect. lib. 1. c. 8, *Tertullianus* de orat. cap. 8. & adverſus Judæos cap. 2, *Hippolytus* de conſummatione mundi, *Origenes* in Exodum homil: 3. & Leviticum homil. 2, *Urbanus primus* epiſtola ad omnes Epiſcopos, *Cyprianus* lib: ad Novatianum hæreticum: è *quarto ſeculo*; *Antonius Eremita* Epiſt: 1, *Athanaſius* Epiſt: 39. & Epiſt: de Synodo Nicena; *Didymus Alexandrinus* ad cap. 1. Jacobi; *Cyrillus Hieroſolymitanus* Catech: 4, *Ephram* de virtutibus & vitiis, cap. de iracundia, *Baſilius Magnus* in Aſceticis, *Gregorius Nazianzenus* carmine de canonicis ſcripturis: *Epiphanius* hæreſ: 76, numerans ſcripturæ libros: *Hilarius* lib: 4 de Trinit: *Ambroſius* tractat: de 42 manſionibus filiorum Iſrael, ſuper 33. cap. numer: manſione 18, *Philaſtrius* lib: de hæreſibus cap. de Apocryphis; *Hieronymus* lib: 1 contra Jovinianum cap. 24. & epiſtola ad Paulinum, *Ruffinus* in Symb. Apoſtol: è *ſeculo quinto*, *Auguſtinus* de doctrina Chriſtiana lib: 2. cap. 8, *Ioannes Chryſoſtomus* ſerm: admonitorio de Euchariſtia in Encæniis, *Cyrillus Alexandrinus* lib. 4 in Ioh. cap. 4, *Leo Magnus* ſerm: 11 de qvadrag: cap. 4, *Proſper* de promiſs: & prædict: Dei part: 1. cap. 22, *Salianus* l. 3. de Providentia Dei; *Gelaſius* de ord. libr: utriusq; Teſtamenti; è *ſeculo ſexto*, *Andreas Cæſarienſis* ad Apocal: cap. 36, *Procopius Gazæus* ad Eſa: cap. 7, *Iſychius Hieroſolymitanus* lib: 6 in Levit; *Fulgentius* lib: ad Monim: cap. 15, *Leontius* de ſectis, act: 2, *Maximus* de incarnat: verbi, *Primaſius* lib. 5. in Apoc., *Gregorius Magnus* lib: 29. Moral: cap. 16: qvi omnes & ſinguli Iacobæam Epiſtolam, ut Canonicam, citarunt. Teſtimonia Patrum, qvi proximè ſecutis ſeculis vixere, prætermitto, laborioſè collecta à *Iodoco Coccio* theſauri Theologici tom. 1. lib. 6. art. 23. p. 713. 714. ſeq: Nec deſunt *Concilia* qvæ αὐθεντίαν Epiſtolæ Iacobeæ adſtruxerunt; Nam *Concilium Laodicenum* c. 59, *Milevitanum* cap. 7, *Concilium Carthaginenſe tertium* c. 47, *Arauſicanum ſecundum* c. 25, *Cabilonenſe ſecundum* cap. 33, *Toletanum VIII* cap. 2, hanc epiſtolam tanqvam qvæ ſit canonica, & citant & probant. Et hic eſto terminus qvæſtionis, qvâ ſcripti Iacobæi auctoritas expenſa eſt: Jam videbimus, qvis ſit hujus epiſtolæ genuinus auctor.

SE-

SECTIO II.

Qvis ſit ſcripti, qvod, Chriſto propitio, explicandum ſuſcepimus, verus auctor?

DE auctore hujus Epiſtolæ non eſt eadem omnium ſententia. Nam ut miſſum faciam *Cajetanum*, qvi nihil certi vult definire, ratus tutiſſimũ eſſe hîc ἐπέχειν: *Eraſmus* initio annotationum ſuarum in Epiſtolam Iacobi, & *Hiſtorici Magdeburgenſes* cent: 1. lib. 2, cap. 4 fusè contendunt, præſentem epiſtolam Apoſtolo Iacobo nullà veritate adſcribi. Qvam *Eraſmi* & *hiſtoricorum Magdeburgenſium* ſententiam abundè refutavero, ſi fundamentum, cui ſententiam ſuam ſuperſtruunt, deſtruxero. *Urgent autem, quòd præſentis epiſtolæ auctor, ſe nuſpiam in hoc ſcripto Apoſtolum nominet, ſed ſervum Chriſti. Unde inferunt Magdeburgenſes, non eſſe abſimile vero, eam epiſtolam à quodam diſcipulo Apoſtolorum, ſub finem hujus ſeculi, aut inferiori tempore ſcriptam.* Qvæ argumentandi ratio ſi certa eſſet, nec epiſtola Pauli ad Philippenſes, nec utraq;, qvæ Theſſalonicenſibus inſcripta eſt, ab Apoſtolo profecta eſſet, cùm D. Paulus, nec in illâ nec in iſtis, ſe nominet Apoſtolum. Aut igitur epiſtolæ, jam nominatæ, Paulo præter meritum abjudicandæ ſunt: aut argumenti adducti imbecillitatem agnoſcamus oportet. Et ut eò promptiùs & certiùs aſſentiatur Lector nobis, αὐθεντίαν epiſtolæ Iacobeæ propugnantibus; jubemus expendat melioris antiqvitatis teſtimonia, adducta qvæſtione qvæ proximè præceſſit: Nam Concilia & Patres, qvi auctoritatem Epiſtolæ Iacobeæ propugnârunt, epiſtolæ auctorem non agnoverunt alium, qvàm Iacobum.

Verùm cum ſcriptura Matth: c. 10. v. 2. 3. *gemini Iacobi* mentionem faciat, nempe *Iacobi, filii Zebedæi*, qvi dictus fuit Iacobus major, & *Iacobi, filii Alphæi*, nominati Iacobus minor Marc. 15, 40, dubitari ac diſceptari cæptum eſt, illiné, an iſti Iacobo hæc adſcribenda eſſet epiſtola. Duas hîc invenio ſententias.

Prior ſententia eſt *Lucii Dexteri* in Chronico, & Sixti III, Pontificis, tom. 5. Bibliothecæ Patrum, qvi epiſtolæ auctorem volunt eſſe Iacobum, Zebedæi filium, qvi transfigurationi Chriſti in monte interfuit. Conſentit Arabica verſio, citante Caſparo Sanchez tractat: 3. de profect. S. Iacobi in Hiſpaniam, cap. 12; qvi etiam hanc ſententiam non improbabilem eſſe cenſet. Accedit etiam huic ſententiæ verſio Syriaca Widmanſtadii ut & Otheniana Troſtii, (nam nihil tale in Bibliis Regiis) qvæ hanc epiſtolam Iacobo, Zebedæi filio, tribuit. Ego ſententiam non probo: tùm qvia meliori antiqvitati adverſatur, cujus teſtimonia, poſteriorem ſententiam adducturi & adſtructuri, afferemus: tùm qvia temporis ratio id vix permittit. Etenim Jacobus, Zebedæi filius, ſub initium prædicati Evangelii è medio ſublatus fuit ab Herode, docentibus id actis Apoſtolicis, c. 12. v. 2. Hæc autem epiſtola aliqvanto poſt ſcripta eſt, qvum Evangelium jam longe latéq; ſparſum eſſet, teſte epiſtolæ ſcriptore, c. 1. v. 1.

Poſterior ſententia eſt antiqvorum Patrum, à qvibus hæc epiſtola Iacobo, Alphæi filio, tribuitur. Nam *Origenes* in cap. 5. ad Romanos, *Ephræm* tract: qvod judiciis abſtinendum ſit; *Chryſoſtomus* admonit: ſerm: de Euchariſtia, in Encœniis; *Leontius* in vita Iohannis Eleemoſynarii, *Theophylactus* in cap. 6.

Marci, *Simeon Metaphraſtes* in vita Iohannis Eleemoſynarii, Patres Græci, & è Latinis, *Hieronymus* lib. 1 contra Iovinianum c 24, *Auguſtinus* in cap. 2. epiſt. ad Galatas, *Ambroſius* lib. 7 in Lucam, cap. 9. Iacobum, præſentis epiſtolæ auctorem, fratrem Domini diſertè appellant. Qvam eſſe Iacobi, filii Alphæi, circumlocutionem legere eſt Gal: 1. v. 19. Qvam qvò minùs probemus aſſertionem non video qvid impediat. Cùm enim evictum confidimus, non eſſe juſtam cauſam, ob qvam aut dicamus hanc epiſtolam non eſſe Apoſtolicam; aut concedamus ψευδεπίγραφον eſſe, hoc eſt, adulterinæ inſcriptionis, & non obſcurè conſtat, qvòd Iacobo Zebedæi filio commodè tribui non poſſit: ſponte conſeqvi videtur, epiſtolam, de quâ agimus, alium quàm Iacobum, Alphæi filium, fratrem Domini, non agnoſcere auctorem. Ducit etiam huc ſalutatio, initio Epiſtolæ tradita, qvæ, monente Baronio in annal: tom: ad annum Domini 63. pag. 692, quàm ſimilima eſt ſalutationi, qvam Concilium Hieroſolymitanum ad Eccleſias miſit, cujus D. Jacobus magna pars fuit. Ut taceam, qvod loci & temporis ratio faveat: Nam ſervit Epiſtola refutando errori Simonis Magi, qvem Samariæ ſparſit, qvæ non longe abfuit ab urbe Hieroſolymitana, cujus Eccleſiæ D. Iacobus præfuit: ſi verus eſt adducto loco *Baronius*.

Poſſet, & fortè deberet, hìc texi vita Iabobi, qvi Epiſtolam concinnavit; ſed ne actum agamus, hoc labore ſuperſedemus, & Lectorem remittimus tùm ad priſcos ſcriptores, *Euſebium* lib: 2. hiſt: Eccl: c. 22. & *Hieronymum* de ſcriptoribus Eccleſiaſticis; tùm ad recentiores, videlicet, *Hiſtoricos Magdeburgenſes* cent. 1. lib. 2. c. 10. p. 579. ſeq:, *Baronium* tom: 1. annal: *Sixtum Senenſem* lib. 1. Bibliothecæ ſanct: *Balthazarem Paëz* ſuo in epiſtolam Iacobi commentario, qvæſt: præliminari, 5. & 6. & qvi præ cæteris vitam D. Iacobi diligentiùs enarravit *Cornelium à Lapide*, proœmio in epiſt. Iacobi, q. 3. p. 45. ſeq: Atq; hæc de hujus epiſtolæ auctore dixiſſe ſuffecerit.

SECTIO III.

An recepta Bibliorum in capita & verſus diſtinctio, antiqva ſit, an verò recens excogitata; & quando, & à quo, & quo bono introducta? Et an quæ in Epiſtolâ Jacobi hodiè legitur in capita tributio, priſcis Græcorum Patrum exemplaribus reſpondeat?

EXpenderunt hoc argumentum pluſculi, alii ſtrictiùs, alii diductiùs. E Pontificiis hanc qvæſtionem primus, qvod ſciam, juſtâ diligentiâ tractavit *Sixtus Senenſis* lib: 3. Bibl. ſanct: methodo qvartâ, de partit: Bibl: p. 157. ſeq: & qvi hujus veſtigia preſſé urſerunt, *Salmeron* tom. 1. comment: in N. T. proleg. 9. Canon: 22. pag. 123, ſeq: *Genebrardus* in Chronologia, *Serarius* prolegomenis in Biblia cap. 26 qvæſt: 9. 10. 11. pag. 181 ſeq: E reformatæ verò religionis viris, huic qvæſtioni expediundæ ſtudium & laborem non cō-

tem-

temnendum; inter alios inſumpſerunt *Caſaubonus*, ſuis in N.T. notis, ſed parcè: diductiùs & doctiùs, ſuis in Nonnum excercitationibus *Daniel Heinſius* cap: 13. pag.821.ſeq: diductiſſimè *Buxtorfius* præfatione, qvam concordantiis Bibl. ſacrorum Hebræis præmiſit. Nos, qvæ alii aut breviùs juſto, aut impeditiùs, aut nimis operosè de hoc argumento attulerunt, preſſé, perſpicué & diſtinctè proponere conabimur.

Negari nec poteſt nec debet, priſcos Patres, Græcos pariter & Latinos, non ſervaſſe numeralem illam ſacrorum Bibliorum in *capita & verſus* diviſionem, qvæ hodie in omnibus codicibus obtinuit. Nec enim nominari poteſt ullus Patrum, qvi ſcripturarum divinarum dicta citaturus, certum capitis numerũ aſſignârit. Excipimus *Pſalmos Davidis*: qvos numeris diſtinctos fuiſſe, vel è cap.13.v.33. actuum Apoſtolorum qvàm manifeſtiſſimum eſt, ubi Pſalmi ſecundi diſerta extat mentio. Qvis autem Pſalmis numeros primus adjecerit, non facilè dixero. *Hilarius* certè ſuâ in Pſalmos præfatione p.334. teſtis eſt, hoc factum eſſe 70 interpretum opera. Alios autem ſcripturarum divinarum libros, in certa capita, numeris ſignata, non fuiſſe priſco ævo tributos, teſtimoniis *Auguſtini* & *Gregorii Magni* liqvidò certum eſt. Etenim *Auguſtinus* lib: 2. retract: c. 24. dicit ſe ſcripſiſſe, *à principio Geneſeos, uſq; ad primorum parentum è paradyſo expulſionem*, qvod nos juxta receptam hodie Bibliorum partitionem diceremus, *in priora tria capita Geneſeos*. *Gregorius* vero in prologo lib.1.Reg. ait, exponere velle ſe librum Regum, *à principio uſq; ad Davidis unctionem*: hoc eſt; commentario illuſtraturum ſe quindecim priora libri 1. Regum capita, *& magnam capitis decimi ſexti partem*. Qvod eſt indubitato documento, priſcis Patribus noſtram in capita diſtributionem ignotam fuiſſe; ejus verò loco allegatione particularium hiſtoriarum uſos.

Qva autem priſci Patres uſi ſint ſacrorum librorum partitione, uſitatâ hodiè capitum diviſione adhuc ignotâ, non facilè dixero: nimia enim hìc occurrit varietas: alii enim alium ſecuti ſunt partiendi modum.

Svidas teſtis eſt, *Evangelium Matthæi* ſectum fuiſſe in τίτλους ξή, κεφάλαια τνε, in titulos 68, & capita 355: *Marci*, in τίτλους μή, κεφάλαια λϛʹ, in titulos 48, & capita 36. (qvanqvam hìc mendum ſubeſſe, non ſine cauſa cenſet Caſaubonus, Serarius, & his ætate prior, Sixtus Senenſis, qvi l.3.Bibl. ſanct.ponit cap.235:) *Lucæ*, in τίτλους πγʹ, κεφάλαια τμή; in titulos 83, & capita 348: *Iohannis* in τίτλους ιή, κεφάλαια σλβ; in titulos 18, & capita 232. Unde diſcere nos jubet *Caſaubonus* ſuis in N.T. notis, majores partes à priſcis vocatas fuiſſe τίτλους, minores κεφάλαια, contrà qvàm nos hodiè facimus. Conſentit *Cæſarius*, frater Nanzianzeni, qvi ait in qvæſtionibus: Τέσσαρα ἡμῖν ὑπάρχει Εὐαγγέλια κεφαλαίων χιλίων ἑκατὸν ἑξήκοντα δύο. hoc eſt: *Quatuor nobis ſunt Evangelia, quæ mille centum ſexaginta duobus capitibus conſtant*. Ammonius Alexandrinus Evangeliorum qvatuor enarrationem diſtribuit in capita XIX. Tatianus Alexandrinus harmoniam IV Evangeliorum in capita 181 ſecuit. Euſebius Cæſarienſis univerſam qvatuor Evangeliſtarum hiſtoriam in X digeſſit Canones,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

hoc fine, ut monſtraret, in qvo Evangeliſtæ aut inter ſe ſimilia promerent, aut ſeorſim unuſqvisq; propria diceret.

Hilarius alium ſecutus ductum, Evangelium Matthæi diviſit in Canones 33. Ambroſius Evangelium Lucæ ſecuit in titulos 165. Oecumenius ſine ullâ τιτλων mentione, ubiq; ſervat capitum diſtinctionem, enarraturus libros N.T. ſed diverſiſſimam ab eâ, qvæ hodie recepta eſt: Nam numerat Actuum Apoſtolicorum capita 40. Epiſtolæ ad Romanos capita 20: prioris Epiſtolæ ad Corinthios capita 9: poſterioris epiſtolæ ad Corinthios capita 10. Epiſtolæ ad Epheſios capita 10. Epiſtolæ ad Philippenſes capita 6. Epiſtolæ ad Coloſſenſes capita 10. prioris ad Theſſalonicenſes capita 7. poſterioris ad Theſſalonic: capita 6. prioris ad Timotheum capita 18. poſterioris ad Timotheum capita 9: Epiſtolæ ad Titum capita 6: ad Philemonem capita 2: Epiſtolę ad Hebræos capita 22. Epiſtolæ Iacobi capita 7. prioris Petri epiſtolæ cap. 8: poſterioris epiſtolæ capita 4. primæ epiſtolæ Johannis capita 7. ſecundæ capita 2. tertiæ capita 3. Epiſtolæ Judæ capita 3. Qvæ ſacrarum literarum tributio, ſervata ab Oecumenio, non obſcuro eſt indicio, capita, qvod vult Caſaubonus, non ſemper notare minutiores ſectiones; cùm Oecumenius non rarò habeat diductiora capita, qvàm qvæ hodiè in Bibliis exſtant: Nam Epiſtolam priorem ad Corinthios abſolvit 9 capitibus, cùm aliàs ſedecim capitibus conſtet. Arethas, Epiſcopus Cæſarienſis, Apocalypſin diſpeſcit in capita 72. Liqvet hinc, qvàm variarint priſci in diſtribuendis libris ſacris, dum jam in titulos, jam in canones, jam in capita diſpariter ſecuerunt, penitùs abeuntes ab eâ, qvæ hodiè obtinet, librorum ſacrorum in capita diviſione: qvæ qvando primùm inventa, jam inqvirere conabimur.

De inventore ſectionis ſacrorum Bibliorum in capita, hodiè uſitatæ, qvando movetur qvæſtio, res proponitur valdè dubia, & qvæ haut facile deciditur. Extra controverſiam certum eſt, numeralem illam in capita diviſionem Bibliis Latinis non eſſe coævam. Certè Patres Latini arithmeticâ illâ capitum ſectione non ſunt uſi: & in Latinis Bibliis manuſcriptis, ſaltem antiqvioribus & melioribus, nulla planè extat capitum diſtinctio. Cujusmodi optimum exemplar in Cœnobio Affligenſi, qvod non longe diſtat ab urbe Bruxellenſi, inveniri teſtis eſt Arias Montanus, comment. in cap: 14. Eſa: pag. 316. Cæterùm teſtis eſt Sixtus Senenſis lib. 3 Bibliothecæ ſanctæ pag. 158, ſe in exemplaribus latinis Bibliorum, qvæ ab anno ſalutis noſtræ milleſimo prodierũt, duplicem inveniſſe capitum enumerationem. Altera uti vetuſtior eſt, ita numeroſior: juxta qvam Evangelium Matthæi, in vetuſtis etiam impreſſis codicibus, continet capita nonaginta qvatuor: Evangelium Lucæ capita centum & ſeptem: Epiſtola ad Romanos capita qvinqvaginta. Altera eſt recentior, in omnibus impreſſis exemplaribus hodiè uſurpata. Qvæ in capita numeralia diſtinctio cui tribuenda ſit, ex hiſtoricis fide dignis certò oſtendere vix licet. Sunt qvi hujus diſtinctionis auctorem conſtituant *Arlottum*, natione Etruſcum ordinis minorum miniſtrum generalem, qvi floruit ſub Adolpho Imperatore, anno Domini 1290. Ego ſeqvi malo *Genebrardum* in Chronologia, pag. 644, *Sixtum Senenſem* Bibl. ſanct. l. 4. pag. 254, *Serarium* in proleg. Bibl: cap. 26. q. 10. p. 182, qvi cenſent Hugonem Cardinalem, natione Burgundum, profeſſione Dominica-

num

num abſolutis in Biblia commentariis, elucubraſſe Biblicarum concordantiarum opus, numeratis non ſolum libris, ſed etiam librorum capitulis & lineis.

An vero probanda ſit recepta capitum appellatio, diſputari video. *Henricus Stephanus* ſuâ in N.T. Græcum præfatione, ut & ſuo ad concordantias Græcas N.T. prologuio, magis probat τμημάτων, ſeu ſectionum appellationem. Nec valdè diſſentio, inprimis ubi ſummaria rerum, qvæ tradentur, compræhenſio non præmittitur. Nam olim κεφάλαια dicebantur, qvòd certus capitulis ſingulis præſcriberetur titulus, in qvo κεφαλαιοδῶς ſeu ſummatim res tota contineretur: rerum enim aliqvarum ſumma κεφάλαιον eſt, annotante Suida. Ubi itaq; ejusmodi ſumma rerum tractandarum non præmittitur, minùs commoda eſt vocis κεφαλαίȣ ſeu capitis uſurpatio. Quæ etiam res effecit, quòd Stephanus τμήματα ſeu ſectiones maluerit appellare, qvàm κεφάλαια ſeu capita. Sed circa vocum uſum nos faciles eſſe convenit.

A *capitibus*, in Bibliis hodiè uſitatis, ad *verſus* jam receptos accedim⁹; de qvorũ auctore atq; auctoritate anteqvam dicamus, operæ pretium eſt moneamus; verſus priſcis Patribus uſitatiſſimos fuiſſe, ſed ſine numeri aſſignatione. Nam *Hieronymus*, tùm ad Furiam, tùm præfatione in paralipomena & Eſaiam, *Auguſtinus* libro qvem inſcribit, ſpeculum ex utroq; Teſtamento, *Caſſiodorus* l. 1. inſtit: divin. cap. 12. verſuum Biblicorum meminerunt. Non diſputabo jam, *an unus, certus & definitus fuerit quondam vocum in ſingulis verſibus numerus?* Impeditior eſt quæſtio, quàm ut à me ſolvi poſſit. Notum eſt priſcos auctores, tàm profanos, qvàm ſacros, magnitudinem operum numero verſuum non raró menſuraſſe. *Laërtius* in vita Ariſtotelis teſtatur, ſcripta ejus compræhendiſſe 445270 verſus. Ciceronis etiam ſcripta, numero certo verſuum compræhenſa fuiſſe, teſtis eſt in commentariis *Aſconius Pedanus*. Quin & in ſacrorum ſcriptorum libris idem obſervatum eſſe, notius eſt qvàm ut negari poſſit. *Hieronymus* ſcribit, *Origenem* ſcripſiſſe in cantica canticorum verſuum propè viginti millia; *Nanzianzenum* concluſiſſe ſua opera triginta verſuum millibus: *Hilarium* in Pſalmos ex Origene, mutuatum quadraginta ferè verſuum millia. Hinc qvæſitum, an ejusmodi verſus certo numero vocum conſtiterit? *Lipſius* motâ hac qvæſtione Epiſtola 39. Centur. 3. Miſcell: reſpondet: *Haremus*. Sixtus Senenſis Bibl: ſanct: lib. 3. pag. 157. 158, & hunc ſeqvutus Salmeron proleg: IX. in N.T. canone 22. cenſet, veteres diſtinxiſſe verſus pari dictionum numero conſcribentes in qvolibet fere verſu ſex dictiones, partim monoſyllabas, partim polyſyllabas. Qvod è libro *Auguſtini*, qvi inſcribitur *ſpeculum ſcripturæ*, liqvidò conſtare putat. Sed fallitur *Sixtus*, vir alioqvin ſagax & doctus: nec enim tale qvid inibi invenitur: qvod etiam doctè docuit & diduxit Serarius proleg. in Biblia c. 26. qvæſt. 19. pag. 187. 188. 189. Veriſimilior eſt reſponſio, veteres nomine verſuum periodos intellexiſſe, ſed diſpari dictionum ſyllabarumq; numero conſtantes.

Sed his miſſis, qværimus: *quis ſit auctor verſuum, qui hodie in Novo Teſtamento viſuntur?* Qvod nemo nos certiùs docere poterit auctoris filio, *Henrico Stephano*, qvi patri *Roberto Stephano* acceptam refert hanc, qvâ hodiè utimur, verſuum diſtinctionem. Adſcribemus verba, qvæ extant in præfat: *Concordan-*

tia-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

tiarum Græcarum N.T. & ita habent. *Vltimum, quod Pater meus Robertus Stephanus in literas bonas, vel potius in earum lectores, contulit beneficium, minùs aliis fuiſſe qvi judicant, non inſagaci eſſe judicio videntur. Id, cujus honorificam mentionem facio, beneficium, illud eſt, quod qvum Teſtamenti Novi libri in Tmemata, quæ capita vulgo vocantur, diviſi eſſent, ipſe horum Tmematum unumquodq; in Tmematia diviſit, vel potius ſubdiviſit: quæ appellatione ab aliis magis quàm ab ipſo probata, verſiculi vocata fuerunt. Nam ipſi vel Græca illa voce Tmematia, vel Latina, quæ illi reſpondet, ſectiunculas, nominare magis placebat. Illam enim veterem Commatum in Oratione appellationem (Ciceroni inciſorum) ad alium reſtringi uſum videbat. Verùm, ut his paucis, de nomine contentus ſim, at de re ipsâ plura dicam: initium à duobus ſumam, quorum utrum magis mirari debeas, dubitabis. Vnum eſt, quod Lutetiâ Lugdunum petens, hanc, qua de agitur, Capitis cujusq; catacopen cõfecit, & quidem magnam ejus, inter equitãdum, partem: Alterum, quod illum paulò ante de hac cogitantẽ pleriq; omnes incogitantem ajebãt: perinde ac ſi in re prorſus inutili futura, ideoq; non tantùm nullã laudem conſeqvutura, ſed in deriſum ventura, ponere tempus atq; operam vellet. At ecce, contra eorum damnatricem inſtituti patris mei opinionem, inventum illud ſimul in lucem, ſimul in omnium gratiam venit: ſimulq; in tantam auctoritatem, ut quaſi exautorarentur, aliæ Teſtamenti novi, ſive Græcæ, ſive Latinæ, ſive Gallicæ, ſive Germanicæ, ſive in alia vernacula lingva editiones, quæ inventum id ſeqvutæ non eſſent.* Qvod encomium, *Roberto Stephano*, à filio Henrico Stephano tributum, minus verum eſt, ſi hoc agit, hoc urget hac ſuâ commendatione *Henricus Stephanus*, ut verſuum Biblicorum diſtinctio paternum εὕρημα agnoſcatur. Nec enim qvisqvam adeo parum verſatus eſt in meliore antiqvitate ut neſciat, text⁹ ſacri in verſus diſtributionem, Patribus & notam & uſitatam fuiſſe. Nota ſunt hæc Hieronymi ad Furiam verba: De ſcripturis ſacris habeto fixum verſuum numerum. Et qvis neſcit, qvod in plurimis vetuſtis, ut & recentibus, novi Teſtamenti Græcis exemplaribus, libris ſingulis ſubſcriptus inveniatur verſuum numerus. Exempli causâ: Epiſtolæ priori ad Corinthios invenies in pluſculis exemplaribus ſubſcripta hæc verba, ἐν ϛίχοις ωος, id eſt, in verſibus 870; poſteriori ad Corinthios, ἐν ϛίχοις φϛ, id eſt in verſibus 590: Epiſtolæ ad Galatas, ἐν ϛίχοις σϟγ, id eſt in verſibus 293. Qvocirca Robertns Stephan⁹ non poterit eſſe primus diſtinctionis text⁹ in verſus auctor. Hoc autem ſi vult *Henricus Stephanus*, patrem *Robertum* eam verſuum Biblicorum numeralem diſtinctionem, qvæ hodiè obtinet, primùm adinveniſſe, faciles conſentiemus.

Qvod ſi qvis qværat; *an quæ hodie uſitata eſt verſuum Biblicorum tributio, exactè reſpondeat verſibus, priſco ævo uſitatis:* id vix ulla veritate dicere licebit. Liqvebit hoc vel ſolius Auguſtini teſtimonio. Is namq; in libro qvi vocatur *Speculum utriusq; Teſtamenti*, agens de Pſalmis, clarè oſtendit, qvòd hodierna verſuum diſtinctio à priſcâ illâ qvàm maximè diſſideat. Citans è Pſalmo 99. hæc verba: *Scitote quoniam Dominus ipſe fecit nos & non ipſi nos:* addit: *Et poſt unum verſum: Ingredimini portas ejus in gratiarum actione, atria ejus in laude confitemini.* At hæc, qvæ jam recitata eſt periodus, non eſt abjuncta à ſententiâ proximè præcedente interjecto uno verſu; ſed eſt verſus, qvi in hodi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ernâ verſuum diſtinctione immediatè ſeqvatur, hemiſtichio ejuſdem verſus tantùm interpoſito. Recitat etiam *Auguſtinus* è Pſalmo 118 hæc verba: *Et levabo manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, & loquar in præceptis tuis.* Subjungit verò: *Et poſt quatuor verſus: A lege tuâ non declinavi:* qvi tamen verſus à priore illo, non quarto, ſed tertio tantum verſu in receptâ hodie Biblicorum verſuum diſtinctione diſtat. Adducit qvoq; laudatus aliqvoties Pater, Pſalmum 149, & ubi citaſſet hunc hujus Pſalmi verſum: *Lætetur Iſraël in factore ſuo: &c:* ſubnectit qvæ ſeqvuntur: *Et poſt tres verſus; Exaltabit manſuetos in Ieſu: Exultabunt ſancti in gloria:* Sed verò qvi ultimò adddductus eſt verſus, non eſt quartus, ſed tertius à priore verſu, in eâ, quæ hodiè probatur, verſuum diſtinctione. Nihil dicam de numero verſuum, qui epiſtolis Apoſtolicis ſubſcriptus invenitur in pluſculis exemplaribus Græcis, vetuſtis pariter & recentibus, qvi non reſpondet numero verſuum hodiè recepto. Extra controverſiam itaq; certum eſſe debet, qvòd hodierna verſuum in Bibliis diſtinctio numeralis, à priſcâ illâ, quàm maximè diſſideat.

Nolo operoſiùs excutere controverſiam, *de receptâ verſuum appellatione.* Robertus Stephanus, Pater, & Henricus Stephanus, filius, tmemata vel ſectiunculas, alii ſimpliciter numeros, alii, ut Scaliger, in libris de emendatione temporum & Heinſius exercit: in Nonnum, commatia vel commata, malunt appellare. Nos de voce nemini litem volumus motam, ſeqvuti uſum, penes qvem eſt vis & norma loqvendi.

Accedimus ad *uſum receptæ partitionis Bibliorum in capita & verſus:* qvem planè nullum eſſe ſi dixerimus, aſſertionem vix tuebimur. Ecquis enim negare poterit, qvin crebrò uſu veniat, ut quiſpiam ſciat, in qvo Biblico libro certa aliqua ſententia contineatur, & tamen aliquando per duos pluresvè dies eandem inveſtiget, fatigetq; ſe non parùm anteqvam inveniat. Quo labore facile ſe expedit, qui adminiculari ope concordantiarum, qvas vocant, juvatur, imprimis ubi ſingulæ voces ordine alphabetico, ita annotatæ ſunt, ut tàm capita, quàm verſus adſcribantur. Veluti vero hic eſt fructus non contemnendus receptæ partitionis Bibliorum in capita & verſus: ita grande incommodum eſt diviſionis iſtius, quæ hodie obtinuit, qvòd quæ conjungenda eſſent, non raro ſejungantur, & ſejungenda conjungantur. Quod non poteſt non dolenter ferre, qvi artificioſiſſimas Apoſtolorum, præſertim Pauli, epiſtolas, cum curâ legit, in qvibus ſententias aptiſſimè connexas, receptâ capitum & verſuum diſtributione, contra mentem ſcriptoris, imperitè ſeparari, qvi non videt, nihil videt.

Antequam concludamus, verbo monemus, qvòd recepta hodie *epiſtolæ Iacobeæ, in capita diſtributio*, à priſcâ illâ hujus epiſtolæ diviſione qvam maximè abeat. Docebit hoc nos quàm clariſſimè *Oecumenius*, qvi epiſtolam Iacobi in ſeptem capita ſecuit, & qvid unoquoq; contineatur, his verbis docuit:

Κεφάλαια τῆς Ἰακώβου καθολικῆς ἐπιστολῆς.	Epiſtolæ Catholicæ Jacobi capita.
α. Περὶ ὑπομονῆς καὶ πίστεως ἀδιακρίτου καὶ περὶ τῶν ἀπὸ φερ-	I. De patientia & fide nihil hæſitante aut dijudicante &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

φροσύνης πρὸς πλουσίους· ἐν ᾧ περὶ τῆς ἐν ἡμῖν πυρώσεως, καὶ τῶν ἐξ αὐτῆς παθῶν, ὅτι οὐ παρὰ Θεοῦ τὸ αἴτιον· εἴ τι γὰρ ἀγαθὸν ἡμῖν, παρ' αὐτοῦ.

& de animi modeſtia ad divites: in qvo etiam tractat de tentatione qvæ in nobis eſt, & affectibus eam conſeqventibus, qvod non ſit cauſa ex Deo: ſi qvid enim boni nobis eſt, id ab eo eſſe dicit.

β. Περὶ πρᾳότητος καὶ ἁγνείας καὶ πράξεως ἀγαθῆς μεταδοτικῆς ἐπὶ μακαρισμῷ, καὶ περὶ ἐπιστήμης, καὶ συμμετρίας λόγου.

2. De manſuetudine ac innocentia, & actione bona quæ conducit ad beatitudinem, & de ſcientia ac mediocritate ſermonis.

γ. Περὶ τῆς πρὸς ἕκαστον ἀγάπης ἀπροσωπολήπτου κατὰ λόγου.

3. De charitate erga unumquemque ſine reſpectu perſonæ ſecundùm legem.

δ. Ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐξ ἔργων, καὶ οὐκ ἐκ θατέρου ἰδικῶς, ἀλλ' ἐξ ἀμφοῖν ἅμα δικαιοῦται ἄνθρωπος.

4. Quod non ex ſola fide, ſed etiam ex operibus, & non ex altero ſeorſim, ſed ſimul ex utriſq; juſtificatur homo.

ε. Ὅτι ἡ προπετὴς καὶ ἄτακτος γλῶττα θανατοῖ τὸν κεκτημένον, ἧς κρατεῖν ἀνάγκη εἰς εὐφημίαν καὶ δόξαν τοῦ Θεοῦ· ἐν ᾧ περὶ ἀναστροφῆς ἀγαθῆς καὶ ἀμάχου πρὸς ἀλλήλους ἐκ φιλοδοξίας τῆς ἐπὶ σοφία ἀνθρωπίνη, καὶ περὶ θείας σοφίας, καὶ ὅτι ἐκ ῥαθυμίας, καὶ φιληδονίας ἔρις καὶ ἀκαταστασία, καὶ ἡ πρὸς Θεὸν ἔχθρα, καὶ περὶ μετανοίας εἰς σωτηρίαν, καὶ περὶ τοῦ μὴ κρίνειν τὸν πλησίον.

5. Qvod præceps & incompoſita lingva, enecat eum qui ipſam nactus eſt: qvam vincere neceſſe eſt ad laudem & gloriam Dei: in quo & tractat de bonâ converſatione, & ſine rixa unius adverſus alium, ex gloriæ cupiditate propter ſapientiam humanam: & de divinâ ſapientiâ: & quod ex ſocordia & voluptatum amore oriantur lites ac ſeditiones & inimicitia adverſus Deum, & de reſipiſcentia ad ſalutem, ac de non judicando proximum.

ϛ. Ὅτι οὐκ ἐκ ἀνθρώπω, ἀλλ' ἐν θεῷ τὰ διαβήματα ἀνδρὸς κατευθύνεται· ἐν ᾧ περὶ πλεονεξίας πλουσίων, καὶ τῆς ἐν κόσμῳ τρυφῆς αὐτῶν, καὶ περὶ δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ.

6. Quod non per hominem, ſed per Deum greſſus viri diriguntur: in quo etiam tractatur de avaritiâ divitûm, & ipſorum delitiis in hoc mundo, ac de juſto Dei judicio.

ζ. Περὶ μακροθυμίας καὶ ὑπομο-

7. De patientia ac tolerantia af-

νῆς ſli-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

τῆς παθήματα, καὶ περὶ ἀληθείας· ἐν ᾧ παραινέσεις ἰδικαὶ ἑκάστῳ προσήκουσαι μετὰ πίστεως, καὶ ὅτι διακονητέον τῇ τοῦ πλησίον σωτηρίᾳ.

flictorum, & de veritate: in quo ponuntur ſpeciales adhortationes cuiq; convenientes cum fide: & qvod inſerviendum eſt ſaluti proximi.

E quâ Epiſtolæ Jabobeæ in capita diſtributione, ſervatâ ab *Oecumenio*, clarè conſtat, *Oecumenium* ſecuiſſe *primum caput* Epiſtolæ, hodiè receptum, in duo capita; *Secundum* verò *caput*, addito verſu primo capitis tertii, itidem diſtribuiſſe in duo capita; *tertium* autem *caput*, & quarti capitis 12 verſus in unum caput compegiſſe: quinq; etiam poſteriores verſus capitis 4, & 6 priores verſus capitis quinti, in unum coagmentaſſe caput: reliqvos vero capitis quinti verſus, capiti ultimo, hoc eſt ſeptimo incluſiſſe. Unde liqvet, qvàm variet priſca Epiſtolæ Jacobeæ in capita diſtributio ab illâ quæ hodie in omnibus codicibus obtinuit. Atq; hæc afferre libuit, & qvidem paulò operioſiùs, de Bibliorum ſacrorum in capita & verſus diſtributione, ut & priſcâ & hodiernâ Epiſtolæ Jacobeæ in capita partitione.

SECTIO QVARTA.

Ebræâné an Græcâ lingvâ ſcripta ſit hæc D. Jacobi Epiſtola?

MOvet hanc qvæſtionem *Serarius*, prolegom. in Epiſt: Jacobi pag. 5, & operosè eandem diducit *Lorinus* Jeſuvita, præfat: in epiſt: Jacobi cap. 7. pag. 4. 5: ſed ſine ullâ aut neceſſitate aut utilitate: tùm qvia nullus veterum nominari poterit, qvi hanc epiſtolam aliâ lingvâ, quàm Græca, conſcriptam dixerit: tùm qvia nulla neceſſitas urget, ut ſtatuamus Ebræo concinnatam eſſe idiomate. Nam ne qvidem veriſimile eſt argumentum, Jacobum ſcripſiſſe Ebraicè, qvia Ebræis ſcripſit. An enim dicemus, Pauli ad Romanos Epiſtolam, Latinè ſcriptam eſſe, qvia Romanis inſcripta eſt. Sed ſiſtimus, ne in mediâ luce lucernam accendere, & rem à nemine unqvam in controverſiam vocatam, probationibus ſtatuminare videamur.

SECTIO QVINTA.

Qvota ſit ordine Epiſtola Jacobæa inter Epiſtolas Canonicas?

SAt ſcimus, beatum *Lutherum* poſtpoſuiſſe hanc epiſtolam epiſtolis Petri & Johannis; nec neſcimus, optimum Lutherum aliâ non inductum fuiſſe causâ, quàm qvòd putarit Jacobum doctrinæ Paulinæ de gratuita juſtificatione, periculosè adverſari. A qva culpa cùm immunem credamus Jacobum Apoſtolum, videbimus qvem locum, inter epiſtolas Catholicas ſeptem, Patres priſci aſſignarint Epiſtolæ Jacobeæ. Patres non conſentiunt. Etenim Græcis Jacobi Epiſtola eſt inter canonicas prima, veluti legere eſt aqud *Euſebium* lib. 2. hiſtor: Eccleſ: cap. 22. & *Nicephorum* hiſt: Eccleſ: lib. 2. cap. 38. At in Latinis codicibus, qvi ante Hieronymi tranſlationem ſcripti fuerunt, Epiſtola Pe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ui prima primum in ordine locum tenuit, teſte *Hieronymo*, prologo in VII Epiſtolas Catholicas. Monet verò *Hieronymus*, velle ſe ſeqvi ordinem Græcorum, ita ut inter Epiſtolas iſtas catholicas 7. prima ſit Jacobi. Quo etiam loco, hoc eſt, inter 7 Catholicas epiſtolas primo, hanc epiſtolam in Bibliis [Lutheri Biblia ſi excipis] hodiè collocatam invenies. Quanquam in eo parum poſitum ſit, qvo Jacobi Epiſtola collocetur loco. Pontificii mordaciùs impetunt Lutherum, qvod Jacobum loco moverit. Sed expoſtulent oportet cum *Canone Apoſtolico*, quem maximi, præter meritum, faciunt, quippe qui canone 84 duabus Petri & tribus Johannis Epiſtolis, unam illam Jacobi ſubdit. Accuſent *Auguſtinum*, qui libro de fide & operibus cap: 14, eundem ſervat ordinem. Accuſent *Concilium Chartaginenſe tertium*, qvod canone 47. Jacobi epiſtolam Epiſtolis Petri & Johannis poſtponit. Accuſent *Concilium Tridentinum*, quod ſect: 4. in decreto de canone ſcripturæ, Epiſtolas Petrinas & Johannæas Jacobeæ præponit. Conciliare qvidem conatur hanc diſſentientium Patrum & Conciliorum ſententiam, de ordine epiſtolarum Catholicarum Eſtius præfat: in Epiſtolas Catholicas: ſed quâ veritate, quo ſucceſſu, judicent alii: ego aſſentiri non audeo.

Cæterùm non ſine cauſa quæſiveris, *quo nomine Epiſtola Iacobæa vocetur à priſcis ſcriptoribus inter Catholicas Epiſtolas prima?* Ordo certè dignitatem non arguit: ſic enim Johannes reliqvis Evangeliſtis cederet dignitate, qui tamen gradu Apoſtolico Marco & Lucæ præſtabat; cum interim ſcriptionis certitudine eſſent pares: Nam ſinguli à Spiritu Sancto acti ſcripſerunt 2. Petri 1. v. 21. Sed quia Johannes omnium poſtremus hiſtoriam Evangelicam ſcripto comprehendit, inde factum eſt, qvod ultimum, citra ullam injuriam, occuparit locum. Quam etiam temporis in ſcribendo habitam eſſe rationem cenſent interpretes propè omnes, quando Epiſtola Jacobæa inter 7 alias Catholicas nominatur prima: ſive qvod priùs ſcripta ſit, ſive qvod maturiùs quàm reliquæ, in numerum ſcriptorum Canonicorum relata ſit, annotantibus interpretibus, *Paezio*, *Iuſtiniano*, *Cornel. à Lapide*, aliis. Quanquam poſteriori rationi minus tribuam: nec enim priori epiſtolæ Petri ab ullo, ſed Jacobeæ à plurimis contradictum eſt. Prima itaq; creditur inter Catholicas, non quia omnium primò in canonem relata eſt, ſed qvia tempore, qvo ſcripta eſt, prior eſt. Nam ſi vera eſt interpretum Chronotaxis, Jacobus 6 annis ante Petrum, & 38 annis ante Johannem mortuus eſt. Volunt enim Jacobum obiiſſe annno Chriſti 63. Petrum 69. Johannem 101. Diſſentit *Pareus* prolog. 1. in Epiſt. Jac: pag. 5, ratus, Petrum ad fideles ex diſperſione, ſcripſiſſe primum, Jacobum lineas Petri imitatum eſſe, Paulum denique Epiſtolâ ad Hebræos duobus ſucceſſiſſe. Ego hanc litem non dirimo, ſed intactam relinqvo. Et hæc de ordine, quem inter 7 Epiſtolas Catholicas obtinet epiſtola Jacobæa, dicta ſunto.

SECTIO SEXTA.

Qvi interpretes hanc Epiſtolam commentario illuſtrarint, ſive breviore, ſive diductiore.

E Patribus pauculi extant, qui Epiſtolam Jacobæam commentario illuſtrârint. Com-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Commentatus quidem fuit in hanc Epiſtolam D. *Auguſtinus*, ipſomet teſte lib: 2 retractat. cap. 32: ſed commentarius iſte injuriâ temporis periit, aliàs auctori minùs probatus. Extant hodiè uti in Epiſtolam Jacobi; ita etiam in reliquas Catholicas, commentarii *Didymi Alexandrini*, præceptoris Hieronymi, inſerti tomo IX Bibl. patrum, edit: ult: Pariſ: *Bedæ*, *Oecumenii*: qvorum ille conciſiùs, iſte diductiùs, hic verò ſi non diffuſiùs, ſaltem doctiùs ſcripſit. E Pontificiis autem plures ſunt, qui hic ſudarunt, quàm ut facile numerari poſſint. Signabo præcipuos & mihi notos & lectos. Vetuſtiores interpretes Pontificii ſunt, *Thomas*, non quidem Aqvinas, [qvod cenſuit Serarius,] ſed *Anglicus*, [ut rectè obſervavit Corn: à Lapide,] *Hugo Cardinalis*, *Cajetanus*, *Lyranus*, *Eraſmus*: recentiores verò ſunt, *Alphonſus Salmero*, *Mariana*, *Emanuel Sa*, *Arrias Montanus*, *Serarius*, *Fevardentius*, *Tirinus*, *Menochius*, *Haræus*, & qvi præ cæteris diffusè & accuratè ſcripſere, *Balthazar Paez* Luſitanus, *Benedictus Iuſtinianus*, *Ioannes Lorinus*, *Cornelius à Lapide*, *Guilielmus Eſtius*. Theologi autem reformatæ Religionis, qui huic epiſtolæ enarrandæ ſuam impenderunt operam, ſi nõ omnes ſaltèm lectiores ſunt, *Calvinus*, *Beza*, *Benedictus Aretius*, *Bullingerus*, *Iunius*, *Druſius*, *Marloratus*, *Piſcator*, *Thomas Thukus*, *Anglus*, *Paræus*, *Interpretes Belgici*, *Daniel Heinſius*. E noſtræ confeſſionis hominibus non poſſum multos nominare, qui huic epiſtolæ commentatione ſuâ lucem intulerunt, præter *Flacium*, *Camerarium*, hîc parciſſimũ, *Lucam Oſiandrum*, *Hemmingium*, *Andream Oſiandrum*, *Cramerum*. Nos quæ alii attulere, veritati & menti noſtri Apoſtoli conſona, citabimus, probabimus, laudabimus: Si quæ verò occurrant, parùm aut ſana, aut certa, ea decenti modeſtiâ caſtigabimus. Et hæc ſunt, quæ de Epiſtolæ Jacobeæ expoſitoribus monenda cenſuimus.

SECTIO SEPTIMA.

Quæ ſcripti Jacobæi occaſio, quæ utilitas, quod Argumentum, quæ diviſio?

OCcaſio præſentis Epiſtolæ quæ fuerit, expoſituri interpretes, non ſatis cõſentiunt. *Balthazar Paez* & *Eſtius*, ſecuti, qvod putant, *Irenæum* lib: 1. cap. 20. & *Auguſtinum* lib. de fide & operibus cap. 14 cenſent, *Simonem Magum falsâ & fanaticâ ſuâ doctrinâ miniſtraſſe Apoſtolo Iacobo occaſionem concinnandi hanc Epiſtolam.* Cùm enim Samariæ (qvæ non longè diſtabat ab urbe Hieroſolymitana, cujus Eccleſiæ Divus Jacobus præfuit) peſtilentem hanc doctrinam diſſeminaret Simon Magus; quòd verâ fide cenſeri poſſet præditus, qui impuriſſimè viveret: D. Jacobus perículoſiſſimæ aſſertioni occurrendum eſſe ratus, præſentem epiſtolam adornavit, in qva, inter alia, oſtendit cap. ſecundo, non eſſe veram & vivam, ſed vanam & mortuam fidem, quæ non eſt ferax bonorum operum, ita ut ἀσύςατα ſint, quempiam vere fidelem eſſe, & interim nulli non turpitudini mancipatum. *Alii volunt, pravum verborum Pauli intellectum, de gratuita juſtificatione, incitaſſe D. Iacobum, ut huic epiſtolæ ſcribendæ manum admoveret.* Cùm namq; invenirentur, qui doctrinâ Paulinâ de Juſtitiâ, fide, ſine operibus, gratis obtinendâ in Chriſtô, ad effrenem peccandi licentiam abuterentur, quaſi fide Chriſto inſitis nulla piè & ſanctè vivendi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

incumberet neceſſitas: Apoſtolus peſtilentem errorem animis hominum exempturus, efficaciſſimè evincit, qvòd ſeipſos fallant, qui veram fidem, & bonorum operum contemptum, ſimul conſiſtere poſſe credunt. Cujus ſententiæ ſectatores pro ſe præfationem Auguſt: in enarrat: Pſ. 31 adducere ſolent. Ego nec annuo, nec abnuo. Hoc ſcio, quòd nec illa, nec iſta ſententia è συναφεία textus Jacobæi certò elici poſſit. Nam extra omnem controverſiam certum eſt, nec unicum, nec principem Apoſtoli ſcopum eſſe, oſtendere, quàm vana ſit Fides, à bonis operibus abjuncta. Nam iſti argumento, non niſi dimidia capitis ſecundi Epiſtolæ Jacobeæ pars ex profeſſo inſumitur. Ductum verò epiſtolæ Jacobeæ qui paulò diligentiùs expendit, haud difficilè obſervabit, non particularem hujus aut illius hæreſin, ſed partim crucem, quâ duriùs urgebantur ad Chriſtum converſi Judæi: partim blaſphemiam, qvâ nonnulli peccata ſua Deo transſcribebant; partim ſegnius ſanctioris vitæ ſtudium, incitaſſe Jacobum, ut hanc ad diſperſas Judæorum tribus mitteret Epiſtolam. Nam tribus iſtis rebus tractandis, univerſam propè Epiſtolam impendi, argumentum & diviſio Epiſtolæ non obſcurè docebunt.

Ab occaſione Epiſtolæ Jacobeæ ad *utilitatem* accedimus, de quâ non eſt quòd prolixiùs agamus. Momenta præcipua epiſtolæ velut in tabulâ ſignabimus, ut utilitas Epiſtolæ omnibus liqvidò pateat. Differit velut deditâ operâ Apoſtolus, *de cruce patienter ferendâ*, c. 1, à verſu 2, uſq; ad verſum 13; *de agnitione propriæ corruptionis*, à v. 13, uſq; ad v. 17: *de immenſâ Dei bonitate & liberalitate in rebus neceſſariis nobiſcum communicandis & nobis ad vitam æternam regenerandis* a v. 17. uſq; ad v. 19: *de lenitate in admittendâ alienâ inſtitutione ex verbo Dei* v. 19. 20. 21: *de verbi divini meditatione, conjunctâ cum ſtudio conformandi vitam ad verbum auditum & cognitum*, à v. 22 uſq: ad v. 26: *de linguâ frenandâ* v. 26. *de beneficentiâ erga afflictos, inprimis viduas & pupillos, exercendâ, & adhibenda circumſpectione in cavendâ mundi inquinatione*, verſu ultimo: *de* προσωποληψία *homini religioſo ſtudioſè vitandâ*, cap. 2. à verſu 1. uſq; ad verſum 12: *de rigidiſſimo jure lenitate & miſericordiâ temperando* v. 13. 14. *de verâ Fide, ſanctis operibus neceſſario declarandâ & oſtendendâ*, à v. 14. uſq; ad finem capitis: *de intempeſtivâ cenſurâ fugiendâ & vitando licentioſo magiſterio animadvertendi in alios, & linguâ coërcenda, & ſtudio pacis*, toto capite tertio: *de pugnis, bellis, contentionibus, ſummâ curâ cavendis*: v. 1. 2. 3. *de ſcortatione, ſingulari curâ fugiendâ*, v. 4. *de profligandâ è pectore pio invidiâ & ſuperbiâ, & contrario humilitatis ſtudio*, v. 5. 6. *de fervido conatu ſubjiciendi ſe Deo, & reſiſtendi Diabolo*, v. 7. 8. *de vitâ ſeriò emendandâ*, v. 9: *de ſerio ob peccata admiſſa dolore*, v. 10. *de obtrectatione fugiendâ*, v. 11. 12. 13 *de vitanda inani confidentia in negotiis ſuſcipiendis, & fiduciâ in Deo collocanda*, à verſu 14 uſq, ad finem capitis: *de cavendo divitiarum abuſu, metu ſeveri judicii Dei*, Cap. 5 â v. 1. uſq; ad 7: *de iniquo divitum dominatu, patienter ferendo*, à v. 7. uſq, ad 12. *de temerario juramento vitando*, v. 12: *de exercitiis hominis religioſi, tàm in rebus ſecundis, quàm adverſis*, v. 13: *etiam ubi ægrotat* à v. 14 uſq; ad v. 19. *de ſtudio convertendi fratres & ejus fructu*, à v. 19. uſq; ad finem capitis. Cùm itaque tot contineantur in hac Epiſtola ſalutares monitiones de rebus longè maximis, notius hinc eſt,

quàm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

quàm ut probatione ſit opus, utiliſſimam eſſe Epiſtolæ Jacobeæ lectionem.

Accedimus ad *Epiſtolæ Iacobeæ argumentum*; in qvo enarrando, non eſt qvod laborioſiùs occupemur, ſiquidem membratìm indicavimus, qvid hac contineatur Epiſtola, inſignes ejusdem utilitates quando proximè recitabamus. Verbo ut negotium expediamus: comprehenſio ſummaria Epiſtolæ eſt: *adverſitates æquo animo ferendas eſſe: cauſam peccatorum non eſſe in Deum tranſcribendam: vanam eſſe religionis & fidei gloriationem, quæ à ſtudio bonorum operum abjuncta eſt:* decere enim homines, Chriſtianam profeſſos religionem, ut vitia fugiant, & virtutes ſectentur: enumeratis ſigillatim, tùm vitiis, quæ averſabuntur; tùm virtutibus, in quibus ſe exercebunt. Quod eſt Epiſtolæ præſentis argumentum.

Reſtat *Epiſtolæ diviſio*, de quâ diverſas *Hugonis Cardinalis*, *Georgii Eideri*, *Phlacheri*, & aliorum ſententias non affero: res enim & tædioſa foret, & omni fructu caſſa. Ipſa Epiſtola Jacobæa ſatis docet, quod *duabus abſolvatur partibus*: quarum *prior eſt* ἐπιγραφὴ *ſeu inſcriptio, quâ indicatur quis ſcribat, quibus ſcribat, & quid his, quibus ſcribit, precetur.* *Poſterior*, quæ ſe à verſu primo primi capitis, ad finem uſq; Epiſtolæ diffundit, *complectitur ſalutaria illa monita, quibus hos, ad quos Apoſtolus ſcribit, cenſuit inſtituendos.* Quorum ſingularem enumerationem hîc non promo: partìm quia quadam parte præſtitum eſt, Epiſtolæ Jacobeæ utilitatem quando adſtruebamus: partìm quia in ipsâ Epiſtolæ enarratione utiliùs & concinniùs præſtabitur.

SECTIO VIII & ULTIMA.

Quâ de cauſâ hæc Jacobi Epiſtola, cum duabus Petri, & tribus Johannis, & una Judæ Epiſtolis, appelletur Catholica & ἐγκύκλιος?

EPiſtolæ ſeptem, Jacobi, Petri; Johannis, Judæ, ab *Origene*, monente Euſebio lib. 6. hiſt: Eccleſ: cap: 25, & ab *Athanaſio* in Synopſi, & à vetuſtioribus ſcriptoribus Latinis apellantur *Catholicæ*. Quâ cur inſigniantur nomenclatione, variant meliores ſcriptores, & harum Epiſtolarum Interpretes.

Prima ſententia eſt Oecumenii, qui Catholicas ſeu univerſales cenſet appellatas, quod non diſtinctè nuncupatæ ſint uni genti aut civitati: quemadmodum Paulus ſuas Romanis, Corinthiis, inſcripſit: ſed quòd inſcriptæ ſint universè fidelibus, ſive Judæis, iisq; diſperſis, Jacobi 1. v. 1, ſive etiam omnibus, Chriſtianam fidem profeſſis 2 Pet. 1. v. 1. Improbant ſententiam Oecumenii *Salmeron* diſp. 1. in Epiſtolam Jacobi, pag. 1. 2. & *Iuſtinianus* ſuâ in Epiſtolas Canonicas præfatione, pag: 1, & verè. Nam ſecunda Johannis Epiſtola, non minùs quàm reliquæ, à Patribus Catholica appellata, ἐκλεκτῇ κυρίᾳ, & tertia, inſigni viro Cajo inſcripta eſt. Non itaq; hæ Epiſtolæ dictæ ſunt Catholicæ, quòd omnibus omninò fidelibus inſcriptæ ſint: aliàs enim duæ poſteriores Epiſtolæ Johannis, ex hoc numero exturbandæ eſſent. Et cur qvæſo Epiſtola ad Hebræos, non eſt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

appellatâ Catholica, non minùs quàm Jacobi, Ebræis inſcripta? Qvid dicemus de Epiſtola priore Pauli ad Corinthios, quæ non ſolùm Græcis, ſed etiam omnibus nomen Dei in qvocunq; loco invocantibus, inſcripta eſt, 1. Corinth: 1. verſu 2?

Secunda ſententia eſt Salmeronis, qui diſput: 1, in Epiſt: Iacobi pag. 2. & Tirini præfat: in Epiſt. Catholicas pag. 492. & Cornel: à Lapide, præfat: in Epiſt: Iacobi, qui ſeptem illas Jacobi, Petri, Johannis & Judæ Epiſtolas Catholicas volunt appellatas, partìm quia univerſalem continent doctrinam; partim qvia univerſalium eſt auctorum, hoc eſt, Apoſtolorum, quos Deus miſit in univerſum mundum, doctrinam de Jeſu Chriſto ut ubiq; annunciarent. Rejicula eſt hæc aſſertio *Eſtio*, maximè verò *Iuſtiniano*: & jure meritiſſimo. Nam ſi dogmata & præcepta ſpectarentur, nonne Paulinæ Epiſtolæ etiam Catholicæ eſſent dicendæ, qvippe circa Catholica dogmata & communiſſima præcepta occupatæ? Sin dixeris Catholicorum auctorum eſſe Epiſtolas: cur qvæſo eadem appellatio Paulinis non tribuitur Epiſtolis, cùm Paulus, ut ipſemet teſtatur 2. Corinth: 11. v. 5, nihilo fuerit magnis Apoſtolis inferior, cura omnium Eccleſiarum ipſi divinitùs commiſſâ & commendatâ Gal: 2. v 7. 2 Cor. 11. v. 28? Salmeronis itaq; ſententia minùs vera eſt.

Tertia ſententia eſt Benedicti Iuſtiniani ſuâ in Epiſt: Canonicas præfatione, contendentis, has Epiſtolas vocatas eſſe Catholicas, ut hoc diſcerniculo diſtingverentur ab Epiſtòlis Barnabæ, Ignatii, Polycarpi, Areopagitæ, quæ paſſim circumferebantur: illas enim univerſa Eccleſia miro conſenſu ſemper approbaverat, has verò in canonem librorum ſacrorum nunquam retulerat. Ego verò licet facilè concedam, hanc inter ſententias adductas, maximè veriſimilē eſſe, non tamen probare poſſum juſto audaciorem aſſertionē, qvòd ſcilicet Catholicæ Epiſtolæ miro Eccleſiæ conſenſu ſemper approbatæ ſint. Hoc enim minùs vere dici, evicimus *Euſebii & Hieronymi* teſtimoniis, primâ ſectione adductis. Veriſimile interim eſt, has epiſtolas appellatas eſſe Catholicas, ex quo procedente tempore auctoritatem obtinuerunt, ut hac inſcriptione ab Epiſtolis, ab Eccleſia non approbatis diſcernerentur: niſi cum *Paræo* comment: in hanc Epiſtolam proleg. 1. pag. 3. 4. dicere malis, qvòd undecunq; hoc nomen invenerint, inconſideratâ conſuetudine potiùs, quàm ratione certâ id obtinuiſſe videantur. Quæ tamen aſſertio paulò durior eſt, in meliorem antiquitatem nonnihil injuria. Miſſam facio horum ſententiam, qvi voluerunt has epiſtolas Catholicas vocatas eſſe, qvod Catholicam doctrinam ſeptenario numero complectantur, qui numerus univerſitatem ſignificat. Qvæ de numero ſeptenario aſſertio, hoc loco ridicula eſt, indigna qvæ refutetur.

Antequam concludam, verbo indicabo, qvòd hæ Epiſtolæ ab Oecumenio non tantum καθολικαὶ, ſed etiam ἐγκύκλιοι ſeu *orbiculares* appellentur: non alia de cauſa, quàm qvòd paſſim & per omnia loca terrarum legendæ & crebro legendæ mitterentur. Sicut enim Judæi, & alii Eccleſiæ hoſtes, publicis reſcriptis fidem Chriſti moresq; Chriſtianorum ubiq; per orbem conabantur in odium trahere, teſte Hieronymo, præfat: in Epiſt: Pauli: ita ex adverſo Apoſtoli ſuis qvoq; literis in omnes mundi partes miſſis, fideles in ſu-

ſceptâ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ſcepta fide & agnitâ veritate confirmare allaborabant. Et hic eſto προλεγομένων terminus: Qvibus, adjuti à Chriſto Jeſu, ipſam Epiſtolæ ſubjungemus expoſitionem: in quâ, ne neſciat lector, *hic ſervabitur ordo: (1.) textus Græci verba diligenter expendentur & prementur: (2.) membrorum, quantum fieri poteſt, nexus oſtendetur; (3.) diſſentientium interpretum ſententiæ afferentur, & æſtimabuntur; (4.) Pontificiorum, Calvinianorum, Socinianorum, Arminianorum, aliorum, corruptelæ & ſtrabæ expoſitiones refutabuntur; (5.) doctrinæ ſervituræ his, qvi conciones ad populum habebunt, breviter ſubjungentur.*

CAPUT PRIMUM.
Argumentum & partitio capitis.

CApur *primum* conſtat ἐπιγραφῇ v. 1 *& parœneſi quadruplici. Prima eſt de cruce, æquò animo & patienter ferendâ:* adductis variis momentis, corda vel adamantina, non tam movere, quam permovere aptis, ne tentationum vi ac violentiâ, aut à Deo, aut à ſanctioris vitæ ſtudio, ſe abduci patiantur, à v. 2. ad v. 13. *Secunda eſt, de horum blaſphemiâ, qui peccata ſua Deo tranſcribunt*, qvos Apoſtolus efficaciſſimâ oratione confutat, à v. 13. ad v. 19. *Tertia eſt de Regeneratione, & mediis, quibus feliciter capta continuetur*, à v. 19. usque ad v. 26. *Quarta eſt de verâ & falsâ* θρησκείᾳ *ſeu religione* v. 26. 27.

Ἐπιγραφὴ Epiſtolæ.

v. I. Ἰάκωβος Θεοῦ καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦλος, ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ, χαίρειν.

v. I. JAcobus, Dei ac Domini Jeſu Chriſti ſervus, duodecim tribubus diſperſis, ſalutem.

QVâ *epigraphe* indicatur, tùm *qvis ſcribat*; tùm *quibus ſcribat*; tùm *qvid his, quibus ſcribitur, ſcriptionis auctor precetur.*

Qui ſcribit, & à *nomine proprio*, & *ab officio* deſcribitur. A *nomine proprio* ut ordiamur: pluſcula ſunt, qvæ hîc in qvæſtionem & controverſiam vocari poſſunt. *Primum eſt: An cujus hic præmittitur nomen, Apoſtolorum unus fuerit?* Qvam qvæſtionem qvia diducte tractavimus in prolegomenis, ſectione ſecunda: nolumus tædioſâ iteratione lectori moleſti eſſe. *Secundum eſt: Hic ne Iacobus, filius Zebedæi, an verò Alphæi filius fuerit?* De quâ controverſiâ, inter priſcos pariter ac recentes ſcriptores agitatâ, cùm prolixè egerimus in prolegomenis, ſect: 2, nolumus actum agere. *Tertium eſt: Scriptiné hujus tanta ſit auctoritas & certitudo, qvanta aliorum ſcriptorum ſacrorum verè Canonicorum?* Qvam qvæſtionem expedivimus in prolegomenis ſect: 1. quò lectorem remittimus, ne crebra iteratione tædium obrepat.

Officium ſcriptoris his indicatur verbis: Θεοῦ καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

δȣ̃λος. Ubi *quatuor* ſe offerunt, quæ expendi & expediri debent. *Primum eſt; An quia noſter ſcriptor ſe non vocat Apoſtolum, hinc certò colligat hoc loco Cajetanus, auctorem hujus Epiſtolæ non eſſe ex Apoſtolorum ordine unum?* Qvô telo qvi auctoritatem Epiſtolæ oppugnant, telo nimis obtuſo pugnant. Etenim Paulus neutra ad Theſſalonicenſes epiſtola meminit ſui Apoſtolatus: in epiſtola etiam ad Philippenſes, ut & in ea quæ eſt ad Philemonem, Apoſtolatum ſuum planè tacuit. Qvis verò volet hoc nomine iſtas epiſtolas Paulo Apoſtolo abjudicare? Nec Johannes in ſecunda & tertia epiſtola ſe honorario Apoſtoli nomine inſignit. *Secundum eſt: Qvâ ductus noſter ſcriptor ratione, non Apoſtolum, ſed ſervum Ieſu Chriſti, ſe ſcribat?* Fuſus eſt in hac re explicanda *Cornelius à Lapide* p. 10. 11. fuſior *Balthazar Paez* pagin, 15. 16. 17. 18. ſeq. Summa diſſertationis prolixioris eſt: Apoſtolum Jacobum, quem Paulus vocat Eccleſiæ columnam Gal. 2. v. 9, uſum eſſe *ſervi* appellatione, partim ob ſtudium humilitatis; partim qvòd more aliorum Apoſtolorum orbem univerſum prædicando non peragrârit, affixus qvaſi Judeæ & Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Ego verò cenſeo, hæc ſubtilia potius eſſe, qvàm ſolida: Nam ſcriptoribus iſtis divinis locutiones ſunt paris dignitatis, Apoſtolum eſſe & ſervum eſſe Jeſu Chriſti, veluti evincit collatio locorum Rom. 1. v. 1, Gal. 1. v. 1. 10. Philip. 1. v. 1. Tit. 1. v. 1. 2. Petr. 1 v. 1. *Tertium eſt; Qvo ſenſu Iacobus vocetur ſervus Dei & Chriſti?* Benedictus Juſtinianus contendit, Apoſtolum vocari ſervum Dei, jure tum creationis & conſervationis, cujus reſpectu verè dixit David Pſal. 119. v. 91 *omnia ſervire Deo:* tum redemptionis, juxta hoc Pauli 1. Corinth. 7. v. 23: *Pretio empti eſtis, ne ſitis ſervi hominum:* & Petri 1. Epi. 1. v. 18. 19. *Empti eſtis pretioſo ſanguine agni immaculati.* Qvæ expoſitio non probatur. Nam commune eſt officium omnium Chriſtianorum, in juſtitia ſervire Deo & Chriſto, tanqvam qvi empti ſint pretio ſanguinis Chriſti, Luc. 1. v. 74. Rom. 6. v. 16. At ſingulari & magis reſtricto ſenſu Jacobus hic vocatur ſervus Dei & Chriſti, qvòd ſcilicet more & modo reliqvorum Apoſtolorum, in ſacroſancto divini verbi miniſterio, Deo & Chriſto ſerviat: qvo ſenſu Paulus Philip. 1. v. 1. Rom. 1. v. 1. & Petrus 2. Epiſt. cap. 1. v. 1. ſervi Dei & Chriſti vocantur. Qvam interpretationem inſinuat *Oecumenius*, probant verò *Paëz, Piſcator, Paræus, Cornelius à Lapide. Servus* itaq; *Dei & Chriſti* eſt Jacobus, quia ipſi cum reliquis Apoſtolis à Chriſto dictum fuit Matt. 28 v. 19. 20. *Profecti docete omnes homines, docentes eos obſervare omnia, quæ præcepi vobis.* Hoc eſt miniſterium, circa qvod, tanqvam fidus Dei & Chriſti ſervo, Jacobus debebat occupari. *Qvartum eſt; Diviſimnè debeant legi verba, Servus Dei & Chriſti; ita ut doceatur Iacobum tùm Dei, tùm Chriſti ſervum eſſe? an verò conjunctim, hoc ſenſu, qvod Iacobus ſit ſervus Chriſti, veri Dei?* Tres hìc invenio ſententias. *Prima eſt Lucæ Oſiandri, qvi hæc verba (& Domini noſtri Ieſu Chriſti) ab aliqvo, bono quidem animo, ſed non ſatis exqviſito judicio cenſet inſerta, ut huic epiſtolæ major auctoritas conciliaretur.* Qvam aſſertionem minùs tutam judico: nam reclamant omnia exemplaria, priſca & recentia, in qvibus hæc verba clarè tradita inveniuntur. Secunda ſententia eſt Oecumeni, Lyrani, Thomę, Hugonis, Titelmanni, Carthuſiani, qvi verba Jacobi cenſent disjunctim eſſe accipienda, ita ut vocetur ſervus, tum Dei Patris, tum

Domi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Domini noſtri Jeſu Chriſti. Unde colligit Oecumenius, quod ſi Apoſtolus Jacobus ex æqvo ſit Patris & Filii ſervus, ὁμότιμος ſit Patri filius καὶ κατ' οὐσίαν, καὶ κατ' ἐνέργειαν. Qvæ ſententia licet pia ſit; tamen veriſimile eſt Apoſtolum expreſſe nominaturum fuiſſe Patrem, ſi eum hic nomine Dei voluiſſet intellectum. Qvod etiam in inſcriptionibus Epiſtolarum ſolenne eſt ſcriptoribus Apoſtolicis, veluti videre eſt 1. Corinth. 1. v. 3. Galat. 1. v. 3. Epheſ. 1. v. 2. Coloſſ. 1. v. 2. 1. Theſſ. 1. v. 1. 1. Tim. 1. v. 2. 2. Tim. 2. v. 2. Tit. 1. v. 4. Philem. v. 3. *Tertia ſententia eſt Cyrilli lib. 12. Theſauri c. 14. qui verba Apoſtoli conjunctim accipit; ita ut Chriſti ſe profiteatur ſervum, quem & Deum & Dominum agnoſcit.* Cui ſententiæ non inviti accedimus; tùm qvia non inuſitatum eſt, Chriſtum junctim Deum & Dominum appellari Iohan. 20. v. 28; tùm quia diſerta hic non extat Patris mentio, qvod aliàs frequens eſt; tùm quia ſervit majeſtati Chriſti adſtruendæ. Qvod ſi qvis voce *Dei*, Patrem; appellatione verò *Domini*, Jeſum omninò velit deſignari: non inutile erit obſervare, qvòd Jeſus duplici nomine vocetur *Dominus*: Uno; qvia conditor noſter eſt Joh. 1. v. 1. 2. ſeq: qvo ſenſu vocula *Domini*, Patri, Filio, & Spiritui ſancto communis eſt. *Altero*; qvia nos ſuo ſangvine redemit, & ſibi in peculium acqviſivit: & hoc ſenſu & ſignificato ſolus filius eſt *Dominus*, monitore D. Paulo, 1. Cor. 8 v. 6 & Petro 1. Epiſt. 1. v. 18. 19. Et hâc etiam poſteriore acceptione uſurpatur vox Domini, qvando fit diſtincta mentio Dei & Domini Jeſu Chriſti. Qvæ obſervatio inſigne præſtabit adjumentum, in variis ſcripturæ dictis, à Socinianorum cavillatione & ſtrophis ſolidè vindicandis. Et hæc dicta ſunto de præſentis epiſtolæ autore, tum qvà nomen, tum qvà officium; jam explicandum eſt, qvibus noſter ſcribat Apoſtolus.

Qvibus D. Jacobus hanc inſcribat Epiſtolam, id ita ipſe indicat: ταῖς δώδεκα φυλαῖς, ταῖς ἐν διασπορᾷ. Hîc diſputatur, *quæ intelligatur diſperſio?* Notum enim eſt ex hiſtoria ſacra, Judæos varias perpeſſos eſſe diſperſiones. Etenim ante Chriſti adventum, decem qvidem tribus à Salmanaſſare Rege Aſſyriæ 4. Reg. 17, duæ vero reliqvæ, à Nabuchodonoſore, Rege Babylonis, exceptis pauperibus populi 4. Reg. 24. 25. in duram captivitatem abductæ; qvarum illæ, in univerſali diſperſione relictæ; hæ verò poſt 70 annorum captivitatem, in patriam reſtitutæ fuerunt. Exhibito autem in carne Chriſto, non ceſſavit diſperſio. Teſtantur enim acta Apoſtolica, qvod lapidato Stephano, orta ſit magna perſeqvutio adverſus Eccleſiam, qvæ erat Hieroſolymis, & omnes diſperſi ſint per regiones Judeæ, & Samariæ, præter Apoſtolos, Actor. 8. v. 1: ut taceam diſperſionem, cujus meminit Dei Spiritus Act. 18. v. 2. Nec hic conqvievit Judæorum diſperſio: Nam Titus Veſpaſianus Urbem Hieroſolymam tandem funditùs evertit, Judæis diſperſis & in diſperſione adhuc manentibus. *Quæritur jam, quæ hic intelligenda ſit diſperſio?* *Lorinus* in cap. 8. Act. Apoſtol. v. 1. & *Eſtius* hoc loco, diſperſionem intelligunt Aſſyriacam decem tribuum, & Babylonicam duarum tribuum. Contrà, *Beda*, *Bellarminus*, *Paëz*, illis ſolis Judæis cenſet hanc Epiſtolam inſcriptam, qui in prima Eccleſiæ Chriſtianæ perſecutione diſperſi ſunt, Stephano ob Chriſti maſculam confeſſionem jam occiſo, Actor. 8. v. 2. Qvam etiam ſententiam *Baronius*, *Fevardentius*,

dentius, Gagnejus probant. Ego nec illi, nec iſti ſententiæ accedendum puto; ſed utramq; jungendam eſſe ſvadet laxior, qvâ utitur Apoſtolus, loqvendi forma. Cùm enim D. Jacobus nominet ſine ulla reſtrictione duodecim tribus ἐν διασπορᾷ: ecqvis non facilè animadvertit, forma loqvendi laxiore clarè indicari, epiſtolam hanc inſcriptam eſſe omnibus Judæis, qvos aut captivitas Aſſyriaca & Babylonica, aut poſt mortem Stephani excitata perſecutio, in varias orbis plagas disjecit & diſperſit. Nam de diſperſione factâ per Titum Veſpaſianum nihil affirmare audeo, non ſatis certus, Iacobum tamdiu ſuperſtitem fuiſſe. Et hæc qvoq; ſententia probatur *Salmeroni, Calvino, Cornelio à Lapide, Paræo, Menochio, Tirino, interpretibus Belgicis.* Non inutiliter verò qvæſiveris: *cur D. Iacobus Epiſtolam ſuam non omnibus Chriſtianis, Iudæis pariter & Gentilibus, ſed duodecim tribubus diſperſis inſcripſerit?* Cauſa hæc videtur eſſe, qvòd Iudæi potiſſimùm fideli D. Iacobi inſtitutioni ac curæ concrediti fuerint: id enim non obſcurè colligitur è capite XV & XXI actuum Apoſtolicorum, ſi modò nominata Capita inter ſe mediocri diligentia conferantur. Qvò etiam ducere videntur ea, qvæ deſcripta inveniuntur in Epiſt. Pauli ad Gal. c. 2, v. 12 ſeq. Sed nec hoc prætermittendum eſt: *Scripſerit ne Iacobus omnibus Iudæis, fidelibus pariter & infidelibus?* Scinduntur in partes interpretes. Sed univerſus Epiſtolæ ductus clarè evincit, his ſcriptam eſſe Epiſtolam, qvi fidem Chriſti jam edocti erant. Nam hic eſt princeps Epiſtolæ ſcopus, monſtrare qvomodo Chriſtiani fidem ſuam teſtari & ornare debeant operibus ac exercitiis, quæ deceant Chriſtianam profeſſionem. Qvæ his fruſtra ſcriberentur, qvibus Chriſtus antea non eſſet cognitus. Nec dubitare licet, qvin inter Iudæos diſperos fuerint pluſculi, Chriſtum probè docti. Teſtantur id manifeſte acta Apoſtolica cap. 2. v. 5. ſeq. & 8. v. 1. 2. ſeq. & 15. v. 5. ſeq. & 21. v. 20. ſeq.

Supereſt paucis dicamus, de *ſalutatione*, qvâ inſcriptio Epiſtolæ clauditur, enunciata unica voce, χαίρειν. *Cajetanus* ex hac ſalutandi forma colligit, hanc epiſtolam non eſſe ab Apoſtolo ullo ſcriptam: Prophanos namque ſcriptores hac ſalutatione uti ſolitos eſſe, non item ſacros, teſtibus Apoſtolorum Epiſtolis, in qvibus longe alia uſurpatur ſalutandi forma. Verùm fallitur judicio *Cajetanus*. Nam conſimili ſalutandi formâ utuntur Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano, & qvidem in Epiſtolâ, qvæ communi cõſenſu ad Eccleſias mittitur: veluti videre eſt Actor. 15. v. 23. Qvod itaq; Iacobus eâdem hic utitur ſalutandi forma, qva uſi fuerunt Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano, cui non tàm interfuit, qvàm propè præfuit: indicio eſt valdè veriſimili, Iacobum Epiſtolæ præſentis auctorem eſſe. Nec ignota fuit hæc ſalutandi forma Iudæis, qvippe uſurpata & à Iuda, prodente Chriſtum Matth. 26. v. 49, & à miniſtris Iudæorum, illudentibus Chriſto Matth. 27. v. 29. Ioh. 19. v. 3. Utiliùs quæritur: *quid nomine gaudii quod Iacobus diſperſis precatur Iudæis, veniat intelligendum?* Certè nomine *gaudii*, non intelligit gaudium filiorum hujus ſeculi, de quô Chriſtus Luc. 12. v. 19: nec qvod pii percipiunt è corporalibus Dei donis & bonis Eccl. 3. v. 13. Sed gaudii nomine intellectum vult D. Iacobus, gaudium ſpirituale, qvod in eo conſiſtit, qvod homo in rebus tàm adverſis qvam ſecundis, ſpem in Deo unice defixam habeat; lætiſſimus in duriſſimis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

mis etiam caſibus, adeò ut æqviſſimo animo ferat omnium rerum, quæ uſpiam in mundo ſunt, jacturam, dummodò Deum in Chriſto Jeſu habeat faventem & propitium. De qvo gaudio diſſerentem lege *Chriſtum* Joh. 16. v. 22. & *Paulum* Gal. 5. v. 22. Rom. 14. v. 17, & alios ſcriptores θεοπνεύστους. Et hæc de ἐπιγραφῇ dicta ſunto: jam doctrinas ſtrictim ſubjungemus.

Doctrinæ. (1) Nomen ſuum ingenue profitetur *Iacobus*. Diſcamus, duriſſimo adverſitatum tempore, Chriſtum & ejus doctrinam ſine metu offenſæ & periculi animosè profiteri, memores & præmii, ſi fecerimus Matth. 10. v. 32. & pœnæ, ſi facere recuſemus Matth. 10. v. 33. (2) Teſtatur Jacobus ſe eſſe *ſervum Dei & Domini Ieſu Chriſti*. Unde *duplex* emergit obſervatio. *Una*; qvod non minus debeamus his credere, qvæ à D. Iacobo in hac Epiſtola promuntur, qvam ſi ipſum Jeſum coràm audiremus loqventem Luc. 10. v. 16. *Altera*; Summam eſſe gloriam ſervire Deo & Jeſu Chriſto. Dominus hic eſt Dominus Dominorum & Rex Regum Apocal. 19. v. 16. Cui qui fideliter ſervit, de vita æterna poſt hanc vitam obtinenda, qvàm certiſſimus eſt Matt. 25. v. 21. ſeq. (3) Scribit Jacobus *duodecim tribubus diſperſis*. Ubi gemina occurrit doctrina, ſtudiosè obſervanda. Prior eſt, Deum eſſe juſtum, qvi ſicuti qvondam minatus fuerat, diſperſurum ſe Iudæos inobedientes inter gentes Levit. 26. v. 33. Deut. 28. v. 64; ita idem opere impleverat. Poſterior eſt; noſtri eſſe officii conſolari afflictos. Jubet id Deus Eſa. 40. v. 1. & 51. 3; præit exemplo Chriſtus Luc. 4. v. 18. 19, fecere Apoſtoli 2. Corinth. 1. v. 4. & 7. v. 6. 1. Theſſ. 2. v. 11. id ut nos etiam faciamus, jubet Dei Spiritus 1. Theſſ. 4. v. 18. Gal. 6. v. 2. (4) E ſalutatione denique Apoſtoli, qvâ jubet diſperſos Iudæos χαίρειν, diſcimus; tùm qvanti æſtimandæ ſint piorum ſalutationes, & fauſtæ apprecationes Luc. 10. v. 6; tùm non eſſe omittendam hanc fauſta precandi conſvetudinem. Notum eſt, feciſſe id Jeſum Chriſtum Luc. 24. v. 36: feciſſe hoc Apoſtolos Rom. 1, v. 7. 1. Petr. 1. v. 2, Judæ v. 2: juſſiſſe Jeſum, idem ut faciamus Luc. 10. v. 6. Sed tempus eſt ut ad ipſas Apoſtoli παραινέσεις tranſeamus.

Parænesis I. de Tentationibus patienter ferendis v. 2. ob multiplicia, quæ inde proveniunt, commoda v. 3. 4. addita commonefactione, unde hæc patientiæ conſtantia petenda ſit, videlicet à Deo v. 5. ſed ſine hæſitatione, ac cum certa fiducia exauditionis v. 6. 7. 8.

v. 2. Πᾶσαν χαρὰν ἡγήσασθε, ἀδελφοί μου, ὅταν πειρασμοῖς περιπέσητε ποικίλοις.	v. 2. Pro ſummo gaudio ducite fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis.

HIc *primò quæritur: Quis ſit nexus inſcriptionis & præſentis paræneſeos?*

Concinnus ſanè eſt nexus inſcriptionis, anteà explicatæ, & præſentis adhortationis. Nam cùm Apoſtolus precatus eſſet ſuperiùs gaudium diſperſis Judæis; & qværere non injuriâ poſſent, qva ucritate afflictionibus preſſi gaudere juberentur: monſtrare jam aggreditur Apoſtolus, qvo jure jubeantur Iudæi, in medio afflictionum & tentationum æſtu qvàm maximè gaudere, imitatus magiſtrum Chriſtum Matthæi c. 5. v. 11. 12.

Secundò qværitur: *Quid nomine tentationum hîc veniat intelligendum?* Vox πειρασμȣ̃, qvæ in Græco eſt, ampli ſignificatus eſt, ac ortum trahit ἀπὸ τοῦ πειράζεσθαι, id eſt, tentando, ſeu experimentum capiendo de re aliqva, ſibi aut aliis ignota. Primitivum videtur eſſe πεῖρα, ſpecimen, experimentum: unde Demoſtheni, Iſocrati, aliis, uſitata locutio: πεῖραν διδόναι ſpecimen edere, documentum dare. Πειρασμὸς itaq;, haud qvicqvam aliud eſt, qvàm exploratio, inſtituta ad eliciendam rei ignotæ notitiam. Qvoniam verò qvi tentant, & rem non ſatis notam, aliqvo documento elicere allaborant; non omnes eodem fine tentant; fit ut pro diſpari tentatorum fine & inſtituto, alia tentatio dicatur eſſe bona ſeu probationis, qvæ à Deo eſt, & in ejus, qvi tentatur, commodum inſtituitur, Geneſ. 22. v. 1. Exod. 16. v. 4. Deut. 8. v. 22: alia verò mala, ſeu ſeductionis, qva homo ad malum perpetrandum incitatur à Diabolo & prava concupiſcentia Matth. 4. v. 1. 2 ſeq: Iac. 1. v. 13. ſeq. Apoſtolus autem noſter, rejecto poſteriore tentationum genere in verſum hujus capitis XIII, tantùm diſſerit impræſentiarum de priore illo genere tentationis, qvod à Deo eſt, & fidei probandæ cauſa inſtituitur.

Tertiò qværitur: *Quinam ſint* ποίκιλοι *iſti* πειρασμοὶ, *ſeu multorum ac diverſorum generum tentationes, quarum hic meminit Apoſtolus?* Tentationes non ſunt unius generis: aliæ enim ſunt *internæ*, aliæ *externæ*. *Internas tentationes vocamus omne illud, quo aut mens noſtra, aut voluntas, aut utraq; probatur & tentatur, fine eo, ut periculum fiat, velimus né Deo & pietati conſtanter adhærere.* Mentis certè tentatio longè maxima eſt, qvòd Deus ea menti proponat credenda, qvæ menti, ſibi relictæ, meriſſima ſunt ſtultitia: inter qvæ eminet hoc, condemnatum iri te, niſi in Chriſtum, eundemq; crucifixum, credideris 1. Corinth. 1. v. 18. 24. & 2. v. 14. Voluntatis itidem & affectuum tentatio graviſſima eſt, qvòd Deus ea homini præſcribat facienda, qvæ carni & affectibus ingratiſſima ſunt; qvalia ſunt, parentes & liberos, imò ſeipſum, abnegare, ac animam ſuam perdere, ut qvis Chriſti diſcipulus evadat, Matth. 16. v. 24. 25. *Externas autem tentationes quando nominamus, nihil non rei adverſæ intelligimus, quâ Deus exterius fidem & conſtantiam hominum probare conſuevit:* cujus generis ſunt, ſucceſſus impiorum, piorum multiplex crux & calamitas; Eccleſiæ perſecutio varia, & qvæ ſunt ejus cenſus alia. Et hæc eſt illa tentationum varietas, de qva hîc agit Apoſtolus: qvanqvam de externâ tentatione potiſſimum diſſerat, qvæ dicitur *varia*, qvòd miſeria miſeriam trudat, & calamitas calamitatem excipiat. Qvæ etiam Davidis, variis malis preſſi, qverela eſt, Pſalm. 42. v. 8.

Qvartò quæritur: *Quid ſit* περιπίπτειν ποικίλοις πειρασμοῖς? *Vox*

περι-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

περιπίπτειν, verbotim reddita, eſt circumcadere, ita ut ποικίλοις πειρασμοῖς περιπίπτειν verè dicatur, qvem tentationes diverſæ velut cingunt & circumdant, ita ut elabendi nulla videatur relicta ſpes. Qvomodo ſe adverſitatum tentationibus ſeptum & circumdatum conqveritur Rex Ezechias, qvando Hieroſolymam milite ſuo cingit Rex Senacherib Eſa: 37. v. 3. Ubi ergo homini non tantùm lucta eſt cum mente, qvæ ægré adducitur, ut credat verbo divino; & cum voluntate & affectibus, à quibus difficulter impetrare poterit velint ſe ſubmittere divinæ voluntati; ſed porrò pugnandũ etiam eſt cum Pſeudoprophetis, cum falſis fratribus, cum tyrannis, ita ut verſeris tanquam ovis in medio luporum Matth: 10. v.16. Rom: 8. v.36, omnibus rebus ad hanc vitam ſuſtentandam neceſſariis plane deſtitutus Heb. 11. v. 37, tum verè audies, juxta mentem Apoſtoli, quòd in varias incideris tentationes.

Qvintò quæritur: Cur jubeamur, varietatem iſtam tentationum pro ſummo ducere gaudio? In Græco eſt: πᾶσαν χαρὰν ἡγήσασθε: omne gaudium ducite: id eſt, nil niſi gaudium ducite eſſe afflictiones. Tantum abeſt debeamus animum deſpondere, variis preſſi tentationibus & afflictionibus, ut quàm maximè gaudere & velut exultim ludere debeamus. Conſimilia ſunt monita *Chriſti* Matth.5 v.11.12, & *Petri* 1. Epiſt.4.v.13. Cur vero pios in afflictionibus gaudere conveniat, qvi ſeqvitur verſu proximo tentationum uberrimus fructus, clarè docebit.

Doctrina. Urget Apoſtolus, ut in afflictionibus non tàm lætemur, quàm triumphemus. Jubet Chriſtus ut id faciamus, Matth.5. verſib.11. 12 Fecêre id Apoſtoli Act.5.v 41. Fecit id Apoſtolus Paulus 2.Cor.12 .v.10. Sed quia hoc eſt paradoxon carni & rationi humanæ, rationes hujus gaudii afferendæ ſunt: quæ ſunt innumeræ: ſed pauculas ſignabimus. Signum eſt afflictio, te eſſe è numero filiorum Dei, Ebr.12.v.6. Medium eſt, quo maligna natura coërcetur & caſtigatur, 2.Cor.4.v: 16, 1 Pet.4.v. 12. Medium eſt, quo Chriſto conformaris Heb.4. v. 15. Medium eſt, quo vitæ melioris & æternæ ſtudium in te accenditur, 2 Reg. 19.v.4, Jon.4.v.8, 2.Cor.4.v.17.18. Teſtimonium deniq; indubitatum eſt te poſt hanc vitam conſeqvuturum vitam æternam Mat.5. v.10.Rom.8.v.17, Jac.1. v.12.

v.3. Γινώσκοντες ὅτι τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως κατεργάζεται ὑπομονήν.	v.3. Scientes, explorationem fidei veſtræ parere tolerantiam.

HIc primò quęritur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus?* Juſſerat verſu præcedente, gaudendum eſſe quàm maximè in afflictionibus: Ne ſine juſtâ causâ id feciſſe videatur, jam promitur *geminus tentationum fructus*, plane comparatus ad excitandum in afflictis gaudium longè maximum.

Secundò quæritur: *Qui ſit prior ille tentationum fructus, qui gaudium in tentatis excitabit & accendet?* Indicat id Apoſtolus, quando ait, quòd tentatio ſit δοκίμιον πίστεως. Eſt autem δοκίμιον proprè experimentum, qvod ſumitur de metallis præſtantioribus, fine & ſenſu eo, ut liquidò conſtare poſſit, proba ſint

metal-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

metalla, an adulterina. Cui aſſertioni adſtruendæ ſervit hoc D. Petri 1 Epiſt. 1. v. 7. *Exploratio fidei veſtræ multo pretioſior eſt exploratione auri quod perit, & tamen per ignem exploratur.* Ubi fides comparatur auro optimo, cujus δοκίμιον conſtituitur ignis tentationis. Quocirca ne fides ἀδόκιμος & rejectanea putetur eſſe fides δόκιμος & proba, tentationis δοκιμασία opus eſt. Tentatio enim ſeu adverſitas eſt veluti Lydius lapis, ad quem fides exigenda eſt: non qvòd Deus neſciat, fides noſtra ſitné vera an ſimulata: ſed ut tum aliis, tum nobismetipſis, de fidei noſtræ ſinceritate & integritate conſtare poſſit. Nimis enim multi ſunt, qui fidem glorioſè jactant rebus ſecundis; ſed preſſi rebus adverſis, maximo ſuo malo ſentiunt, non niſi vanam de fide gloriationem, & non veram fidem fuiſſe. Notum eſt hoc Chtiſti Luc: 8. v. 17: *Ad tempus credunt, ſed tempore tentationis abſcedunt.* Quocirca ut tùm nobismetipſis, tùm aliis innoteſcat fidei noſtræ integritas, probatur tentatione, veluti igne. Ea enim fides eſt vera & viva fides, qvæ Deo non minùs in adverſis, quàm ſecundis, conſtanter adhæreat. Hinc illud Pauli Rom: 8. v. 35 ſeq: *Quid nos ſeparabit à charitate Chriſti? Num afflictio? num anguſtia, num perſeqvutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? ſicut ſcriptum eſt: Tui cauſa occidimur totum diem: reputati ſumus velut oves occiſionis. Sed in his omnibus amplius quâm victores ſumus per eum qui dilexit nos.*

Tertiò quæritur: *Qui ſit poſterior tentationis fructus & ſalutaris effectus, quem promit Apoſtolus, excitaturus in afflictis ſpirituale gaudium?* Eum his proponit verbis: δοκίμιον τῆς πίστεως κατεργάζεται ὑπομονὴν. Explicandum hic eſt: *quid voce* τῆς ὑπομονῆς *veniat intelligendum?* Origo vocis ſatis indicat, quid ſit ὑπομονὴ. Etenim is dicitur ὑπομένειν, qui preſſus Dei manu, Deum non refugit, tanquam tyrannum, & durum atq; iniqvum exactorem: ſed manum Dei, quâ urgetur, exoſculatur, ac ſub manu Dei ſe humiliat, & calicem tentationum, quem Deus porrigit ebibendum, libens ac lætus ebibit. Nam totum hoc nomine ὑπομονῆς ſeu patientiæ innui, exempla hominum, patientiâ illuſtrium, evincunt; videlicet *Iobi* c. 1. v. 21. *Davidis* Pſal: 44. v. 12. 13. ſeq. *Pauli* Rom. 8. v. 35. ſeq. Non ſine cauſa quæſiveris: *Quâ veritate tentatio dicatur parere patientiam?* Adverſari videntur exempla manifeſta, non tantum impiorum, qui preſſi graviùs adverſitatibus, Deo obmurmuraverunt; ſed etiam ſanctorum, qui mole adverſitatum oneroſiùs gravati, cum Deo importuniùs expoſtularunt, tanquam gravi injuria affecti. Fidem faciat aſſertioni *Iob* cap. 3. v. 12 ſeq: *David* Pſal: 77. v. 3 ſeq: *Ieremias* cap. 20. v. 7. 8. ſeq: Quomodo igitur conſtabit ſibi veritas aſſertionis Jacobeæ, quòd tentatio pariat patientiam, cum contra efficiat animos impatientes? Variant ſententiis interpretes, & ſe valde torquent, difficultatem expedituri. Tutiſſima reſponſio eſt; Afflictioni non eſſe proprium & perpetuum, parere patientiam: aliàs enim quotquot affligerentur, ſe manui Dei humiliter ſubmitterent: quod tantum abeſt fiat, ut multi tempore tentationis abſcedant, Luc. 8. v. 13. Non itaq; afflictio, quà afflictio eſt, ſed quà δοκίμιον fidei eſt, patientiam parit. Nomine autem δοκιμίου τῆς πίστεως, adoperantis ὑπομονὴν, intelligimus fidem tentatione

pro-

probatam. Nam fides, tentatione ſeu afflictione exercita, & deprehenſa ſincera, efficit, ut Deo in ſummis anguſtiis indivulsè adhæreamus. Notæ ſunt animoſæ voces hominum, qvorum fides tentatione explorata fuit; *Iobi* cap: 13. v. 15. *Etiam ſi occideris me, ſperabo in te:* Pauli Rom: 8. v. 35. Qvid nos ſeparabit à charitate Chriſti?

Qvartò qværitur; *adverſetur nè Iacobus Paulo?* Etenim Iacobi aſſertio eſt, δοκίμιον fidei adoperari patientiam. Contra docet Paulus Rom: 5. v. 4, qvod ὑπομονὴ adoperetur δοκιμὴν; qvæ videtur eſſe manifeſta pugna. Ludunt conciliationibus interpretes. Aliter *Beda* hoc loco, aliter *Thomas* Rom 5. v. 4, aliter *Iuſtinianus*, aliter *Eſtius* ſuis in hunc locum expoſitionibus, alii aliter Apoſtolos conciliare ſtudent. Ambagibus reſectis, ſvademus, ut cōſulantur Apoſtoli, qvorum verba, vel obiter inſpecta, pugnam diſſolvent. Non libet reſpondere cum Paræo & Cornelio à Lapide, comment. in hunc locum, & Scarpio in Symphoniâ Propheticâ & Apoſtolicâ, diverſæ ſignificationis voces eſſe δοκίμιον, qvo utitur Jacobus, & δοκιμὴν, quam uſurpat Paulus: nam illo ſignificari explorationem; hâc vero terminum explorationis, puta, ipſum experimentum, documentum, ſpecimen. Certè qui lingvam didicêre Græcam, ſatis norunt voces eſſe ejusdem ſenſus & ſignificati. Συνάφεια orationis, quæ eſt in utroq; Apoſtolo, univerſam difficultatem expediet. Etenim qvando Jacobus dicit: δοκίμιον πίστεως κατεργάζεται ὑπομονὴν; Jacobeæ aſſertionis ſenſus eſt; afflictiones, dum explorant fidem, gignere in nobis per fidem, tentationibus exploratam, tolerantiam, qvâ Deo in qvibusvis adverſitatibus indivulsè adhæremus. At quando Paulus ait; tolerantiam gignere δοκιμὴν; Apoſtoli Pauli mens & ſententia eſt, tolerantiam gignere in nobis probationem ſeu experientiam promiſſionum divinarum. Nam qui æqvo animo qvasvis, etiam duriſſimas adverſitates ſuſtinent, in his generat tolerantia experientiam divinarum promiſſionum; dum qui patientes ſunt adverſitatum, re ipsâ experiuntur, veriſſima eſſe omnia, quæ de felici & optatiſſimo tentationum exitu ac eventu, in literis ſacris ſcripta & decantata extant. Inſpiciantur dicta Pſal. 66. v. 9, 10. 11. 12. Eſa: 43. v. 1. 2. 3. 1 Cor. 10. v. 13. Jac. 5. v. 11. Quam etiam Apoſtolorum, ſpecietenus pugnantium, conciliationem probant *Interpretes Belgici.*

Doctrinæ. Meminiſſe debemus, Deum toties explorare fidem noſtram, quoties cruce nos affligit. Manifeſtum id eſt exemplo *Iobi* cap. 1. & 2, *Davidis* Pſal: 66. v. 10. ſeq: *Apoſtolorum* Rom. 8. v. 35. 36. 37. Fides noſtra non eſt vera fides, ſi impatientes adverſitatum, à Deo ab afflictiones recedimus Lucæ 8. v. 13. Veræ ènim & vivæ fidei indicium certum eſt, Deo in adverſis conſtanter adhærere, præeunte Jobo cap. 13. v. 15, & Paulo Rom: 8. v. 35. ſeq. Intueamur Chriſtum, qui inferni doloribus preſſus, patri cœleſti ſe libenter ſubmiſit Luc: 22. v. 42. ſeq:, & ab ipſo capiamus tolerantiæ exemplum Ebr. 12. v. 2. 3. ſeq. Rogemus etiam Jeſum, ut non minùs pro nobis, quàm pro Petro intercedat Luc. 22. v. 32, ne adverſitatibus fracti deficiamus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

V. 4. Ἡ δὲ ὑπομονὴ ἔργον τέλειον ἐχέτω, ἵνα ἦτε τέλιοι καὶ ὁλόκληροι, ἐν μηδενὶ λειπόμενοι.

v. 4. Patientia verò opus perfectum habeat, ut ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.

HIc primò quæritur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus?* Certè verſus hic cum præcedente bellè cohæret. Nam ne credas, Apoſtolum in quavis acquieſcere patientiâ, etiam temporariâ, & quæ tandem oneri tentationum cedat atq; ſuccumbat: monet, tali opus eſſe tolerantiâ, modò in tentationum ſcholâ velis eminere victor, quæ ἔργον τέλειον habeat.

Secundò quæritur: *Quid ſibi velit Apoſtolus, quando inquit:* ὑπομονὴ ἔργον τέλειον ἐχέτω? Diſputant litigioſé interpretes. Nolumus aut nos, aut lectorem, varietate ſententiarum fatigare: hoc tantùm dicimus, qvosdam nimis meticuloſos eſſe, ne vincant Pontificii, perfectionis hominum, etiam in hac vitâ mortali, patroni, ſi nativa vocis τελείου ſignificatio hîc retineatur, & urgeatur. Malo ut medeatur *Heinſius*, vir citra controverſiam doctiſſimus & lectionis diffuſiſſimæ, oratione valdè diductâ contendit ſuis in N. T exercitationibus, pag. 584. 585, & evincere allaborat inductione pluſculorum dictorum, quæ promit è ſcriptoribus, tàm ſacris, quàm prophanis, τέλειον eſſe, non tantùm qui terminum perfectionis attigit, ſed etiam qui ad metam tendit, nondum eam aſſecutus; ita ut Epictetus jungat τὸν τέλειον καὶ τὸν προκόπτοντα, perfectum & proficientem; & *Paulus* τέλειον appellet Phil. 3. v. 13. 14, qui ad metam ſupernæ vocationis properat, ſtadium haud emenſus. Docta quidem obſervatio & ſuo loco quam maximè utilis, ſed quâ hic non eſt opus. Nec enim ulla eſt neceſſitas, quæ moveat, ut nativam vocis τελείου ſignificationem non urgeamus. Notum eſt vel lingvæ Græcæ tyronibus, voce τελείου ſignificari id, quod ita ad finem pervenit, ut progredi ampliùs non poſſit, abſolutum eapropter & perfectum. Quæ τοῦ τελείου propria ſignificatio, quàm maximè facit ad præſens negotium. Nam ut tua tolerantia verè probetur Deo, non durabit ad breve tempus, ſed ad extremum vitæ terminum continuabitur & perdurabit: juxta illud Chriſti Matth. 10. v. 22. & 24. v. 13. *Qui ſubſtiterit ad finem uſq;, is ſervabitur.* Quò etiam faciunt quæ Paulus promit Ebr. 10. v 35. 36. 37. 38. 39. & D. Johannes Apoc. 2. verſu 26. Nec prætereundum eſt, quòd ad τέλειον hoc ἔργον patientiæ requiratur, ut pro Chriſti fide, pro juſtitia & virtute patiamur: aliàs enim noſtra tolerantia ne hili eſt, etiam ad vitæ finem cõtinuata. Qua de re *Chriſtus* Matth. 5. v 10. 11. & *Petrus* 1. Epiſt. 4. v. 15 16. Sed verò quia durum eſt & difficile, ſub tentationum gravi pondere ad finem uſq; vitæ toleranter pugnare; monet D. Jacobus, quòd duri & laborioſi operis immenſa utilitas nos debeat animare, ne ullâ diffidentiâ haſtam abjiciamus, ſed quò adverſitates ſunt plures & majores, eò audaciùs & ardentiùs pugnemus.

Tria

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Tria autem afferuntur ab Apoſtolo noſtro perſeverantis & continuatæ tolerantiæ commoda, de quibus ordine agemus.

Tertiò quæritur: *Quo ſenſu patientia nos præſtet τελείους?* Primum perſeverantis tolerantię commodum eſt; quod quomodo intelligendum ſit, jam videbimus. Vir τέλειος eſt, qui eſt juſtæ ſtaturæ, & ætatis integræ. Nam tum vir conſecutus eſt ſuum τέλος, quando & ad ſtaturæ juſtam magnitudinem, & ad ætatis maturitatem pervenit. Omnia ad rem præſentem quàm accommodatiſſimè. Etenim quis cenſendus ſit vir τέλειος & perfectus, ita docet nos D. Paulus Eph. 4. v. 13. *Donec perveniamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Ieſu Chriſti,* εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος Ἰησοῦ Χριστοῦ. Chriſtus itaq; Jeſus exemplar eſt, cui conformabuntur illi, qui inter Chriſtianos verè audient *perfecti viri.* Qvanqvam vero pluſcula reqvirãtur, ut quis, juxta Spirit⁹ Sancti mentem, vir cẽſeatur perfectus; tamen non poterit ille unqvam ullâ veritate dici ἀνὴρ τέλειος, qui Chriſto tolerantiâ paſſionum non fuerit conformatus. Teſtis eſt *Chriſtus*, ita alloqvutus diſcipulos Lucæ 22. v. 28. *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: & ideo ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum.* Teſtis eſt *Paulus*, his uſus verbis Rom. 8. v. 17: εἴπερ συμπάσχομεν, ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν. Teſtis eſt *Petrus* hac ſuâ monitione 1 Epiſt. 2. v 21: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens vobis exemplar, ut ſubſequeremini veſtigia ejus.* Diſputat hic prolixè *Cornelius à Lapide*, qvomodo Patientia ſola, præ Temperantiâ, Fide, Spe, Caritate, cæteriſq; virtutibus, dicatur perfecta? Sed vana eſt diſſertatio: Nec enim Apoſtolus σύγκρισιν hîc inſtituit inter Patientiam & alias virtutes; ſed ſtrictim indicat qualem oporteat eam eſſe tolerantiam, quæ Deo probetur. qvòd ſcilicet non debeat eſſe momentanea, aut talis quæ ad breve tempus duret, ſed quæ ad finem uſq; vitæ continuetur. Reſecamus itaq; prolixam Jeſuvitæ diſputationem, tanquam quæ ad rem præſentem non faciat.

Quartò quæritur: *An patientia ſiſtat nos coram tribunali Dei perfectos, integros & à peccato incorruptos?* Salmeron Jeſuvita diſp: 2 in Epiſt. Jacobi p. 9. abutitur hoc D. Jacobi loco. D. Jacobi aſſertio eſt, qvòd Patientia habere debeat opus perfectum, ut ſimus perfecti. Hinc infert Salmeron, qvòd Patientia ſiſtat nos ante tribunal Chriſti integros, perfectos, & à peccato incorruptos. Quæ eſt nimis audax illatio. Quis enim ſanctorum nominari poterit, qui ita in adverſis ſe geſſerit, ut nullum Impatientiæ ſignum ediderit? Clariùs id evincunt exempla *Iobi* cap: 3. v. 1. 2. ſeq: *Eliæ* 1. Reg 19. v. 4. & *Ieremiæ* cap. 20. v. 7. ſeq: *Ionæ* cap 4. v. 8. 9. & aliorum, quàm ut infirmitas humana, etiam in ſanctiſſimis, negari poſſit. Qvomodo itaq; Patientia hominem ita reddet perfectum, ut hac coram tribunali Chriſti conſiſtat integer & à peccato incorruptus? Præſtat, ut patientiſſimi qviq; dicant cum illo Patientiæ exemplari, Jobo: *Pœnitentiâ ductus, jaceo in pulvere & cinere* Job cap: 42. v. 6. Nec eſt qvod vox τελείου moroſiùs urgeatur: Nam phraſi ſcripturæ non tantùm is perfectus eſt, qvi metam aſſeqvutus, omni parte conſummatus eſt; ſed etiam qui ad metam tẽdit, cōſummationem nondum aſſeqvutus: veluti videre eſt Philip. 3. v. 13. 14. 15,

ita ut Epictetus τέλειον & προκόπτοντα jungat. Et doctè obſervavit Heinſius, qvòd Græci non raró diſtingvant inter τέλειον & τὸν ἀπειληφότα τὸ τέλος, ita ut τέλειος ſit, qui agendo nunquam intermittit, & adhuc ſic proficit.

Qvintò qværitur: *Quo ſenſu Patientia præſtet nos* ὁλοκλήρους? Alterum perſeverantiæ in adverſis commodum eſt, ab Apoſtolo adductum: qvo qvid ſignificetur, tùm rectè intelligetur, ubi genuina vocis ὁλοκλήρου ſignificatio explicata fuerit: qvam, tanqvam inſtituto Apoſtoli maxime commodam, cenſeo urgendam. Eſt autem ὁλόκληρος, hæres ex aſſe: nam ὅλος κλῆρος eſt univerſa hæreditas, ſev as hæreditatis. Promittitur itaq; his, qvi tentationum ad finem uſq; patientes ſunt, qvod ex aſſe hæredes futuri ſint cœleſtis regni. Solatur hoc promiſſo *Chriſtus* ſuos Matth. 5. v. 10. inqviens: *Beati quos perſeqvuntur juſtitiæ cauſa, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Erigit hac conſolatione & ſe & alios, adverſitatibus preſſos, *Paulus*, dum ait 2. Cor. 4. v. 17: *Illicò præteriens levitas afflictionis noſtræ, excellenter excellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis.*

Sextò qværitur: *Quid ſit Patientiam efficere, ut ſimus* ἐν μηδενὶ λειπόμενοι? Qvod eſt tertium perſeverantis tolerantiæ commodum, variè ab interpretibus expoſitum. *Interpretes Belgici* activé vertunt, hoc ſenſu: in nulla re qvicqvam intermittentes, qvod vos, tanqvam veros Chriſtianos, facere convenit. Obſtare videtur paſſiva ſignificatio: qvâ motus *Eraſmus* vertit: *nullâ in parte diminuti*: qvod *Eſtius* probat. *Paræus*, *Lorinus*, *Cornelius à Lapide*, urgent ſignificationem, Græcis freqventem & familiarem, qvâ λείπεσθαι eſt vinci, ſuperari, in pugna ſuccumbere: qvare cenſent hoc velle Iacobum, Chriſtiani operam dent, ne ullâ adverſitate, ullis afflictionibus, ullo tentationum impetu frangantur, ſed omnia adverſa animo forti vincant & ſuperent. Rem probamus: ſed hanc eſſe hoc loco verbi λείπεσθαι ſignificationem haud facilè adducimur ut credamus. Nam qvoties D. Jacobus hâc voce utitur, toties eâ ad ſignificandam indigentiam utitur: veluti videre eſt tùm verſu proximè ſeqvente, tùm cap. 2. v. 15. Et maximè manifeſtum eſt è verſu, qui proximè adjungitur, qvòd λείπεσθαι hîc defectum & indigentiam notet. Nam poſtqvam Apoſtolus dixiſſet: ἐν μηδενὶ λειπόμενοι: ſtatim ſubjungit: εἰ δέ τις ὑμῶν λείπεται σοφίας. Vix ergo dubitare licet, qvin verba Apoſtoli ita vertenda ſint: in nullo deficientes, ſev nullius indigi. Qvo autem ſenſu, qvi adverſa tolerãter ſuſtinent, dicuntur ἐν μηδενὶ λειπόμενοι ſev in nullo deficientes, aut nullius indigi, verbo explicandum eſt. Promiſit Deus, affuturum ſe afflictis, & curaturum, ne qvid ipſis deſit, qvod ad lætam in tentationibus & afflictionibus victoriam neceſſarium eſſe poſſit. Nota ſunt hæc divina effata Pſal. 91. v. 15. *Simulac invocaverit me, exaudiam eum: ipſi adero in anguſtiâ: eripiam eum, & honore eum afficiam.* 1. Cor: 10. v. 13. *Fidelis eſt Deus, qui non ſinat nos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed unà cum tentatione præſtabit exitum, ut poſſitis eam ſufferre.* Jacob. 5. v. 11: *Tolerantiam Iobi audiviſtis: & finem Domini vidiſtis: nam* abun-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

abundat intimâ miſericordiâ Dominus, & eſt miſerator. Et hæc ſunt tria illa perſeverantis tolerantiæ commoda, effectura, ne animum ob tentationum varietatem deſpondeamus, ſed potiùs exultìm ludamus, lætemur, atq́, gaudio velut triumphemus.

Doctrinæ. Diſcamus nihili à Deo æſtimari noſtram in adverſitatibus tolerantiam, niſi conſtans ſit, & ad finem uſq; perduret Matth. 10.v.22. Luc.9. v.ult. Apocal.3.v.21. Durum qvidem eſt, dum vita durat, adverſitatum onere urgeri; ſed ſolabitur nos adverſitatum multiplex fructûs. Adverſitatibus, qvas ad finem vitæ patienter perferimus, perfecti reddimur: Hæc enim eſt perfectionis noſtræ non exigua pars, Chriſto paſſionibus cõformari Rom.8.v.17.29. Adverſitatib. qvas dum vivimus, læti & libentes ſuſtinemus, evadimus ὁλόκληροι ſeu vitæ æternæ ex aſſe hæredes Matth.5.v.10, Rom.8.v.17, 2 Cor.4 v.17, Apocal.3.v.12. Adverſitatibus deniq; preſſorum hæc eſt conſolatio, qvod non negaturus ſit ipſis Deus qvicqvam, qvod ad ſalutarem tentationum exitum & optatam victoriam ſit neceſſarium 1.Cor.10.v.13, Jac.5,v.11.

V. 5. Εἰ δέ τις ὑμῶν λείπεται σοφίας, αἰτείτω παρὰ τοῦ διδόντος Θεοῦ πᾶσιν ἁπλῶς, καὶ μὴ ὀνειδίζοντος, καὶ δοθήσεται αὐτῷ.

v. 5. Si cui veſtrum deeſt ſapientia, petat eam à Deo, qui dat omnibus ſimpliciter, nec exprobrat, & dabitur ei.

HIc primò qværitur: *Quomodo hic verſus cum verſibus, qui præceſſere, cohæreat?* Subſtrictâ oratione id indicabimus. Commendavit proximè Apoſtolus tentationes, & uberem earundem fructum diſertè expoſuit. Cùm vero nimis multi ſint, qvi non capiant, qvanta ſint tentationum commoda: ſapientiâ opus eſſe monet Apoſtolus.

Secundò qværitur: *Quæ & qualis ſit ſapientia, quæ requiritur, ut tentationes æquo animo ſufferamus?* Scriptura id non uno loco explicat. *Chriſtus* de hac ſapientia ita diſſerit, Lucæ 14.v.26.27: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & liberos, & fratres & ſorores, atq; adeo etiam animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et quisquis non portat crucem ſuam, & ſequitur me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Pauli etiam de hac ſapientiâ aſſertio eſt Ebr.12. verſib.5.6.7.8.9.10.11: *Fili mi, ne parvi facito caſtigationem Domini, neq; animo frangitor, qvum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem quemcunq; filium agnoſcit. Si caſtigationem ſuſtinetis, Deus ſe vobis exhibet ut filiis: quis enim eſt filius, quem non caſtiget Pater. Quod ſi eſtis absq; caſtigatione, cujus participes ſunt omnes, profectò ſuppoſititii eſtis, & non filii. Itaq; cùm carnis noſtræ patres habuerimus caſtigatores, & reveriti ſimus illos, an non multò magis ſubjiciemur patri Spirituum, & vivemus? Atq; illi quidem ad paucos dies pro arbitratu ſuo nos erudiebant; hic autem ad commodum noſtrum in hoc, ut impertiat nobis ſanctimoniam ſuam. Omnis autem caſtigatio, in præſens quidem non videtur eſſe jucunda, ſed moleſta: at poſtea fructum tranquillum juſtitiæ reddit his, qui per illam fuerint exercitati. Quapropter manus remiſſas, & genua*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ſoluta ſurrigite, & facite ut recti ſint greſſus pedibus veſtris: ne claudicatio aberret à via, imò ſanetur potiùs.

Tertiò quæritur: Cur jubeat Apoſtolus, ut hanc ſapientiam à Deo petat, cui ea deeſt? Hæc ſapientia, nec connaſcitur nobis, nec eam humana ratio, ſibi relicta, nos docere poteſt. Manifeſtum hoc eſt è prolixis illis diſſertationibus amicorum Jobi, qui in eo unicè occupantur, ut evincant, fieri non poſſe, ut gravibus urgeatur afflictionibus, qui Deum ex animo timet & colit: Veluti videre eſt apud Jobum c.4.5. ſeq. Ne igitur neſciamus, ubi quærenda ſit hæc ſapientia, & quo modo & medio obtinenda: id nos his verbis docet D. Jacobus: *Si cui veſtrum deeſt* (λείπεται) *ſapientia petat eam à Deo.* Non probamus *Cornelium à Lapide*, & *Eſtium*, qui hanc ſapientiam à Deo, ſive immediatè, ſive mediante invocatione & patrocinio ſanctorum, petendam eſſe contendunt. Diſertum Dei mandatum eſt, ut quicquid petimus, in nomine Chriſti petamus Joh. 16.v. 23. Nec licet hìc uti interceſſoriâ ſanctorum operâ, tùm quia unus eſt mediator Chriſtus 1.Tim.2.v.5., tùm quia omnes & ſingulæ afflictiones noſtræ non ſunt notæ ſanctis Eſa.63 v.16.; tùm deniq; quia nullum invocationis ſanctorũ ſive in Veteri ſive in Novo Teſtamento extat exemplum. Cæterùm, vide mihi quomodo Deus homines verè pios, & in precum ſtudio fervidos, beârit hac ſapientiâ, quâ norunt, quòd ſcilicet in adverſis lætari oporteat. Davidis vox eſt, Pſal. 119.v.71. *Bono mihi fuit me affligi, ut diſcerem ſtatuta tua.* Nec ignotum eſt, quid dixerit quondam Jeremias Thren.3.v.27. ſeq. *Bonum eſt viro ſi tulerit jugum ab adoleſcentiâ ſuâ. Solus ſedet & tacet, & æquo animo fert jugum, quod impoſuit Dominus. Qui os ſuum ponit in pulverem, dicens: Forte eſt exſpectatio. Præbet percutienti ſe genam, ſatiatur opprobrio. Nam non rejicit in ſeculum Dominus.* Et quis neſcit quàm lætati ſint *Apoſtoli*, quòd digni eſſent habiti, qui pro Chriſto paterentur Act.5.v.41.? Quam ſapientiam æquo animo ferendi adverſa, & lætandi in afflictionibus, precibus aſſiduis à Deo impetrandam eſſe, docet Jeſus parabolâ de iniquo Judice, quem vidua, ab adverſario preſſa, interpellatione continuâ tandem vicit & expugnavit Luc. 18.v.1.2. ſeq.

Quartò quæritur: *Vnde conſtare nobis poſſit, quod ſapientiã patienter ferendi adverſa, à Deo petitam, certò ſimus impetraturi? Et quid ſit Deum dare omnibus* ἁπλῶς; nec ὀνειδίζειν? Ne neſciamus Dei noſtri in dando promptitudinem & liberalitatem, eam D. Jacobus gemino *documento*, clarè & efficaciter demonſtrat. *Prius* divinæ liberalitatis *documentum* eſt: *Deum dare omnibus* ἁπλῶς. *Piſcator* & *Paræus*, Calviniani, & *Eſtius* Pontificius, voculam πᾶσιν, quâ utitur Apoſtolus, reſtrictè intelligendam eſſe contendunt, videlicet de omnibus rectè petentibus & hanc ſapientiam debito modo deſiderantibus. Sed falluntur. Nam Deum adeò largum datorem eſſe, ut non tantùm bonis, ſed etiam malis benefaciat, teſtis eſt *Chriſtus* Matth.5.v.45. Et nota eſt vox Pauli 1. Cor. 4.v.7. *Quid habes mi homo, quod non acceperis.* Quin & gloſſema illud refellit, quæ immediatè additur vox ἁπλῶς. *Beza, Piſcator, Paræus* agnoſcunt hìc metonymiam, neſcio quam, & ἁπλῶς dare, interpretantur, benigne dare, ἡδέως καὶ ἀλύπως dare, libenter dare, & ſine moroſitate, ita ut particulam

ἁπλῶς

ἁπλῶς, non cum πᾶσι, ſed cum voce διδόντος cohærere contendant. Vetus interpres vertit; affluenter dare; quaſi in Græco eſſet vox πλουσίως. Nam quod *Gagnejus* ſuſpicatur, interpretem veterem iu Græco pro ἁπλῶς legiſſe ἀθρόως, ſomnium eſt: nam nec vocum iſtarum magna cognatio eſt, nec poterit ullum produci exemplar, quo hæc lectio firmetur. Ego verò nativam voculæ ἁπλῶς ſignificationem urgendam eſſe cenſeo. Notũ eſt, vocem ἁπλῶς in ſcriptis probatorum auctorum Græcorum opponi voci ἀκριβῶς. Tantum ergo valet dare ἁπλῶς, atq; ſine ſuperſtitioſo delectu; ac ſimplici & candido animo dare. Unde ἁπλότης eſt incauta probitas, & ἁπλοϊκὸς *Luciano* eſt homo, qui neſcius eſt verſutæ malitiæ. Quæ vocis ſignificatio maximè ſervit inſtituto. Commendaturus enim Apoſtolus Dei in dando promptitudinem, & eâ homines ad petendum excitaturus, docet, Deum adeò propenſo ad dandum animo eſſe, ut videri poſſit incautâ quadam probitare dona ſua in homines conferre, dum ſua bona in hos etiam largiter erogat, quos concreditis bonis abuſuros prævidet. Legantur quæ hac de re tradita inveniuntur Eſa. 5. v. 1. 2. ſeq. & Matth. 25. v. 14. 15. ſeq. & locis longè plurimis. *Poſterius documentum* non tàm liberalitatis quàm prodigalitatis divinæ, hoc eſt: Deum μὴ ὀνειδίζειν. Docere vult Apoſtolus, Deum uon eſſe ſimilem hominibus avaris & malignis, qui pauperculos indignabundi arcent & abigunt, ſi ſtipem ſæpius petant. Audi quid dicat ſapiens Eccleſiaſtici cap. 20. v 13. 14., *Donatio*, inquit, *inſipientis non eſt tibi profutura, ſimiliterq; etiam invidentis. Pauca dabit, ſed exprobrabit multa, & aperiet os ſuum, tanquam præco.* Quô animô & ingeniô non eſt Deus: quippe cui eò carior es, quò ipſum de auxilio ſæpiùs compellas Luc. 18. v. 6 7; & quò plura dedit, eò ad dandum paratior eſt, ſi datis rectè utaris Matth. 13. v. 12. & 25. v. 14. 15. ſeq. *Non ſine causâ autem quæſiveris, quâ veritate dicat noſter Apoſtolus, Deum ita dare, ut nunquam exprobret?* Nam innumera ſunt in divinis ſcripturis loca, ubi Deus beneficia hominibus exprobrat: veluti videre eſt Eſa 1. v. 1. 2. 3. ſeq. & 5. v. 1. 2 ſeq. Jerem. 2. v. 4. Mich. 6. v. 3. Matth. 21. v. 33. ſeq. & 23. v. 3. 4. ſeq. Sed facilis eſt horum acconſimilium locorum & aſſertionis Jacobeæ conciliatio. Nam veluti Deus paratiſſimus eſt ad dandum omnibus, & ita quidem, ut dona ſua cumulatè collata, nulli exprobret, quando aut de novis donis, aut de donorum collatorum augmento ſolicitatur: ita impio ingratitudinem exprobrat, quòd ſcilicet tot affectus beneficiis, Deo obſequium ſuum non probet, ſed malitiâ cum divinâ munificentiâ velut certet: quod loca adducta evincunt. *E tantis divinæ liberalitatis documentis* ita concludit Apoſtol⁹: *Et dabitur ei:* Quæ eſt & ſingularis commendatio divinæ liberalitatis, & efficaciſſima ratio ad excitandam exauditionis fiduciam, quòd ſcilicet noſtra precatio nunquam dimittatur vacua. Si enim Deus adeò liberalis eſt, ut etiam non petentibus probet ſuam liberalitatem: quidni his communicabit ſapientiam ad perferendas tentationes neceſſariam, qui de eâ ipſi ſerio ſupplicant. In quam ſententiam lege differentem ipſum ſervatorem Jeſum Matth 7. v. 7. 8. Luc. 11. v. 5. 6. ſeq. Joh. 16. v. 23.

Doctrina. Sapientia, quâ ſcimus Deo in adverſis conſtanter adhærendum

eſſe,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

eſſe, divinum donum eſt, & eapropter à Deo unicè petendum. Sanctiſſimi, ſibi relicti, vacillârunt, adverſis durius preſſi. Liquet id exemplo *Iobi.* cap. 3. v. 1. 2. ſeq. *Davidis*, Pſal. 73. v. 2. 3. ſeq. & 77. v. 8. 9. 10. 11. *Ieremiæ*, cap. 20. v. 8. 9. ſeq. *Petri*, Matth. 26. v. 70. 72. Imitemur igitur viduam Luc. 18. v. 1. 2 ſeq. & aſſiduis ac indefeſſis precibus impetremus a Deo in adverſis conſtantiam & animi præſentiam. Nec dubitemus de divinâ largitate ad ſubminiſtrandum omnia, absq; quibus non poſſumus in adverſis eſſe conſtantes. Nam multò paratior eſt DEUS ad dandum, quàm nos ad petendum, ac longè ſuperat parentum etiam optimorum, in dando promptitudinem ac liberalitatem Matth. 7. v. 7. 8. Luc. 11. v. 5. 6. ſeq. adeò ut ſolus mereatur dici bonus Matth. 19. v. 17.

V. 6. Αἰτείτω δὲ ἐν πίστει, μηδὲν διακρινόμενος. ὁ γὰρ διακρινόμενος, ἔοικε κλύδωνι θαλάσσης ἀνεμιζομένω καὶ ῥιπιζομένω.

V. 6. Petat autem in fide, nihil diſceptans: Nam qui diſceptat, ſimilis eſt fluctui maris, ventis agitato & jactato.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus?* Monuit verſu præcedente Apoſtolus, qvòd precibus noſtris facilè impetremus eam ſapientiam, qvâ opus eſt, ut adverſa æquo animo ſuſtineamus, & in tentationibus velut exultim ludamus. Qvales vero eas oporteat eſſe preces, quæ hanc ſapientiam impetrant, jam explicare aggreditur Apoſtolus. *Gemina* autem in precibus, quib⁹ hæc impetrabitur ſapiētia, reqviritur *conditio Vna* eſt, ut qvod à Deo petitur, ἐν πίστει petatur. *Altera* eſt, ut ſine diſceptatione & dubitatione ſit precatio.

Secundò quæritur: *Quis in fide petere ac precari cenſendus ſit?* Prior conditio, à D. Jacobo in iſtis reqviſita precibus, quæ ſapientiam impetrabunt, qvâ opus ad tentationes fortiter ſuſtinendas, eſt hæc: *In fide petere.* Is verò in fide petit, qvi cum certâ exauditionis fiduciâ petit, nixâ Chriſti promiſſione, his deſcripta verbis Matth. 21. v. 22: *Omnia quæcunq; precando petieritis, ſi credideritis, accipietis.* In qvâ promiſſione, ſi mens certo aſſenſu & cor firmâ fiduciâ acqvieſcit, precatio in fide funditur. Studiosè autem obſervandum eſt, qvod omnes promiſſiones in Chriſto Jeſu ſint τὸ ναὶ καὶ τὸ ἀμὴν 2. Cor. 1. v. 20. Qvocirca qui verè audiet, qvod in fide petat, qvicqvid petit, in nomine Jeſu Chriſti petet Joh. 16. v. 23; planè perſuaſus, Deum non negaturum nobis qvicqvam, qvod ſalutare ſit, modò id qvod petimus, propter meritum Chriſti indubitatâ fiduciâ petamus Rom. 8. v. 32. 1. Joh. 5. v. 14.

Tertiò qværitur: *Quid ſit precantem μηδὲν διακρίνεσθαι?* Altera conditio qvam adeſſe oportet, ut precibus noſtris ſapientiam impetremus, qvâ in adverſitatibus, æquo animo ferendis, opus eſt, ita explicatur ab Apoſtolo: μηδὲν διακρινόμενος. Dicuntur autem illi διακρίνεσθαι, qui mente & corde fluctuant, dubii qvid ſtatuant, qvò inclinent, ubi pedem figant. Hanc enim eſſe genuinam verbi ſignificationem, videre eſt Act. 10. v. 20. & 11. v. 12. & Rom. 4. v. 20. Caveat igitur, qvi ſapientiam divinitùs impetrabit, qvâ ſe in adverſis ſuſtentet, ne in dubium vocet, aut divinam potentiam, qvaſi Deus

juvare

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

juvare non poſſit, licet velit; aut benevolum Dei affectum, qvaſi nolit juvare, licet poſſit: ſed certò ſtatuat Deum & poſſe Luc.1.v.37. & velle Luc: 11.v.13 juvare.

Qvartò quæritur: *Cur nihil impetremus precibus, quæ non concipiuntur certâ exauditionis fiduciâ, ſed fluctuante animo & corde vacillante funduntur?* Ejus rei *tres* affert Apoſtolus cauſas. *Primam* his effert verbis: *Nam qui diſceptat, ſimilis eſt fluctui maris, ventis agitato & jactato.* Qvæ eſt evidens demonſtratio, qvâ evincitur, qvòd qvi de divinâ aut potentiâ, aut ad juvandum benivolentiâ dubitant, non impetrent iſtam ſapientiam, quæ hominem in adverſis reddit invictum & immotum. Conferuntur enim cum fluctibus marinis, qvos tempeſtuoſus ventus exagitat. Nam veluti fluctus maris, à validiore tempeſtate jactati & agitati, ubi maximè videntur tumere, decidunt, & eo ipſo momento, qvo in ſublime tolluntur, penitùs evaneſcunt: Ita qvi adverſis urgentur, & de exauditionis fiduciâ haud certi ſunt, ſed mentis & affectuum inſtabilitate, jam huc, jam illuc inclinant; ubi videntur in adverſis maximè animoſi & fortes eſſe, momento mutantur, & animum deſpondent atq; deſperant. Nec novum eſt, fluctuantem illam fidem his & ſimilibus ſimilitudinibus deſcribi: veluti legere eſt Eſa:57.v.20. Matth.14.v.31. Luc:12.v.29. Contrariam eſſe veræ fidei indolem, ſuo exemplo nos docuêre *Abraham* Rom: 4. v.18. & *Iobus* cap. 13. verſu 15.

Expediunda hic eſt paucis controverſia; *an ſcilicet ex hoc loco evincatur, quòd nos precari oporteat cum exauditionis fiducia?* Noſtri Theologi ajunt, & aſſertionem ſuam hoc Jacobi dicto valide firmari ſtatuunt. Negant Pontificii, & inter eos *Eſtius* & *Lorinus* ſuis in hunc locum commentariis. *Eſtius* urget, niti omnes noſtras precationes divinâ promiſſione: promiſſionem autem habere hanc conditionem, modò petas ſicut oportet Jac. 4. v.3: de qvâ nemo certus eſt. *Lorinus* verò tùm *exemplis Pauli* 2. Corinth. 12. v.9. *Davidis* 2.Sam: 12. v.16; tùm *teſtimoniis Ioëlis* cap.2. v.14. & *Petri* Act: 8. v.22, evincere conatur, preces non reqvirere indubitatam exauditionis certitudinem. Sed nec *Eſtii*, nec *Lorini* argumenta ſtringunt. Faciles damus, preces niti divina promiſſione, & includere conditionem ab *Eſtio* adductam. At neminem de hac conditione certum eſſe poſſe qui dixerit, hic non habiturus eſt nos ſibi ὁμοψήφȣς. Etenim conditio reqviſita, non eſt alia, quàm nos id, qvod petimus, certò impetraturos eſſe, modò ſecundum Dei voluntatem petamus. Qvæ eſt diſerta D. Johannis aſſertio 1.Epiſt:5.v.14, & ſuo exemplo præivit *Chriſtus* Matth: 26.v.39. Hic verò ſecundum Dei voluntatem petit, qvi exoſus peccata, & ad Deum ex animo converſus, preces ſuas fundit Joh.9.v.31. Eſa: 1.v.15.ſeq: 1.Joh.3.v.2. & qvi qvod petit fine bono & laudabili petit Jac:4.v.3; & qvi res ſpirituales, & ad ſalutem æternam planè neceſſarias, ſine ullâ vel exceptione vel conditione, petit Lucæ 11. v.13; temporarias verò, & abſq; qvibus æterna ſalus obtineri poteſt, ſub hac cautione & conditione petit, ut impetrentur, ſi ſic ferat Dei voluntas, & id qvod petitur faciat ad promovendam Dei gloriam, & noſtram atq; proximi ſalutem, exemplo *Leproſi* Matth. 8. v.2. & *Chriſti* Marci 14. v.36. ſeq. Qvis itaq; negabit, qvòd de ea conditione certi eſſe poſſimus, qvæ reqviritur, ut preces certò exaudiantur. Exempla à *Lorino* adducta, contrarium non evincunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Paulus certè id qvod petebat, impetrabat. Diſerta enim Chriſti ad Paulum reſponſio eſt, ſufficere Paulo gratiam divinitùs datam, ut malum, qvo urgebatur, vinceret 2 Cor. 12. v. 9: & nota eſt hæc Pauli aſſertio 1 Cor: 10. v. 13. *Fidelis eſt Deus, qui non ſinat nos tentari ſupra id, qvod poteſtis, ſed unà cum tentatione præſtabit etiam exitum, ut poſſitis eam ſufferrre.* Exemplum *Davidis* fruſtrà allegatur. *David* enim in eo delinqvit, qvòd licet divinitùs edoctus eſſet, infantem, è Berſabea natum, certò moriturum 2 Sam. 12. v. 14: inſtet tamen precibus apud Deum, ut vita infanti prorogetur v. 16. Qvocirca nihil impetrat, qvia ſecundum Dei voluntatem non petit 1 Sam: 12. v. 18. ſeq. Nec dubitationem Pontificiam firmant teſtimonia *Ioelis*, & *Petri*. *Ioel* certè cap. 2. v. 14. qvando ait: *Quis ſcit, an reverſum pœniteat ipſum?* non ſtabilit dubitationem, ſed potiùs exauditionis certitudinem animis ingenerat: veluti ſatis teſtantur ea, qvæ in Ioele proximè ſeqvuntur. Nec propugnat dubitationem Pontificiam loqvutio: *Quis ſcit?* Qvod liqvet, tùm è phraſi ſimili, qvâ non dubitatio, ſed certitudo inſinuatur Num: 11. v. 29, Job 6. v. 8. & 11. v. 5. & 14. v. 13, Pſal: 14. v. 7; tùm ex illâ Ebræorum conſuetudine, qvâ, qvæ volunt vehementiſſimè affirmare, per interrogationem crebrò enunciant Gen. 13. v. 9. & 19. v. 20. Exod. 14. v. 12 Joſ. 1. v. 9, Matth. 7. v. 22, Joh. 6. v. 70; tùm maximè ex iis, qvæ immediatè ſubjunguntur & per pluſculos verſus diducuntur, dubitationem omnem pellentia & certitudinem exauditionis confirmantia. Et ut abſovamus; agitur hìc de plagarum temporalium averſione, qvam ſemper petere debemus, ſub hac conditione; Si ita Deo viſum fuerit: certi qvòd afflictionum exitus futurus ſit qvàm optatiſſimus, 1. Cor. 10. v. 13. Jac. 5. v. 11. *Petrus* deniq; Act: 8. v. 22, agens de Simone Mago, Diaboli mancipio; haud dubitat, peccata certò ipſi remiſſum iri, ſi vere reſipiſcat; ſed de ſeriâ hominis neqviſſimi & extremè impii reſipiſcentiâ dubitat: qvod è verſu proximè ſequente quàm maniſeſtiſſimum eſt. Nondum igitur adductum eſt qvicqvam, qvo Pontificia dubitatio, conſcientiarum carnificina, ſtabilitur.

Doctrina. Non placent Deo ullæ preces, qvæ è verâ & vivâ fide non profiſiſcuntur. Fieri namq; non poteſt, ut qvicqvam Deo placeat & probetur, qvod non eſt ex fide, Rom. 14. v. 23. Ebr: 11. v. 6. Fidem verò qvando ad veram & Deo placituram precationem reqvirimus; nomine fidei non tantùm intelligimus generalem illam notitiam, qvâ credimus, quòd ſit Deus, & præmia largiatur iis, qvi ipſum reqvirunt, Ebr: 11. v. 6, ſed imprimis appellatione fidei deſignamus ſpecialem illam fiduciam, qvâ certi ſumus exauditum iri nos in omnibus iis, qvæ in nomine filii petimus, modò petamus, qvæ Deo glorioſa & nobis ſalutaria eſſe poſſunt Joh. 14. v. 13. 14, Marc. 11. v. 24, 1 Joh. 5. v. 15. Abeſſe debet à noſtris precibus omnis dubitatio, de divinâ ſive potentia ſive benivolentia. Poteſt juvare, qvia omnipotens eſt Luc. 1. v. 37: vult juvare, quia pater eſt Luc. 11. v. 13. Ab hac exauditionis fiduciâ commendantur *Abraham* Roman. 4. v. 18. 19, *Centurio Capernaumitanus* Matth 8. v. 6. 7. ſeq: *Mulier Cananæa* Matth. 15. v. 22. 23. ſeq: alii. Infirmior ſi noſtra fuerit fides, ſupplicemus Deo, ut fidem adaugeat Marc. 9. v. 24, & certò ſtatuamus, Deum fidei langvidiori pretium ponere Matth. 17. v. 20.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

V. 7 Μὴ γὰρ οἰέσθω ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος, ὅτι λήψεταί τι παρὰ τοῦ Κυρίου.

V. 7. Non enim exiſtimet homo ille, ſe quicquam accepturum à Domino.

HIc primò quęritur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ* συνάφεια? Altera probatio eſt, quâ pernicies dubitationis in precibus deſcribitur. In irritum cadunt preces, quæ cum dubitatione funduntur. Verba Græca ſunt ἐμφατικώτατα, quæ ita habent: μὴ γὰρ οἰέσθω ἄνθρωπος ἐκεῖνος. Quaſi dicat: μὴ μάτην οἰέσθω, hoc eſt, fruſtra eſt ſi exiſtimet. Ubi premenda eſt ἔμφασις, qvæ eſt in verbo οἴεσθαι. Οἴησις enim eſt falſa ſui exiſtimatio, qvæ quempiam invaſit & occupavit. Et ὁ καλιόμενος *Heſychio* eſt, ὁ ἐν περιλήψει φερόμενος: Et *Suidæ*, ὀνομάζων ἑαυτὸν μέγαν, καὶ φυσῶν, ὑπερήφανος. Lege hac de re fusè differentem *Heinſium* exercitationibus in N. T. pag. 585. Hoc ergò vult D. Jacobus; qvòd falsâ & ſuperbâ perſvaſione ſeipſum deludat, qui credit ſe qvicqvam à Deo impetraturum, licet fluctuante animo & corde precetur. Fieri namq; non poteſt, ut preces iſtæ exaudiantur, qvæ fiduciâ deſtituuntur: Hanc enim eſſe precum animam, videre eſt Marc: 11. v. 23. 24. 1. Joh 5. v. 14. Pſal. 40. v. 2. Job 13. v. 15.

Secundò qværitur: *Quâ veritate dicatur, quòd qui dubitat, ne tantillum impetret aut accipiat?* Nonne Regulus, qvantumvis hæſitans, ſanitatem filio impetrat à Chriſto Joh. 4. v. 47. ſeq.? Varia eſt tentata pugnantium ſpecietenus locorum συμφωνία. *Thomas Chartuſianus, Lyranus, Balthazar Paëz*, alii, cenſent Jacobæum locum non niſi de bonis ſpiritualibus intelligendum eſſe. Quæ non eſt certa moti dubii ſolutio. Nam ut à Deo bona temporaria impetremus, fiducia opus eſſe teſtis eſt *Chriſtus* Matth. 9. v. 28. & *Marcus* c. 6. v. 5. 6. *Cornelius à Lapide* aliâ viâ rem aggreditur: contendit enim non aliud velle Jacobum, quàm qvòd vi & quaſi merito orationis nihil impetretur, ubi qui petit & precatur, animo fluctuat. Qvo non obſtante Deus non raro largitur poſtulata hæſitantibus, ſed ita, ut ex ſua liberalitate defectum fidei & fiduciæ ſuppleat, uti largitus eſt Regulo dubitanti Joh 4. v. 49. Qvam reſponſionem non probo. Cui enim perſvaſeris orationis merito qvicquam impetrari? Opponimus hoc Apoſtoli 1 Cor. 4. v. 7. *Quid habet mi homo, quod non acceperis?* Et Chriſti Lucæ 17. v. 10: *Qvum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis; dicite: ſervi inutiles ſumus.* Vera dubio procul reſponſio eſt; nihil obſtare, quò minus exaudiantur, qvi langvidâ ſunt fide: qualis fuit *Reguli* Joh. 4. v. 49. Dubitatio Fide vacua eſt, qvæ irritas reddit preces. Has enim preces exaudiri à Deo, qvæ è fide, qvantumvis langvidâ, funduntur, teſtis eſt *Chriſtus* Matth. 17. v. 20. & evincit hiſtoria Patris, pro filio, à Dæmone obſeſſo, intercedentis, Marc 9. v. 23. 24. Quocirca ubi non eſt talis dubitatio, quæ fidem penitùs excludat, ibi eſt ſpes exauditionis. Nam οἱ πιστεύοντες καὶ ὁ διακρινόμενοι opponuntur:

tur: velut liqvet ex hoc Chriſti ad Apoſtolos alloquio Matth: 21. verſu 21: Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν ἔχητε πίστιν, καὶ μὴ διακριθῆτε.

Doctrina. Pluſcula ſunt, quæ precum exauditionem impediant. Inter ea non eſt poſtremo loco dubitatio de divinâ ſive potentia ſive benivolentia. Videre id eſt in *Moſe* Num: 20. v. 10, *Petro* Matt. 14. v. 28. 29. 30. 31, aliis.

V. 8. Ἀνὴρ δίψυχος, ἀκατάστατος ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ.	V. 8. Vir animo duplici, inconſtans in omnibus viis ſuis.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus?* Promitur ab Apoſtolo tertia dubitationis peſtis ac pernicies. Etenim qui in precibus fluctuat, nec de divinâ ope certus ac ſecurus eſt; hic eſt & δίψυχος & ἀκατάστατος.

Secundò quæritur: *Quid ſit* δίψυχον *eſſe? & quo ſenſu is, qui fluctuante animo quicquam à Deo petit,* δίψυχος *dicatur?* Δίψυχοι ſunt, interprete Athenæo, οἱ δίχα θυμὸν ἔχοντες, id eſt, qui geminum in pectore animum geſtant, ſive qvorum cor in binas, easq; diverſas partes inclinat, atq; ita velut bipartitum eſt. Qvo autem ſenſu is dicatur δίψυχος, qui in precibus ſuis fluctuat, jam videndum eſt. Interpretes hic non conſentiunt. Duas inprimis hic invenio diſſidentes ſententias. *Prior ſententia* eſt *Clementis* lib: 7 Conſtit: cap. 12, *Ignatii* Epiſtola XIII ad Heronem, *Oecumenii*, *Ariæ Montani*, in hunc locum, *Heinſii Exercit:* in N. T. p. 586, qui hunc à D. Jacobo δίψυχον vocari cenſent, qui alternat, qui vacillat, qui nunc in hanc, nunc in illam partem animum inclinat. Qvâ certè ſignificatione vocem δίψυχου non rarò uſurpari qui negaret, ſuam in lingvâ Græcâ ruditatem proderet. Etenim *Heſychius*, inter alios, διψυχίαν interpretatur ἀπορίαν, dubitationem. *Oecumenio* verò comment: in hunc locum, ἀνὴρ δίψυχος ἐστ ἀνὴρ ἀνεπέρειστος καὶ ἀστήρικτος, vir inſtabilis & non firmus. Quò minus autem hoc interpretamentum hoc loco probemus, hæc eſt cauſa, quòd noſter Jacobus ſic foret ταυτόλογος. Qui enim dicit τὸν διακρινόμενον ſeu dubitantem, virum δίψυχον eſſe, ſeu animo jam huc, jam illuc inclinantem, idem dicit, ac inani ejuſdem rei repetitione ludit, vocibus tantùm mutatis. *Poſterior ſententia* eſt *Bedæ*, *Salmeronis*, *Piſcatoris*, *Cornelii à Lapide*, *Interpretum Belgicorum*, & aliorum, quibus vir δίψυχος, vir bianimis eſt, cui cor diviſum eſt, ita ut partim Deo, partim mundo ſerviat. Nec enim Deo indivulſé adhærere poteſt, qvi preſſus variâ adverſitate non eſt in corde & conſcientia certus, de optato tentationum exitu 1 Cor. 10. v. 13, Lucæ 8. v. 13. Rom. 8. v. 35. ſeq. Hinc fit qvod animo diviſus, & Deo & mundo ſervire conetur: Quales fuêre Baalitæ, cor inter Deum & Baalem diviſum habentes 1 Reg. 18. v. 21: quales fuêre etiam illi, qvi volebant & Deo & Mammonæ ſervire, repræhenſi à Chriſto Matth. 6. v. 24. David Pſal. 12. v. 3 homines διψύχους interpretatur, qvòd corde

corde & corde loquantur, aliud ſcilicet lingvâ promentes, aliud verò in corde clauſum ſervantes. Qvæ eſt graphica hominum, de divinâ ope in tentationibus dubitantium, deſcriptio. Nam licet lingva fundant preces ad Deum, tamen alieniſſimo ſunt à Deo corde & affectu, dum de ejus aut potentia aut voluntate ad juvandum planè certi non ſunt. Hoc enim qvid aliud eſt, qvam Deum labiis honorare & corde ab eo longè abeſſe Matth. 15. v. 8.

Tertiò quæritur: *Quid ſit* ἀκατάστατον *eſſe? & quo ſenſu is vocetur* ἀκατάστατος, *qui de divino in adverſis auxilio certus ac ſecurus non eſt? & unde ſit hæc* ἀκαταστασία? Ἀκατάστατος *Plutarcho* is eſt, qui perturbationis ac tumultus plenus eſt: & ſervatori Chriſto Luc. 21. v. 9. atque Paulo 1 Cor. 14. v. 33. & 2 Cor. 12. v. 20. ἀκαταστασία tumultuatio eſt & agitatio, quæ impedit quò minus res quæpiam in quiete conſiſtere poſſit. Cui itaq; nulla quies, nulla pax, ſed qui intùs irrequietus, ἀκατάστατος eſt, juxta illud Prophetæ *Eſaiæ* cap. 57. v. 21. Non eſt pax impiis. Unde autem ſit hæc ἀκαταστασία, oratione ſubſtrictâ indicandum eſt. Id initio certum eſſe debet, hominem in primo rerum conditu, in Deo, & dilectionis filio, Jeſu, obtinuiſſe ſuam στάσιν ſeu conſummatam ſtabilitatem & quietem Gen. 1, 26. Col. 1. v. 15. 16. 17. In quo ſtatu quamdiu homo perſtitit, tamdiu στάσιμος ſeu ſtabilis ac minimè irrequietus fuit. Ex hac autem στάσει ac feliciſſimo ſtatu, ac ſolidiſſimâ ſtabilitate, ſimul ac aſtutiâ diaboli homo excidit, è στασίμω ſeu ſtabili & quieto, factus eſt ἄστατος ſeu tumultuationis & perturbationis plenus Gen. 3. v. 1. 2. 3. ſeq. Ut a. homo in priſtinam ſtationem & ſtabilitatem reduceretur, opus fuit καταστάτῃ ſeu reſtauratore, qvi hominem, extremè inſtabilem, & nullâ non perturbatione agitatum, primæ ſtabilitati & qvieti redderet ac reſtitueret. Hic autem καταστάτης, ſeu qvi eam, qvam primò conditi habuimus, ſtabilitatem & qvietem reddit, non eſt alius qvàm Chriſtus Jeſus, qvi ſangvine ſuo nos in priſtinam ſtationem & ſtabilitatem reſtituit Col. 1. v. 20, ita ut Juſtificati fide, pacem habeamus apud Deũ Rom. 5. v. 1. Ex horum autem numero, qvi in priſtinam ſtabilitatem & qvietem per Chriſtum reſtituti ſunt, neutiqvam ſunt δίψυχοι: nam omnes, qvi qvam in Adamo amiſerunt ſtabilitatem & qvietem, in Chriſto recuperarũt, hi in adverſis Deo indivulſe adhærent, nec cor ob æſtum afflictionũ inter Deum & mundum dividunt: ſed contrà cum *Paulo* dicunt Rom. 8. v. 35. 37. *Quis ſeparabit nos à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu? num afflictio,* στενοχωρία, *perſeqvutio, aut fames aut nuditas, aut periculum, aut gladius; ſed in his omnibus* ὑπερνικῶμεν διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς.

Qvartò qværitur: *Cur* δίψυχος *dicatur in omnibus ſuis viis* ἀκατάστατος? Non explicabo diductè, nomine *viarum*, phraſi Ebræâ ſignificari cogitationes, conatus, actiones; Notius enim hoc eſt, qvàm ut diductiore probatione ſit opus. Hoc verò verbo indico, fieri non poſſe, qvin qvi in Deo & Chriſto non eſt conſeqvutus ſtabilitatem & qvietem, liberatus divinâ gratia, à mentis volun-

luntatis & affectuũ impetuoſo tumultu, in omnibus cogitationibus, conatibus, conſiliis, fluctuet, neſcius qvid ſtatuat & concludat. Vera enim eſt hæc Prophetæ *Ieremiæ* vox cap. 10. v. 23. *Novi Iehovah, non eſſe penes hominem viam ipſius, nec eſſe penes virum ambulantem, vel dirigere greſſum ſuum.*

Doctrina. Noli Deo & mundo junctim ſervire: memor moniti Eliæ 1. Reg. 18. v. 21, & Chriſti Matth. 6. v. 24. Fruſtra eſt, qvod credas, te aut ex adverſis eluctaturũ, ſi ſcenæ ac tempori ſervieris, aut ad honores, ac alia mundi commoda evectum iri, ſi te mundo conformes. Memento non eſſe in tuâ manu dirigere tuos greſſus Jerem. 10. v. 23. Deo ſoli adhære; illi ſoli te committe & concrede; certus de auxilio ſalutari. Fecit id *David* Pſal. 121. v. 1. 2. ſeq., *Daniel* Dan. 6. v. 11. ſeq., *Paulus* Rom. 8. v. 35. ſeq.

V 9. Καυχάσθω δὲ ὁ ἀδελφὸς ὁ ταπεινὸς ἐν τῷ ὕψει αὐτοῦ.	v. 9. Glorietur autem frater humilis in ſublimitate ſua.

UBi primò qværitur: *Quomodo hic verſus cum iis quæ præceſſere cohæreat?* Diſſentiunt Interpretes. Sunt qvi putent, nullum eſſe partium in Epiſtola Jacobæa nexum, ſed omnia eſſe velut disjecta, nec ulla parte cohærentia membra. Qvæ eſt *Lucæ Oſiandri* in hunc locum ſententia. Nos monſtrabimus, ſingulas Jacobeæ epiſtolæ partes decentiſſimo ordine connecti. Alii volunt Apoſtolum ordiri novam doctrinam, ac nexum propterea præſentis verſus & præcedentium verſuum fruſtrà qværi: Cui ſententiæ accedere videtur *Salmeron* & *Bened. Iuſtinianus*, rati, qvòd Apoſtolus, qvi ſuperiùs docuit gaudendum eſſe in tentationibus; jam doceat, qvòd in humili etiam paupertatis ſtatu gaudere nos oporteat. Rectiùs ſentit *Piſcator*, *Paræus*, *Eſtius*, *Cornelius à Lapide*, *Interpretes Belgici*, qui præſentem verſum, cum præcedente doctrina, de gaudio in tentationibus, connectendum volunt: qvanqvam nexum hunc non uno modo omnes monſtrent. Sunt qvi verſum hunc jungendum contendant cum verſu remotiore, hoc eſt ſecundo, hoc ſcilicet: *Omne gaudium exiſtimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis.* Volunt enim, qvi hunc orationis Apoſtolicæ nexum tuentur, Apoſtolum tranſire à theſi ad ὑπόθεσιν: hoc eſt, ab afflictione & tribulatione generatim acceptâ, ad paupertatem & abjectiorẽ ſortem, quâ primi Chriſtiani maxime urgebantur. Qvam orationis Apoſtolicæ cohærentiam, præter alibs probant *Paræus*, & *Cornelius à Lapide*: mihi *gemino nomine* minùs probam. Uno; qvia partes nimis remotæ junguntur: *Altero*; qvia qvi mox ſubjunguntur divites, non poſſunt in horum venire cenſum, qvi duriùs affliguntur, indigi conſolationis. Ego hunc verſum, cum proximè præcedente belliſſimè cohærere cenſeo. Poſtqvam enim docuit Apoſtolus, homines, qvi fluctuant animo precaturi, διψύχους eſſe & ἀκαταστάτους in omnib. viis ſuis: monet jã & monſtrat, qvid facto ſit opus, tùm pauperibus, tùm divitibus, ne ipſos hæc ἀκαταστασία, ſeu mentis & voluntatis tumultuans & perturbans inqvietudo invadat: Nimirum, unumqvemqve in vitæ ſuæ conditione libenter acqvieſcere debere, ita ut neq; pauperior ob afflictio-

rem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

rem ſtatum animum deſpondeat, neq; qvi ditior eſt, ob divitias animo efferatur, memor inſtabilitatis ac momentaneæ durationis divitiarum. A qva etiam ſententia *Arias Montanus* ſuo in hunc locum commentario non videtur alienus eſſe.

Monſtrato, dictum in modum orationis Apoſtolicæ nexu: *Quæritur ſecundò: Qui nomine ταπεινῶν veniant intelligendi, & quo ſenſu jubeat Apoſtolus, ut humiles in ſublimitate ſuâ glorientur?* Ταπεινοὶ dicuntur, qvi vilis & abjectæ ſortis ſunt, nunqvam emergentes, ſed ſemper humi repentes, ac vix à terra aſſurgentes: Unde etiam οἱ ταπεινοὶ opponuntur τοῖς ὑψηλοῖς, proceris, altis. *Quo autem ſenſu ταπεινοὶ jubeantur gloriari ἐν ὕψει, non conſentiunt Interpretes. Hieronymus* lib. 3. in Threnos, *Beda*, *Carthuſianus*, *Salmeron*, ironiam hìc agnoſcunt, qvalis eſt in his *Ieremiæ* verbis, in lamentationibus, cap. 4. v. 21. *Lætare filia Edom, quia ad te pervenit calix Domini; inebriaberis atq; nudaberis.* Non probamus: Nec enim oratio Apoſtoli ironica eſt, qvippe qvâ inſtituit tum dejectos ac pauperes, tùm divites, docens, qvomodo ita ſe gerant, ne aut triſtiore aut lætiore rerum ſtatu turbentur. *Serarius* Jeſuvita ſuo in hunc locum comment. verba Apoſtoli tripliciter explicat. Non recitamus: nec enim operæ pretiũ eſt. *Cornelius à Lapide*, abiens à Serario, vult hunc eſſe verborum D. Iacobi germanũ ſenſum: *Humilis glorietur in ſui exaltatione, quam certo expectat.* Hanc enim Deus humilibus promiſit: ideoq; eam præſtat, ſæpè in hoc ſeculo, & ſemper in futuro. Æterna enim juſtaq; Dei ſanctio eſt: *Qui ſe humiliarit, exaltabitur* Mat. 23. v. 12. Qvam probarem expoſitionem, ſi ταπεινὸς hìc ſignificaret hominem dimiſſi animi, & qvi de ſe ſubmiſsè ſentiret. At ταπεινὸς hoc in loco, is eſt, qvẽ adverſa ſors dejecit & humi repere fecit. Nam non eſt novum, humiliationem pro afflictione uſurpari; ita ut ταπεινὸς ſit ταπεινωθεὶς, humiliatus, afflictus, veluti videre eſt Pſal. 116. v. 6. & 119. v. 71. annotantibus *Piſcatore*, & *interpretibus Belgicis*. Hunc itaq;, qvem afflictior ſors dejecit, jubet Apoſtolus ut cervices animosè erigat (id enim eſt καυχᾶσθαι, à radice αὐχὴν cervix), expendendo hanc ſuam ſublimitatem, qvòd in ſtatu hocce abjectiſſimo, verè ſit è numero filiorum Dei: qvæ eſt tanta ſublimitas, ut eminentior nec nominari, nec cogitari poſſit. De qvâ ſublimitate agit Dei Spiritus Ioh. 1. v. 12. Rom. 8. v. 17.

Tertio qværitur: *Quâ veritate afflictæ ſortis homines, in ſublimitate ſuâ jubeantur lætari, cùm inter afflictiſſimos iſtos, & dejectiſſimæ ſortis homines inveniantur non pauci, qui ſublimitate hac, quòd ſint filii Dei, nullo jure gaudere poſſint?* Nec enim qvotqvot ſors abjectior dejecit, verè filii Dei ſunt. Sed facilis eſt dubii adducti ſolutio. Nec enim Jacobus qvosvis abjectioris ſortis homines alloqvitur, ſed fratres, hoc eſt, veros Chriſtianos: qvi fratres ſunt, qvia eundem habent patrem Chriſtum, eandem matrem Eccleſiam; eodem Baptiſmo renati ſunt; eandem hæreditatem cœleſtem exſpectant: annotante hìc *Cornelio à Lapide*. Et vel inde qvàm manifeſtiſſimum eſt, alloqvi Apoſtolum verè fideles: qvia hi ſoli habent ſublimitatem illam adoptionis in filios Dei, in qvâ jubentur gloriari.

Doctrinæ. Pauper, qvem ſors afflictior dejecit, ne deſpondeat animum. Placeat ſibi in ſua ſublimitate. Ecqvid enim ſublimius eſſe poteſt, qvàm qvod cer-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

certus ſit, ſe eſſe unum è numero filiorum Dei Joh.1. v.12., hæredem Dei eſſe ſe & cohæredem Chriſti Rom.8,17. Intueamur Jeſum, qvi non habuit qvò vel caput reclinaret Mat.8.v.20. Meditemur beatiſſimam Lazari ex hac vita emigrationem Luc.16.v.22. Imitemur Paulum, qvi omnia duxit σκύβαλα præ eminenti cognitione Jeſu Chriſti Phil.3.v.8. Hæc eſt ſublimitas illa, qvam afflictiori iſti ſorti animosè opponemus.

v. 10. Ὁ δὲ πλούσιος, ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ, ὅτι ὡς ἄνθος χόρτου παρελεύσεται.

v. 10. Dives vero in humilitate ſua: qvoniam veluti flos fœni tranſibit.

NExum hujus verſus & præcedentium verſuum, verſu præcedente indicavim⁹: de ipſa re jam agemus. Πλουσίων nomine, qvi propriè veniant intelligendì, indicat Xenophon, inqviens: πλουσίους οἶμαι τοὺς μὲν πλείω τῶν ἱκανῶν ἔχοντας, id eſt, qvibus plus qvàm ſatis eſt ſuppetit. *Quo autem ſenſu dives & qui opibus abundat, & cui omnia ad nutum & votum fluunt atq; ſuccedunt, in ſuâ humilitate gloriari debeat*, diſſentiunt Interpretes. *Beda, Thomas Anglicus, Hugo, Lyra*, ſeqvuti *Hieronymum*, ironicè interpretantur, hoc ſenſu: *Dives, ſi lubet, glorietur in divitiis ſuis: ſed ſciat certò, ſe iis privandum, & humiliandum.* Non probo: Nam nexus orationis ſatis docet, non ironiam, ſed inſtitutionis ſalutaris plenam orationem eſſe, qvâ docetur, qvid divitibus faciendum ſit. Nec jubet Apoſtolus, ut dives in divitiis, ſi volet, glorietur, ſed mandat ut in humilitate glorietur: qvæ eſt maximè ſeria ſvaſio, adducta ſvaſionis evidenti ratione, deſumpta à momentanea fortunati ſtatus duratione. *Oecumenius*, non videns, qvomodo gloriari poſſit dives in ſua humilitate, non putat ſubintelligi hîc verbum, glorietur; ſed contrarium αἰσχυνέσθω, pudefiat, confundatur, hoc ſenſu: Dives confundatur in humiliatione, qvæ ipſi parata eſt, & qvam certò exſpectare debet. Qvi ſenſus videtur *Cornelio à Lapide* nervoſus, & cenſet huc ducere ea qvæ ſeqvuntur; *quoniam ſicut flos fœni tranſibit.* Mihi videtur eſſe violenta expoſitio: Nec enim verbum αἰσχυνέσθω, *confundatur*, in textu primigenio eſt; ſed violenter intruditur, cùm è verſu præcedente repeti debeat, καυχάσθω, *glorietur.* Probo itaq; expoſitionem *Vatabli, Cajetani, Salmeronis, Aretii, Piſcatoris, Paræi, Interpretum Belgicorum*, qvi volunt, urgere Jacobum, ut qvi eminet in hoc mundo, affluens opibus, & ad maximos evectus honores, ſubmiſsè & humiliter de ſe ſentiat, memor mutabilitatis rerum humanarũ. Non enim ταπείνωσις hic ſtatum, ſed animi affectum notat, & ad mores refertur, obſervante inter alios *Piſcatore.* Vera certè ταπείνωσις divitum eſt, qvod licet in mundo ſe eminere videant, opibus affluentes, honoribus cumulati, amicis & clientibus ſtipati; in ſolo tamen Deo glorientur: juxta hoc Jehovæ apud Prophetam *Ieremiam* cap. 9. v. 23. 24. *Ne gloriator ſapiens in ſapientiâ ſua, neq; gloriator potens in potentia ſua, neq; gloriator dives in divitiis ſuis. Sed in hoc glorietur qui gloriatur, ſe intelligere & cognoſcere me eſſe Iehovam, exercentem benignitatem, jus & juſtitiam in terrâ.* Cauſam apponit *D. Iacobus*, cur diviti non in divitiis, ſed in humilitate gaudere oporteat:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

reat: *Qvoniam ſicut flos herbæ tranſibit.* Freqvens eſt ſcripturæ, res maxime inſtabiles & caducas, floribus comparare, tanqvam qvi ſint prope momentaneæ durationis: Nam non raro uſu venit, ut ubi herbæ vix florere cœperunt, deflorcant: Vide Pſal. 103. v. 15. Eſa. 40 v. 6 7. 8. 1. Pet. 1. v 24 aliisq; ſcripturarum locis. Nec ſine juſtâ causâ Apoſtolus non divitias, ſed *ipſos divites* cum caducis florib. confert. Nam non modò divitiæ, fluxæ & fragiles ſunt; ſed ipſi etiam divites, qvi divitiis fidunt, momento tranſeunt, evaneſcunt, & pereunt: qvod exemplo divitis coloni Luc. 12. v. 20. 21. & Epulonis Luc. 16. v. 19. ſeq. qvàm manifeſtiſſimum eſt.

Doctrinæ. Noli glorioſius te jactare, ſi opibus affluis, honore emines, amicis ſtipatus es. Momentanea ſunt: exemplo divitis coloni, Luc. 12. v. 20 21. epulonis Luc. 16. v. 19. ſeq. Nabuchodonoſoris Dan. 4. v. 30. ſeq. Balthaſaris Dan. 5. v. 1. 2. ſeq. Herodis Act. 12, 21. 22. 23. Qvò qvisq; ditior & honore cumulatior; eò humilius de ſe ſentiet & ſubmiſſiùs geret, exemplo Davidis Pſal. 131. v. 1. 2. 3. & ipſius Chriſti Joh. 13. v. 12. 13. ſeq.

v. 11. Ἀνέτειλε γὰρ ὁ ἥλιος σὺν τῷ καύσωνι, καὶ ἐξήρανε τὸν χόρτον, καὶ τὸ ἄνθος αὐτοῦ ἐξέπεσε, καὶ ἡ εὐπρέπεια τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἀπώλετο· οὕτω καὶ ὁ πλούσιος ἐν ταῖς αὐτοῦ πορείαις μαρανθήσεται.	v. 11. Exortus enim eſt Sol cum ardore, & arefecit herbam, & flos ejus decidit, & ſpectabilis decor ejus periit: ita & dives in viis ſuis marceſcet.

QVæ eſt cauſa ſubitanei interitus divitum, divitiis fidentium, eleganti ſimilitudine indicata. Docet enim Apoſtolus, parem eſſe rationem herbarū, qvas humore irrigante deſtitutas, æſtus ſolis adurit & coqvit; & divitum, in qvos juſtitiæ & iræ ſuæ radios Deus ardentiùs ſpargit. Nam veluti herba, ſucco deſtituta, & urente ſolis ardore validiùs preſſa, momento & ſine mora areſcit, florem amittit, & εὐπρέπεια universâ τοῦ προσώπου, qvod ait Apoſtolus, ſeu omni illa elegantia, qvâ exterius ſplendebat, triſti ſpectaculo ſpoliatur. Ita divites, opib⁹, honore, amicis, ſplendido veſtitu floridi, ſubito caſu marceſcunt, ubi deſtituti viva Spiritus Sancti conſolatione, ab ardore juſtitiæ & iræ divinæ fervidiùs impetuntur. Ecqvid enim aliud ſunt divitiæ, honores, amici, veſtes ſplendidæ, & qvæ ſunt ejus generis longe plurima, qvàm εὐπρεπὲς πρόσωπον ſeu larva decore eximia, qvam ex hac vita tranſituri divites neceſſariò exuent & deponent, monente *Davide* Pſalm 49. v. 18. & exemplo ſuo id commonſtrante, tum *epulone* Luc. 16. v. 19. ſeq. tum *Herode*, Act. 12. v. 21. 22. 23.

Hic verò meritò qværſiveris: *cur hanc vitæ humanæ brevitatem & fragilitatem Iacobus ad divites reſtringat; cùm ſimilitudinem, à momentaneâ florum duratione deſumptam, Spiritus Dei ad omnes omninò homines extendat, Eſa 40. v. 6. 7. Eccl. 14, 18. 1. Pet. 1. v. 24.* Probo *Interpretum Belgicorum* ſententiam; qvi id factum cenſent, qvòd vix ulli ſint, qvi rebus mundanis, citò pereuntibus, arctiùs adhæreant, qvàm divites: qvâ etiam de cauſa divites hujus monitionis maxime egent, monente D. Paulo 1 Tim. 6. v. 17. Emphaſi non caret hæc D. Jacobi ſvaſio:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ſio: ὁ πλούσιος ἐν ταῖς πορείαις αὐτοῦ μαρανθήσεται. *Eraſmus* pro πορείαις legendum putat πορίαις: πορεία enim eſt à πορεύω, viam, ambulationem, profectionem ſignificans, πορία vero eſt à πόρος, atqve eſt abundantia, copia, divitiæ. Nec diſplicuit *Calvino* hæc lectio. *Beza* reſtitat, & opponit omnia exemplaria Græca, in qvibus invenitur, non πορία, ſed πορεία. *Gagnejus* diſſentit, qvi in codice qvodam S. Dionyſii propè Lutetiam πορίαις legiſſe ſe docet. Qvæ non potuit eſſe genuina lectio, ſiqvidem πορία vox eſt probatis lingvæ Græcę ſcriptorib. ignota, annotantibus *Stephano* & *Beza*, ſed diſſentiente *Druſio*. Valdè verò apta eſt metaphora, qvâ D. Jacob. utitur, qvando dicit, *divitem in viis marceſcere*, & ſcripturæ familiaris: veluti legere eſt Pſ. 1. v. ult. Job. 30, 13. Prov. 12, 26. 28. Indicare vult, non tantùm ipsũ divitèm, & ipſas divitias, ſed etiam qvicqvid dives aut animo deſignat, aut facit, marceſcere, & velut lentâ tabe conſumi. Nã μαραίνομαι eſt tabefio, elangveo: & μάρανσμα eſt tabes ſeu immodica totius corporis ariditas & conſumptio: Qvomodo autem divitiæ velut tabeſiant, docebit diductiùs D. Jacobus c. 5. v. 1. 2. 3.

Doctrina. Rei nimium fragili fidunt, qvi divitiis, honori, ſplendori ſeculi fidunt. Tàm ſunt iſta diuturna, qvàm durabilis eſt flos, qvem aut validior ventus momento decutit, aut ardentiſſimus ſolis æſtus nictu oculi citius labefacit. Pharao manè floret, regio ſplendore nitet & fulget, ſed intra veſperam in rubro mari ſubmerſus, piſcibus pabulum eſt, Exod. 14. v. 24. 25. ſeq. Nabuchodonoſor, qvo ſe & ſua glorioſius extollit momento, mira mutatione ſpoliatur omni decore, & bonis ac dignitate regia exutus, ac mente motus in cenſum beſtiarũ venit, & communi cum ipſis gaudet, & luſtro & pabulo, Dan. 4. v. 30. 31. ſeq. Balthazar ebrius gloria mundi & vino occiditur Dan. 5, 22. ſeq. Aman qvo momento inſoleſcit vano mundi ſplendore, ad crucem & patibulum abripitur Eſth. 7. v. 8. ſeq. Meminerint itaq; divites monitionis Paulinæ 1 Tim 6. v. 17. 18. 19.

v. 12. Μακάριος ἀνὴρ ὃς ὑπομένει πειρασμόν· ὅτι δόκιμος γενόμενος λήψεται τὸν στέφανον τῆς ζωῆς, ὃν ἐπηγγείλατο ὁ κύριος τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν.

v. 12. Beatus vir qvi tolerat tentationem, qvoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, qvam Dominus promiſit diligentibus eum.

PRimò quæritur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus?* Concludit D. Jacobus locum de tolerantia crucis inſigni epiphonemate: qvo continetur argumentũ efficaciſſimum, ad permovendum homines, ut adverſa æqviſſimo animo ſuſtineant. Etenim his, qvi libenter & læti tentationem ſuſtinent, prædicantur beati, ac re jam bene geſta, vita ipſis promittitur æterna. Sed ſingula Apoſtoli verba diſtinctis qvæſtionibus expendemus.

Secundò qværitur: *Quid ſit* ὑπομένειν πειρασμόν? ὑπομένειν, vi vocis, eſt ſubtùs manere, & expectare: ac plærumq; de illis uſurpatur, qvi irruentem hoſtis impetum viriliter ſuſtinent: veluti non tantùm ex Homeri Odyſſeâ,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ſeâ, ſed etiam ex Plutarcho, Thucydide, Herodiano, aliis, liqvidò certũ eſt. Hic itaq; dicitur ὑπομένειν πειρασμὸν, qvi adverſis non cedit, ſed impetus adverſitatum, etiam validiſſimos, animoſè excipit, ac ſuam voluntatem divinæ libenter ſubmittit. Cujuſmodi tolerantiæ exemplum habemus in *Iobo* c. 13. v. 15. & *Paulo*, Rom. 8. v. 35. ſeq. & *aliis*, qvos nullæ adverſitates à recto tramite abducere potuerunt.

Tertiò qværitur: *Qui voce μακαρίου propriè ſignificentur?* Hos, qvi adverſitatibus cedere neſciunt, Apoſtolus prædicat μακαρίους. Eſt autem is, vi nativâ vocis, μακάριος, ſi verus aliàs eſt *Euſtathius*, qvi μὴ ὑπόκειται κηρὶ, id eſt, qvi ſorti, fortunæ, fato ſubjectus non eſt, ſeu qvi velut extra teli jactum conſtitutus eſt: Unde & Svidæ μακάριος dicitur, ὁ ἐν ἀγαθοῖς πάντοτε ὤν, i. e. qvi perpetuò verſatur in bonis. Et priſci, vitâ functos, qvaſi vitæ miſeriis defunctos, vocabant μακαρίτας, annotante Budæo. Qvam vocis μακαρίου originationem & ſignificationem, eò libentiùs hîc admittimus, ubi de tolerantia in tentationibus agitur; qvò doctrinæ Paulinæ Rom. 8, 31. 32. ſeq. exactiùs reſpondet. Novum vero non eſt, hos prædicari beatos, qvi tentationes æqvo animo ſuſtinent. Eadem enim eſt *Chriſti*, Matt. 5. v. 10. 11. 12. & *Petri* 1. epiſt. 3. v. 14. aſſertio.

Sed vero qvoniam παράδοξον eſt homini, ductum rationis ſeqvuto, eum, qvi tentationibus undiqvaq; urgetur, beatũ eſſe: *Quartò quæritur: Quo nomine prædicetur beatus, qui tentationibus undiquaq; premitur?* Promit Apoſtolus luculentam aſſertionis ſuæ cauſam, his enuntiatam verbis: ὅτι δόκιμος γενόμενος λήψεται τὸν στέφανον τῆς ζωῆς. Ubi *duo* explicanda ſunt. *Vnum: Quid ſit hominem in tentationibus inveniri* δόκιμον? Metaphora eſt, à numiſmatis deſumpta, qvorum bonitas igne & Lydio lapide exploratur. Hac enim arte numiſmata δόκιμα & ἀκίβδηλα diſcernũtur à numiſmatis τοῖς παρακεκομμένοις, loqvutione hinc à metallis ad homines tranſlata. Nam Jacobo δόκιμοι hic cenſentur, qvi igne tentationum explorati, & nullo non adverſitatũ afflictionumq; genere exercitati, Deo ſuo conſtantiſſime adhæſerunt, nec ſe ab ipſo vel latum pilum ulla calamitate abduci paſſi ſunt. Illuſtrat & probat hoc D. Jacobus c. 5. v. 10. 11. exemplo tùm *Prophetarum*, tùm *Iobi*; à qvibus jubet ſumamus ὑπόδειγμα τῆς κακοπαθείας καὶ τῆς μακροθυμίας. Qvi vero & qvales ſint ἀδόκιμοι, fusè explicat Jehova Jerem. 6. v. 27. 28. 29. 30. *Alterum: Quid veniat intelligendum nomine* στεφάνου τῆς ζωῆς? Hoc enim eſt præmium, qvod his promittitur, qvi tentationem ad finem usq; vitæ toleranter ſuſtinent. Meminit non uno loco hujus prœmii ſcriptura. *Pauli* vox eſt 2 Tim. 4. v. 8. *Repoſitus eſt mihi* ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος. Petri aſſertio eſt 1. Epiſt. 5. v. 4. φανερωθέντος τοῦ ἀρχιποίμενος, κομιεῖσθε τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον. Dei ipſius in Apocal. c. 2. v. 10. ad Epiſcopũ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Smyrnenſem allo ͜ quium eſt: Γίνου πιςὸς ἄχρι θανάτου, καὶ δώσω σοι τὸν ςέφανον τῆς ζωῆς. Qvæ eſt gloriæ cœleſtis concinna circumloqvutio. Ubi namq; in arenâ tentationum ad finem usq; vitæ viriliter pugnaveris, cedet tibi corona, non ex apio, aut oleaſtro, aut ſimili re evanidâ contexta; ſed donaberis, ςεφάνῳ ἀφθάρτῳ καὶ ἀμαράντῳ 1. Pet. 1. v. 4, qvi te vitâ Apoc. 2. v. 10, juſtitiâ 2 Tim. 4 v. 5. & gloriâ 1 Pet. 5. v. 4. ita ςέψει, cinget, circumdabit & circumfundet, ut nullus ampliùs peccato, periculis, morbo, morti, futurus ſit locus 1 Cor. 15. v. 54. 55. 56. ſeq.

Quintò quæritur: An corona vitæ, promiſſa his, qui tentationes viriliter perferunt, meritum operum adſtruat? Diſputant hic interpretes Pontificii, inprimis *Lorinus, Eſtius, Benedictus Iuſtinianus, & Cornelius à Lapide,* de merito tolerantiæ, neſcio qvo. Contendunt enim, juſtos ſuâ patientiâ & bonis operibus mereri cœleſtem gloriam. Docere id volunt D. Jacobum, qvando dicit, accepturum eum, qvi adverſa perfert & obdurat, *coronam vitæ:* Hæc enim vincenti, qvaſi præmium & merces certaminis, debetur. Falluntur. Nec enim qvenqvam ſuâ patientiâ mereri poſſe vitam æternam, ita docet Paulus Rom. 8. v. 18. λογίζομαι ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς. Et cui ignotum eſt hoc Spiritus S. effatum: τὸ δὲ χάρισμα τοῦ θεοῦ ζωὴ αἰώνιος ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν Rom. 6. v. 23. E voce *coronæ,* meritum falsò exſculpitur. Etenim teſtis eſt ſcriptura, Deum iſtis etiam nos coronare bonis, qvæ in nos nullo noſtro merito, ſed è mera gratia confert, veluti videre eſt Pſal. 103 v. 4. Apoc. 4. v. 10. 11.

Sextò quæritur: An quibusvis, adverſitates varias ſuſtinentibus, vitæ corona divinitùs promiſſa ſit? Dubium ut diſſolvat D. Jacobus, docet, qvinam illi ſint, qvi hanc vitæ coronam ſibi certò polliceri poſſunt, dum ait: ὃν ἐπηγγείλατο ὁ Κύριος τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν. Paſſiones enim, etiam duriſſimæ ſeparatæ à Dei dilectione, nihili ſunt. Notum eſt hoc *Pauli* 1 Cor. 13. v. 3. *Si tradam corpus meum ut comburar, charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Qvare qvotqvot unqvam ſuo bono paſſi ſunt, mero Dei & Chriſti amore paſſiones ſuſtinuerunt. Teſtatur *Chriſtus* Matt. 5. v. 11. teſtantur *Apoſtoli,* qvi flagellis caſtigati, lætantur, qvod digni eſſent habiti, qvi paterentur pro nomine Jeſu Actor. 5. v. 40. 41: teſtatur *Apoſtolus* Paulus, qvi ait Rom. 8 v. 35. 36. 37. *Quis ſeparabit nos à charitate Chriſti? num afflictio, num anguſtia, num perſeqvutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? ſicut ſcriptum eſt: Tui cauſa occidimur totum diem: reputati ſumus velut oves mactationi deſtinatæ. Sed in his omnibus, ampliùs quam victores ſumus per eum, qui dilexit nos.* His itaque, qvi ſincero Dei & Chriſti amore paſſiones æqvo animo ſuſtinent, Deus coronam vitæ promiſit. Si qværis: *qui verè cenſendi ſint Deum amare:* verbo reſpondemus: hos ſolos hoc honorario elogio dignos eſſe, qvibus omnia præ Deo ſordent, adeò ut ſi Deo gaudent propitio, læti acqvieſcant, nec ſecunda, nec adverſa morati. Firmat explicationem *Chriſtus* Matt. 10 v. 37. 38. 39. & eam comprobant exemplo ſuo *Abraham* Gen. c. 22. v. 1. ſeq. *Iob* c. 13. v. 15. *Paulus* Rom. 8. v. 35. ſeq.

Septi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Septimò qvęritur: *An quia Deus promittit diligentibus ipſum coronam vitæ æternæ, indè rectè inferant Pontificii, vitam æternam eſſe charitatis meritum?* Cornelii à Lapide ſuo in hunc locum commentario audax effatum eſt, Divum Jacobum hic adſcribere charitati, velut merito & cauſæ merendi, coronam gloriæ & vitæ æternæ. Evincere hoc conatur, tùm è dicto *Pauli* 2. Tim. 4. v.8. ubi hæc corona vocatur *corona juſtitiæ*; tùm è verbo *repromittendi*: Qvod enim repromittitur ſub conditione certaminis & operum, eorundem merces eſt. Quæ qvantumvis primâ fronte ſpecioſa videntur, verè tamen monſtroſa ſunt. Nos noſtra dilectione mereri coronam vitæ æternæ, negat *D. Iohannes*, inqviens 1. Epiſt. cap.4. v.10: *In eo eſt dilectio, non quod nos prius dileximus eum, ſed quod ipſe prior dilexit nos.* Negat etiam *Paulus*, uſus his verbis, Rom: 11. verſu 35: τίς προέδωκεν αὐτῷ καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ? Meminit quidem Paulus *coronæ juſtitiæ* 1. Tim.4. v.8: ſed inde exſculpi poſſe meritum operum, diſertiſſimè negat Paulus Rom.4 v 1.2. 3. 4 5. Verbo *repromittendi* nullo ſucceſſu pugnatur. Nam licet hac voce utitur vetus interpres, Pontificiis authenticus; in textu tamen Græco, qvem nos pręferimus, eſt verbum ἐπηγγείλατο; qvod non ſignificat *repromittere*, ſed *promittere*; & ἐπάγγελμα non eſt iterata promiſſio, ſed pollicitatio, promiſſio, denunciatio. Tantum autem abeſt verbum, qvod hic uſurpat D. Jacobus, meritum tolerantiæ & dilectionis adſtruat, ut potiùs deſtruat. Nam ἐπαγγελία præconis voce denunciata promiſſio eſt, ſed non quævis, verùm ea, quæ eſt merè gratuita, neutiqvam verò meritoria. Hanc enim eſſe vocis nativam ſignificationem docent dicta Act: 2, 39; Galat. 3. v.14: nam iſtis in locis ἡ ἐπαγγελία opponitur legi, quæ promiſſiones qvidem habet, ſed ſtipatas qvaſi conditione perfectiſſimæ obedientiæ: qvæ ſi abeſt, non præmium exſpectandum eſt, ſed pœna metuenda Deut:27.v 26.

Doctrinæ. Ne te dixeris infelicem, ubi cruce & varia tentatione duriùs urgeris. Beatum te potiùs prædicato, multiplici adverſitate interiùs & exteriùs preſſum. Non urgebo, cruce, velut freno, coërceri petulantes carnis cupiditates 2 Cor. 4. v. 16. 1 Pet. 4. v. 1.2. Tacebo tentationibus conformari nos Chriſto Ebr.4. v.15. Nihil de eo dicam, afflictionibus accendi in nobis æternæ vitæ deſiderium 2 Cor. 4. v. 17. 18. Hoc tantùm promam; Duci nos per crucem ad æternam beatitudinem, teſte *Chriſto* Matthæi 5.v.10.11, *Paulo* Romanor.8 .v.17. Intuere Moſen, qui libens ſuſtinuit duriſſimas adverſitates, reſpiciens μισθαποδοσίαν Ebr.11 v.26. Intuere Jeſum, qui per paſſiones intravit in gloriam, Lucæ 24. v.26, Philip. 2. v. 7. 8 ſeq. Intuere ſanctos, qui ſtant coram throno Dei; è tribulationibus & tentationibus jam eluctati Apoc. 7. v.13 ſeq. Hoc itaq; in cœlis gaudio qui vult frui, adverſitates æqviſſimo animo ſuſtinebit: oportet enim ut per varias tribulationes in regnum Dei ingrediamur Act. 14. v. 22.

Et hic eſto terminus primæ parænеſeos Apoſtoli Jacobi, qvâ ad tentationes æquo animo ferendas hortabatur.

Parænesis ſecunda, quâ dehortatur Apo-

ſtolus lectorem ab ea blaſphemia, quâ nonnulli ſua peccata transſcribunt Deo, à verſu 13 uſq; ad v.18.

V. 13. Μηδεὶς πειραζόμενος λεγέτω· ὅτι ἀπὸ τοῦ θεοῦ πειράζομαι· ὁ γὰρ θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν, πειράζει δὲ αὐτὸς οὐδένα.

V. 13. Nemo tentatus dicat, quod à Deo tentetur: Deus enim à malis tentari non poteſt: tentat autem neminem.

HIc primò qværitur: *Quomodo hæc paræneſis, cum præcedanea paræneſi, de cruce toleranter ſuſtinenda, cohæreat?* Reſeco diſſentientes interpretum ſententias, ne ſim nimia prolixitate tædioſus. Veram ſententiam paucis ſignabo. Diſſeruit Apoſtolus proximè præcedente admonitione de tentationibus æquo animo ferendis: cùm verò invenirentur nimis multi, qvi ut perſeqvutionem evitarent & extra teli jactum eſſent, fidem Chriſti aut abnegabant, aut diſſimulabant: Oſtendit Apoſtolus hanc eſſe periculoſiſſimam tentationem: ac ſumptâ inde occaſione, qvàm diviniſſimè diſſerit, de tentationibus, qvarum auctor non eſt Deus.

Secundò quæritur: *Quâ vel ſpecie veri dicat Apoſtolus non tentari quenquam à Deo?* Nonnè Deus Abrahamum tentavit Gen.22.v.1.2. ſeq.? Nonnè Deus diſertè teſtatur, tentare ſe Judæos, quando in medio ſurgit Propheta, qui prodigiis fidem facit falſæ doctrinæ, Deut.13. v.1.2.3.? Ut alia loca omittam, quæ in ſcripturis occurrunt infinita. Sed facilis eſt conciliatio. Etenim Deus eſt auctor tentationum, quibus fides, conſtantia, patientia hominum exploratur. At de talibus tentationibus hic non eſt ſermo Apoſtolo: ſed eas tentationes à Deo proficiſci negat D. Jacobus, quibus homo ad peccandum allicitur, inſtigatur, permovetur. Nam τὸ πειράζεσθαι in hac diſſertatione Jacobæâ idem eſt, qvod ſollicitari ac incitari ad peccandum: quo ſenſu Diabolus nominatur ὁ πειράζων Matth.4. v.3. 1.Theſſal.3. v.5, ut qui ſuis tentationibus perniciem hominum intendat, dum ad peccandum inſtigat.

Tertiò qværitur: *An de ſolis internis tentationibus, hîc agat Apoſtolus?* Ita cenſet *Paræus*: quod non facilè conceſſero: Nam de omni tentatione hîc ſermo eſt, qvæ ad malum ſeu peccatum incitat tentatum. Ecquis vero neſcit, Diabolum etiam uti externis tentationibus, ut hominem in peccatum præcipitet? Chriſtum certè externis tentationibus à recto tramite abducere conatus fuit impudens ille ſpiritus Matth.4. v.1.2. ſeq. Jobum etiam externis afflictionibus urget, ut à Deo deficiat Job 1. v.11. & cap. 2. v.5.

Qvartò qværitur: *Quinam fuerint impudentes iſti hæretici, qui Deum cauſam peccatorum conſtituerint, hîc ab Apoſtolo redarguti?* Interpretes cenſent notari ab Apoſtolo *Simonem Magum*, qui, referente *Vincentio Livinenſi* cap. 34, temporibus Apoſtolorum impuro ore docuit, Deum malorum peccatorumque cauſam & auctorem eſſe. Hunc poſtea ſeqvuti ſunt *Florinus*, *Blaſtus*, *Apelles*, *Hermo-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Hermogenes, Seleucus, Hermias, Valentiniani, Marcioniſtæ, Manichæi, alii. Qvibus *Salmeron, Paez, Lorinus, Cornelius à Lapide*, ſuis in hunc locum commentariis, annumerant *Lutheranos & Calviniſtas*. De *Calviniſtis* qvid hic ſtatuere conveniat, diximus tùm in Syſtemate Theologiæ, tùm in noſtro de hæreſi tractatu: quò lectorem remittimus. *Lutheranis* certè hanc dicam mendaciſſimè ſcribi, evincunt tùm publicæ confeſſiones, tùm innumera noſtrorum Theologorum ſcripta, qvibus hanc blaſphemiam multò fortius & felicius quàm Pontificii impugnarunt.

Qvintò qværitur: *Quid ſibi velint hæc verba*; ὁ γὰρ Θεὸς ἀπείραστος ἐστι κακῶν? Diſſentiunt interpretes. Sententias recitabo non omnes, ſed quæ aliqvam præ ſe ferunt veri ſpeciem, *tres* ſtrictìm allaturus. *Prima ſententia eſt Clementis lib. 2. Conſtit. Apoſt: cap. 8. qui, referente Salmerone, docet, Deum vocari intentatorem malorum, quia non malos, ſed duntaxat bonos tentat, puta Abrahamum, Iobum, Davidem, Tobiam.* Nugæ. Non diſputabo, quâ fide citetur ψευδεπίγραφος Clemens: de ipsâ tantùm re agam, quæ non poteſt probari veritatis amanti. Nam & vox *intentator*, vox barbara eſt, Latinis ſcriptoribus ignota, à vetere interprete ruditer inventa: & falſum eſt, Deum non tentare malos. Hanc enim aſſertionem impugnant dicta Exod. 16. v. 4. Deut. 8. v. 2. & 13. v. 1. 2. 3. 4. ſeq. *Secunda ſententia eſt Lorini, qui ut tueatur auctoritatem vulgati Interpretis, ita vertentis verba Apoſtoli: Deus eſt intentator malorum:* activè locutionem Apoſtolicam explicat; hoc ſenſu: *Deum nemini ſvadere malum, nec quenquam ad peccandum provocare.* Sed obſtat tùm vocis ſignificatio, quæ paſſiva eſt, annotante *Oecumenio*, ſcriptore Græco; tùm contextus: ταυτολόγος enim foret Apoſtolus, ſi diceret, *Deum eſſe* ἀπείραστον κακῶν; & ſtatim ſubjungeret: *Nec enim tentat qvemquam.* Qvin & periculoſa aſſertio eſt, Deum eſſe intentatorem malorum. An enim dicendum, Deum intentare mala? Negat id Jacobus. Quocirca ſi vox *intentatoris* maximè latina eſſet, verſio tamen adverſa foret menti Apoſtoli, obſervante ſuis in N. T. exercit: *Heinſio* pag. 586: Nam mala intentat, qui ad mala ducit, incitat. *Tertia ſententia eſt Eraſmi, Bezæ, Piſcatoris, Interpretum Belgicorum, qui locutionem, Deus eſt* ἀπείραστος κακῶν, *paſſivè accipiunt, quaſi dicat Apoſtolus; Deum non tentari à malis.* Cum enim ſolus Deus ſit bonus Matth: 19. v. 17: quâ quæſo ratione ab ullâ re malâ afficeretur? Cæterùm ex hac Dei bonitate, qvæ tanta eſt, ut à nullâ re malâ tentari, ſollicitari, affici poſſit, infert Apoſtolus: *Ipſe neminem tentat.* Diximus ſermonem eſſe de tentatione, quâ ad malum ſive peccatum is impellitur, qvi tentatur. Cujus generis tentationes non eſſe à Deo, urget Apoſtolus, urget univerſa ſcriptura. *Iehovæ* ipſius apud Eſaiam c. 65. v 12 aſſertio eſt: *Feciſtis quod malum videtur in oculis meis, & id quod non volui elegiſtis.* Davidis rotunda ſententia eſt Pſal: 5. v. 5: *Tu es Deus nolens iniquitatem.* Dei ſeria & ſevera vox eſt, Zach. 8. v. 17: *Ne cogitetis malum, nec falsò juretis: nam omnia hæc odi: dictum Iehovæ.* Sophoniæ monitio eſt c. 3. v. 5. *Iehova juſtus eſt, & nihil iniqvum facit.* Et quâ vel ſpecie juſtitiæ Deus peccata aut prohiberet, aut puniret, ſi ad eadem ipſe impelleret?

Sextò qværitur: *Anne D. Iacobus, dum contendit Deum eſſe* ἀπείρα-

στὸν

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

στὸν κακῶν, nec tentare ad malum, hac aſſertione adverſetur ſcripturæ, multis locis tribuenti Deo, quod induret Exod. 7, quòd efficacem errorem immittat 1 Reg: 22. v. 22. Eſ. 63. v. 17. 2 Theſſal. 2. v. 11 excæcet Eſa. 6. v. 9. 10, homines in pravas cupiditates tradat Rom. 1. v. 24. 26? Non libet jam ſingula dicta expendere. Labore iſto alibi dedita operâ defuncti ſumus. Suffecerit, D. Jacobum diſertiſſimis verbis removere à Deo omnem ſuſpicionem efficacis ullius actionis, qvâ homo ad peccandum impelli poterit. Cui aſſertioni qvicqvid adverſatur, meritò improbatur, tanqvam qvod à Deo non ſit dictum, aut minùs rectè intellectum.

Doctrina. Cave mi homo, ne Deum ullius peccati, aut tentationis ad peccandum, auctorem conſtituas. Qvâ enim ratione conſtituetur Deus peccati auctor, qvi diſertè dicit, ſe non velle peccatum, ſe odiſſe & deteſtari peccatum Pſal. 5. v. 5: Pſalm. 31. v. 7. Eſa: 65. v. 12: Zach 8. v. 17? An putabimus, Deum eſſe δίψυχον, qvi aliud in animo ſentiat, aliud promat? Et qvid magis abſurdum vel excogitari poteſt, quàm Deum incitare ad peccata, qvæ ſeveriſſimè prohibet, in qvæ etiam graviſſimis pœnis animadvertit Gen. 2. v. 16. 17. Exod: 20. v. 5. Deut. 27. v. 15. 16 ſeq. Tyrannus certè foret Deus, crudeliſſimis tyrannis, ipſo etiam Buſiride & Nerone crudelior, ſi homines ad peccandum impelleret, & tamen peccata pænis temporariis & æternis caſtigaret. Hæcnè cohærere poſſunt cum Dei bonitate, quæ eſt tanta, ut ſolus ſit bonus Matth. 19. verſu 17.

V. 14. Ἕκαστος δὲ πειράζεται ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας ἐξελκόμενος καὶ δελεαζόμενος.

V. 14. Sed unusqviſq; tentatur à propriâ cupiditate abſtractus & ineſcatus.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus? Et quid nomine concupiſcentiæ hîc ſignificetur?* Remotâ, verſu præcedente, falsâ tentationum, ad peccata ducentium, [c]ausâ, jam genuina & propria iſtarum tentationum cauſa promitur: quæ eſt *Concupiſcentia*, ſeu ἐπιθυμία. Cujus vocis nativæ ſignificationi explicandæ non eſt qvòd immoremur. Nemini enim non qvàm notiſſimum eſt, qvòd radix ſit θυμὸς, animus; ita ut ἐπιθυμία haud aliud ſit, qvàm animi prona ac propenſa in id inclinatio, cujus nos invaſit cupiditas: ut contrà, à quo animus abhorret, Græcis Scriptoribus dicitur ἀποθύμιον. Ab ἐπιθυμία itaq;, monente noſtro Apoſtolo, ſunt tentationes, qvæ ad malum ducunt. *Concupiſcentia* enim eſt, quæ peccatum in mundum primitùs invexit Gen. 3. v. 6. *Concupiſcentia* etiam vitiorum & flagitiorum fomes & continuum pabulum eſt 1 Joh. 2. v. 16.

Secundò qværitur: *Quo ſenſu Concupiſcentia ſtatuatur ab Apoſtolo omnis mali cauſa?* Concupiſcentiæ appellatione, quæ peccati & fomes & cauſa eſt, non ſignificantur inclinationes naturales, menti & voluntati hominis in prima creatione inditæ: ſic enim minùs verum foret, omnia initio à Deo condita fuiſſe longè optima Gen. 1. v. 31. Nec notatur quæ in natura poſt lapſum remanſit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

manſit innata cupiditas cibi, potus, ſomni, & ſimilium rerum: quæ omninò licita eſt, utpote à Deo ipſo naturæ inſita, & ad vitæ conſervationem neceſſaria Matth.4. v.5. Luc: 15.v.16. & 16.cap.v.21. Multò minus ſtringit calamum Apoſtolus in concupiſcentiam ſanctam: qvalis eſt *Davidis*, concupiſcentis ſervare mandata Dei Pſal: 119. v.40, & *Prophetarum*, cupientium videre Chriſtum Luc.10. v.24, & hominum, ſacram functionem legitimè deſiderantium 1.Tim: 3.v.1. Concupiſcentia itaq;, quam Apoſtolus hic impugnat & damnat, eſt animi inordinatus motus, ſive in mente Eph. 2. v.3. ſive in corde Gen. 8.v.21. ſive in voluntate Eph: 2.v.3, qui hominem inclinat & ſollicitat ad faciendum ea, quæ legi divinæ adverſantur Rom.7.v.14.23. Uno verbo: proclivitas illa ad vitia, quæ in nos per lapſum primorum parentum derivata eſt Gen 6.v. 5. Pſal. 51.v.7. Rom. 7. v.7. Epheſ. 2. v. 3. nomine concupiſcentiæ ab Apoſtolo indigitatur.

Caſtiganda hic eſt periculoſa *Pontificiorum* aſſertio, contendentium, *concupiſcentiam carnis naturalem fuiſſe homini, ad imaginem Dei primitùs condito, non quidem ut quoddam naturæ bonum, ſed ut defectum & quaſi morbum quendam naturæ è conditione materiæ conſequentem*: quæ ſunt diſerta *Bellarmini* verba lib. de amiſſione gratiæ, cap: 7. pag.32. Negat id *D. Iohannes*, qui 1. Epiſt: cap. 2. v. 16. ait, *concupiſcentiam carnis non eſſe ex patre, ſed ex mundo*: negat *Paulus*, cujus hæc ſunt verba Rom: 7. v. 23. *Cerno legem in membris meis, repugnantem legi mentis, & captivum reddentem me legi peccati.* Negat hoc loco *D. Iacobus*, diſertè teſtatus, hanc concupiſcentiam non eſſe ex Deo. Sed nolumus nos diffundere, ſiquidem hanc controverſiam alibi prolixè expendimus.

Tertiò quæritur: *Quâ veritate dicat Apoſtolus unumquemq; tentari à propriâ concupiſcentiâ?* Quis enim negabit, pluſculas dari cauſas, & internas & externas, quæ ad peccandum irritent? Nihil dicam de cauſis externis, de *Diabolo*, ad peccatum impellente Gen.3. v.1. ſeq: Johan 8. v.44. 2.Cor.4.v.4. Act.5 v.3. 2.Tim.2.v.26. Matth.13, v.28; *de hominibus*, qui jam ſuadendo, jam fœdis exemplis invitando, jam minis & ſuppliciis cogendo, ducunt ad mala Gen. 3. v.6. 3Reg 15. v.26. Dan. 3.v.1.2. ſeq. Matth 16. v.23. & 18 c. v.7. Apoc. 2. v.14; *de objectis externis*, quæ in ſenſus incurrunt, & appetitum incitant ad peccata Gen.3. v 6. 2.Sam.11.v.2. 1.Johan.2. v 16. Certè internæ peccatorum cauſæ, præter concupiſcentiam, plurimæ ſunt. Nam & οἰκεῖα ἑκάστου προαίρεσις Gen.3.v.1.2. ſeq Proverb.1.v.24. Eſa 65.v.2. Act.13 v.44.46. 2.Theſſ:2.v.20, & connata naturæ corruptio Eph.2.v.1.2.3. Matth. 7.v.16. 17, & ignorantia, 1.Tim 1.v.13. Luc.23.v.34. Actor. 3. v.17, mali deniq; habitus Eph. 2. v. 1.2, internæ peccatorum cauſæ ſunt. Mirari itaq; non ſine cauſa licebit, *cur unam tantùm hic nominet Apoſtolus tentationum, ad peccata ducentium, cauſam, nempe concupiſcentiam?* Vera procul dubio reſponſio eſt: nominare D. Jacobum concupiſcentiam, non tanquam quæ ſit unica tentationum, ad peccata ducentium, cauſa: hoc enim minus verè dici, ea quæ præmiſimus ſatis oſtendunt; ſed tanquam quæ hic facilè primas teneat, & abſq; qua neq; Diabolus, neq; mundus, neque objecta externa, qvicqvam effectura ſint, qvod obeſſe poſſit. *Mater prima* tentatur à Diabolo: ſed periculoſa non eſt

 ten-

tẽtatio, anteqvam rei ꝓhibitæ cupiditas intra pect⁹ ardeſcat Gen. 3, 1. 2. ſeq. Tẽtatur *Ioſeph* ab impurâ & impudicâ Potipharis uxore: ſed non eſt noxia Joſepho tentatio, quia abeſt rei vetitæ deſiderium Gen. 39. v. 7. 8. ſeq. Tentatus eſt *Ieſus* per omnia, ſed ſine peccato Ebr. 4. v. 15, idq́; quia nulla tentatio ullam inordinatam concupiſcentiam, in ipſo excitare potuit. Quando itaq́; Apoſtolus urget, concupiſcentiam propriam tentationum, ad peccata ducentium, cauſam eſſe; hoc vult; cauſam malorum omnium non tam extra nos, quàm in nobismetipſis quærendam eſſe.

Quartò quæritur: *Quo artificio utatur concupiſcentia nos ſeductura?* Explicat id oratione plane divinâ Apoſtolus, & promit juſtâ enumeratione *ſeducentis concupiſcentiæ actiones*, numero *quinq́;*.

Prima ſeducentis concupiſcentiæ actio exprimitur à D. Jacobo, verbo ἐξελκόμενος. Ἐξέλκειν eſt extra viam rapere, à recto tramite tractu ſuo abducere. Hoc itaq́; agit prava concupiſcentia, ut invadat nos deſiderium ejus rei, à qvâ lex, invariata illa faciendorum & fugiendorum norma 1. Johan. 3. v. 4, vult abſtineamus. Tractus certè efficax ſentitur, ubi animum & cor ſubit rei vetitæ cupiditas. Liquet id exemplo *primorum parentum* Gen. 3. v. 1. 2. ſeq. & *Davidis*, 2. Sam. 11. v. 2. Quocirca qui ſibi à tentatione, ad malum ducente, cavere volet, hoc aget, ne ulla rei prohibitæ cupiditas animum occupet. Eò digitum intendit Chriſtus Matth. 5. v. 28: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, &c.*

Secunda concupiſcentiæ ſeducentis actio enunciatur ab Apoſtolo noſtro voce δελεαζόμενος. Eſt autem δελεάζειν blandimento aliquo, utilitatis quidem ſpeciem præ ſe ferente, ſed re ipſa pernicioſo, circumvenire, eo plane modo, quo bruta animalia aſtutè capiuntur, objectâ alimenti utilis ſpecie: nam δέλεαρ eſca eſt, animalibus capiendis deſtinata. Hoc blandimento circumvenit Diabolus *primos parentes*, inquiens Gen. 3. v. 5: *Novit Deus quòd quo die comederitis de fructu hujus arboris, futuri ſitis Deo ſimiles.* Δέλεαρ certe fuit & eſca, capiendis primis hominibus deſtinata: Nam ſtatim ſubjungitur: v. 4. *Et viſa fuit arbor deſiderabilis.* Quis neſcit, quo blandimento Diabolus ſervatorem *Ieſum* capere allaborârit. Monſtratâ mundi gloriâ, & in poſſeſſionem promiſſâ, poſcit impudens Spiritus cultum ſoli Deo debitum Matth: 4. v. 8. 9. ſed audit à Chriſto v. 10: Ὕπαγε Σατανᾶ. Et experientia teſtis eſt, homines dulcedine vitiorum, intra pectus conceptâ, non minus capi, quàm aves, objecto ab aucupe alimento. Hunc enim illiciti amoris, iſtum vindictæ, illum vini, immoderatiùs hauſti, alios aliorum vitiorum dulcedo, in tranſverſum abripit.

Doctrina. A pravis concupiſcentiis ſedulò caveamus: has domemus & coërceamus. Diſcamus exemplo *primorum parentum* Gen. 3. v. 1. ſeq. *Davidis* 2 Sam. 11. v. 1. 2. ſeq: aliorum, quantum poſſit prava concupiſcentia. Certi ſimus, qvod quoties pectus noſtrum invadit rerum vetitarum deſiderium, toties Diabolus concupiſcentiis noſtris abutatur, tanquam funibus, quibus nos ad perniciem & damnationem trahat 1. Johan. 2. verſib. 16. 17. Imitemur Moſen, quem cupiditas mundi à Deo avocare non potuit Ebr. 11. verſib. 24. 25. Imitemur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

temur Jeſum, quem Diabolus mundi illecebris vincere non potuit Matth: 4. v. 8. 9. 10. Pareamus Paulo, jubenti Galat. 5. v. 24. ut carnem cum ſuis affectibus & cupiditatibus crucifigamus.

V. 15. Εἶτα ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν· ἡ δὲ ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα ἀποκύει θάνατον.

V. 15. Deinde concupiſcentia, poſteaquam concepit, parit peccatum: peccatum verò cōſummatum gignit mortem.

HIc primò quæritur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ connexio?* Continuatio eſt actionum, quibus uſa ſeducens tentatio, homines in peccata præcipitat. Duas priores concupiſcentiæ ſeducentis actiones attulit Apoſtolus verſu præcedēte, tres poſteriores hîc promuntur.

Secundò quæritur: *Quid ſit concupiſcentiam συλλαβεῖν?* Tertia concupiſcentiæ, ad malum ducentis, actio eſt: *Concupiſcentiam concipere peccatum.* Mira autem loqvutio eſt, *Concupiſcentiam συλλαβεῖν*: quâ quid ſignificetur ſtrictim indicabimus. Scriptura nos clarè docet, homines, carnalibus indulgentes concupiſcentiis, cum impuro Spiritu Diabolo, & maligno mundo velut conſueſcere Levit: 17. v. 7. Apoc: 17. v. 2. & cap 18. v. 3. Ex hac verò pravæ concupiſcentiæ, cum Diabolo & immundo mundo pudendâ permixtione oritur σύλληψις ſive conceptio: quæ eſt impurus ardor, in eo occupatus, ut homo cupitis potiatur, trahens ſecum mentis ac voluntatis conſenſum, pariter ac delectationem. Documentum illuſtre eſt, & in *primis parentibus*, & in *Davide.* Primi parentes non tantùm vident arborem vetitam: non tantùm audiunt Diabolum, ſuadentem eſum fructus vetiti: non tantùm eò venitur, ut videatur arbor digna, cujus fructus edatur; ſed etiam animum invadit ardor fruendi fructu, mente & voluntate, in hanc rem conſentientibus Gen: 3. v. 1. 2. 3. ſeq: David visâ Berſabeâ, quæ corpus in flumine lavat, non tantùm accenditur pulchritudine fœminæ, ſed eò mens & voluntas feruntur, fœminâ potiri ut poſſit 2. Sam. 11. v. 2. 3. Concipit itaq; peccatum, qvando mens & voluntas in id conſentiunt, quod prava concupiſcentia faciendum ſuadet.

Tertiò qværitur: *Quo ſenſu concupiſcentia dicatur parere peccatum? & an inde concludi verè poſſit, concupiſcentiam non eſſe peccatum?* Quarta ſeducētis concupiſcentiæ actio eſt, quod poſteaqvam concepit, *pariat peccatum.* Hîc diſputant *Pontificii*, *Concupiſcentiam non eſſe Peccatum*, cùm teſte *Iacobo*, peccati cauſa ſit. Nec enim dicit; Concupiſcentiam eſſe peccatum; ſed concupiſcentiam, peſteaquam concepit, parere peccatum. Ubi diſertè diſtingvit inter concupiſcentiam & peccatum, quod concupiſcentia gignit. Quo telo, tanqvam valde penetrante, pugnat *Bellarminus* lib. de amiſſione gratiæ cap. 9. p. 99, *Lorinus, Eſtius, Paëz, Iuſtinianus, Cornelius à Lapide* comment: in hunc locum. *Concilii Tridentini* non tàm audax, quàm impudens aſſertio eſt ſeſſ: 5. *Sancta Synodus declarat Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe, quod concupiſcentia verè & propriè ſit peccatum, ſed ex peccato eſſe, & ad peccatum inclinare. Si quis*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

autem contrarium ſenſerit, anathema ſit. Verùm Concupiſcentiam eſſe peccatum, qui negat, ſcripturam volens impugnat. *Iohannis* aſſertio eſt 1. Epiſt. 3, 4. Ἁμαρτίαν eſſe ἀνομίαν. Quis verò neſcit, legis divinæ vocem eſſe: *non concupiſces.* Et hoc argumentum tanti eſt D. *Paulo*, ut dicat Rom. 7. v. 7. *Non ſciviſſem cupiditatem eſſe peccatum, niſi lex dixiſſet, non concupiſces.* Qui itaq; concupiſcentiam negaverit eſſe peccatum, huic ſcripturæ dicta, jam adducta, unâ liturâ inducenda ſunt. Nec in diverſum abit D. Jacobus. Quâ enim veritate negaret Apoſtolus, concupiſcentiam, peccati genetricem, peccatum eſſe, cùm Chriſtus diſertè dicat, qvòd bona arbor bonos fructus ferat, mala autem malos Matth. 7. v. 17. 18? Difficultatem autem univerſam expedit ambigua *peccati* ſignificatio. Etenim concupiſcentia prava eſt peccatum, quia ἀνομία eſt: Deus enim in ſuâ lege requirit ordinatiſſimos mentis ac cordis motus Matth 5, 27. 28. At verò hæc concupiſcentia quæ eſt peccatum, gignit aliud peccatum, videlicet externo opere proditum. Hoc enim velle Apoſtolum, clarè indicat, dum ſubjungit quale ſit illud peccatum, quod cõcupiſcentia gignit; quòd ſcilicet ſit ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα, ſeu peccatum actu & opere conſummatum: qua de re jam dicemus.

Qvartò quæritur: *Quid ſit* ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα? *& an hæc ſola generet mortem?* Hæc eſt qvinta & ultima ſeducentis concupiſcentiæ actio: quæ utrectè intelligatur, explicari oportet, tùm quid ſit ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα, tùm quo ſenſu dicatur ἀποκύειν θάνατον? Qvid ſit ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα, certiùs intelligi non poteſt, quàm explicata vocis genuina ſignificatione. Τελεῖν eſt ad finem perducere: at ἀποτελεῖν eſt ſummo & eminẽtiſſimo modo perficere: unde ἀνὴρ ἀποτετελεσμένος *Xenophonti* eſt vir omnibus numeris perfectus, interprete *Budæo*. Aliud ergo eſt ἁμαρτία τελεσθεῖσα, aliud verò ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα: Illa eſt qvodvis peccatum & quævis ἀνομία, opere deſignata, etiam nolenti extorta Rom. 7. v. 17, naturâ talis, quæ mortem mereatur Rom. 6. v. 23. Deut. 27. v. 26: Hæc verò eminentiſſimo ſenſu ἀνομία eſt, ubi ſcilicet homo non reluctatur concupiſcentiæ, ad peccatum trahenti Rom: 7. v. 17, ſed animi & voluntatis fervido motu & læto aſſenſu & deliberato conſilio fertur in pravum opus, ita ut unicè doleat, ſi qvicqvam interveniat, qvo cœptum pravè opus impediatur; exemplo *Achabi* 3 Reg. 21. verſib. 2 3. 4. ſeq: Qvod peccatum, deliberato animo & lætiſſimo aſſenſu admiſſum, ἀποκύει *mortem*. Qvodvis qvidem peccatum, naturâ tale eſt, ut dignum ſit morte: *Pauli* enim vox eſt Rom: 6. v. 3. Ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας θάνατος: Et legis divinæ clauſula eſt Deut: 27. v. 26. *Maledictus qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis.* Sed verò non qvodvis peccatum ſtatim infert mortem: nam qui invitus peccat Rom: 7. v. 15, & ſe merito Chriſti ſuſtentat, is exemplo *Pauli* dicere poteſt Rom: 8. v. 1: *Nihil maledictionis in his, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulant.* At ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα, ſeu pleno & læto aſſenſu admiſſum peccatum,

ἀπο-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ἀποκύει ἁμαρτίαν. Ἀποκύειν a. eſt fœtum deponere, ſeu maturum fœtũ edere. Mors igitur eſt peccati, eminenter perfecti, ſeu pleno ac læto aſſenſu admiſſi, maturus fœtus: non quod qvodvis peccatum, juxta legis divinæ rigorem, non adjudicet hominem morti Rom:6. v.23. Deut:27. v.26; nec qvòd ſolum peccatum, opere conſummatum, mortale peccatum ſit: nam mortem etiam his dominatam eſſe, qvi non peccarunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, teſtis eſt Paulus Rom:5.v.13: ſed qvòd doctrina Evangelii hos ſolos é regno Dei excludat, qui in peccata proruunt impetuosâ qvadam alacritate, inq; iſto malignè agendi propoſito, re declarato, ad finem uſq; vitæ obfirmant animum. Hinc ſunt crebræ illæ Spiritus Sancti admonitiones, *ut peccato reſiſtamus, peccato in membris noſtris dominium ne concedamus, ſecundum carnem ne vivamus* Rom: 6.v.1.2.3. ſeq. Gal.5.v.16. 2 Pet.2.v.20.21. Qvæ omnia ſunt circumlocutiones ἁμαρτίας ἀποτελεσθείσης, ſev peccati eminenter perfecti, ac generãtis mortem non tàm temporariam, quàm æternam Rom:8.v.13. Judæ 12. Apoc:20.v.13.14. & 21. v.8.

Doctrina. Tu, quisquis es, qvi non vis æternùm perire, fuge pravas concupiſcentias. Ducunt te ad mortem. Vide qvomodo prava concupiſcentia & primos parentes & univerſam poſteritatem in omnis generis calamitates, mortem etiam ipſam præcipitarit Gen:2.v.17. & 3. v.1.2.ſeq. Vide in quæ mala Davidem, & univerſam ejus familiam & ſubjectum populum conjecerit concupiſcentia 2 Sam:12.v.8.9. ſeq. & 24.v.1.2. ſeq. Nihil dicam de *Caino* Gen. 4. v.5. ſeq. *Achano* Joſv:7. v.25, *Ammone* 2 Sam:13. v.1.2. ſeq. *Abſalone* 2. Sam:15. v.1. ſeq. *Iuda* Matth: 26. v. 14, *Anania* Act.5. v. 1. ſeq: *aliis*, qvos concupiſcentia prava perdidit.

V. 16. Μὴ πλανᾶσθε ἀδελφοί μου ἀγαπητοί.	V. 16. Ne errate, fratres mei dilecti.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus? & quæ in verbo* πλανᾶσθαι *emphaſis?* D. Jacobus hoc verſu ea quæ præceſſere, cum iis quæ ſubjungentur, aptè connectit. Monet namq; ſe jam prompturum cauſam, quâ manifeſtum fiet, qvàm graviter errent, qui Deum conſtituunt ſeducentium tentationum auctorem. Notanda verò eſt ἔμφασις verbi πλανᾶσθαι; quod valet, à recto tramite & itinere abduci, ne optata meta contingatur. πλάνη ſiqvidem, interprete Svidâ, eſt ἡ τοῦ σκόπου ἀπότευξις, ſeu à ſcopo aberratio. Qvocirca qvi Deum ſeducentium tentationum cauſam conſtituunt, qvocunq; id fiat colore aut prætextu, periculoſé errant, & πνεύματα πλάνα ſeu deceptorii Spiritus ſunt 1. Tim:4.v.1, qui & ſeipſos, & alios homines à recto verbi divini tramite abducunt, & impediunt, qvò minùs vitæ æternæ meta tandem contingatur.

Secundò qværitur: *An Lutherani præter meritum impingant* Calvinianis *errorem, quem D. Iacobus hîc damnat? Paræus* ſuo in hunc verſum commentario pag: 56. 57: *fervidius urget, homines, qui hodie Pelagianas opiniones in Ec-*

cleſiæ & ſcholis renovant, hunc ipſum errorem, à quo fratres ſuos abhorrere jubet Apoſtolus, impingere Calvinianis Eccleſiis, idq; quia quædam mala hominum opera, puta venditionem Ioſephi Gen: 45. v.8, *Spoliationem Iobi* Job 1. v. 21, *rebellionem Ieroboami* 1 Reg: 12. v. 15, *paſſionem Chriſti* Act: 4. v.28, *Deum nudè permiſiſſe pernegant. Iubet verò* Paræus, *ut diſcamus potiùs, inter hominum peccata, quæ ſanè quà talia ſunt Deus nudè permittit, & inter judicia Dei, quæ in illis hominum peccatis, & per illa, non nudè permittit, ſed occultè juſteq; perficit, diſtingvere; viderintque, inquit* Paræus, *ne dum Deum ab injuſtitiâ piè defendere videri volunt, eum de throno providentiæ ſuæ ſacrilegè præcipitent, judicia ejus blaſphemantes, quæ ſcriptura tàm præclarè prædicat.* Qvam accuſationem, quâ in noſtras ferocit Eccleſias, Pelagianiſmi falsò poſtulatas, ut retundamus: *duo* urgemus. *Vnum* eſt; ſomnium eſſe adverſarii, Lutheranos non niſi nudam Dei permiſſionem, qvalis eſſe ſolet otioſorum ſpectatorum, agnoſcere circa peccata. Quæ verò hîc ſint Dei actiones, quia alibi diductè docuimus, ſtrictim indico: videlicet, Deum & naturam peccãtem ſuſtentare Act: 17. v. 28; & infallibili ſuâ ſcientiâ mala anteqvam eveniant videre, Lucæ 22. v. 21. 22. Actor: 1. v. 16 ſeq: & actionem peccãtis ita dirigere, ut certos terminos durationi & magnitudini mali præſcribat Joh 7 v. 30. Lucæ 22. v. 35; & è peſſimis optima mirabiliter elicere Gen: 50. v. 20. ſeq: Job 1. v. 11. Jacob: 5. v. 11. *Alterum* eſt; Calvinianos, monitore *Paræo*, diſtingvere inter peccata, quà talia ſunt, & occulta Dei circa peccata judicia. Illa, referente *Paræo*, Deus nudè permittit, hæcce Deus juſtè perficit. Ubi *geminus* eſt fucus. *Prior* eſt; Calvinianos, non malitiam & ἀταξίαν actionum, ſed ipſos tantùm motus, Deo attribuere. Phaleras eſſe & pictæ tectoria lingvæ alibi evicimus, verbis *Zwinglii* tom: 1. ſerm: de providentia cap. 5. pag: 364. 365, 366. *Zanchii* tom: 7. oper: lib. 2 miſcell: artic: de excœcat: impiorum: pag: 208. *Piſcatoris* reſp: ad apol: Bert: pag: 144, aliorum. *Poſterior fucus* latet in occultis Dei judiciis, quæ in hominum peccatis juſtiſſimè exercet. Nam adverſarios prætextu iſto *occultorum Dei judiciorum*, tanqvam atro ſepiæ cruore candidiſſimam veritatem infucare, non negabit, qui aut *Zwinglium* lib: de providentia Dei cap: 5. pag: 364, 365. 366, aut ipſum *Paræum* lib: 2. Caſtigat: Bellarm: de amiſſione gratiæ cap: 3. pag: 210. 211. legerit. Huc enim tendunt omnia: Deum ad mala incitare fine bono: qvod ne fiat, Spiritus divini juſſio eſt Roman: 3. verſu 8. Sed ſiſto, cùm non ſit hujus loci iſta diductiùs tractare.

Doctrina. Monentur verbi divini præcones, ut auditores ſedulò hortentur à falſis & fanaticis dogmatibus ſibi caveant. Fecit id *Elias* 2 Reg: 18. v. 21. ſeq: *Chriſtus* Matth: 7. v. 15 ſeq: *Paulus* Actor: 20. v. 28. ſeq: Idem nî nos fecerimus, juſtas neglecti officii pœnas ſuo tempore dabimus, Ezech: 33. verſib. 1. 2. ſeqq.

V. 17. Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι, καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς

V. 17. Omnis donatio bona, & omne donum perfectum, ſupernè eſt, à Patre luminum,

apud

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

τῶν φώτων, παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα.

apud qvem non eſt transmutatio, aut converſionis obumbratio.

HIc primò quæritur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia? & quomodo Apoſtolus inde colligat, quod Deus non tentet quemquam ad malum, quòd ab ipſo ſit* πᾶσα δόσις ἀγαθὴ; & πᾶν δώρημα τέλειον? In hac Apoſtoli oratione, qvot ſunt verba, tot ſunt ponderoſiſſima argumenta, ſuadere apta, qvòd graviter errent, qui ſeducentium tentationum cauſam atq; auctorem Deum conſtituunt. Certè ſi πάντα ἀγαθὰ à Deò ſunt, quâ quæſo vel veri ſpecie Deus malorum dicetur effector? Nec enim fieri poteſt, ut Deus qui adeo bonus eſt, ut, teſte Chriſto, ſolus ſit bonus Matth: 19. v. 17, ad mala qvemqvam impellat? Expende quid ἀγαθῶν nomine veniat intelligendum, & facilè intelliges, qvòd is, à qvo πάντα ἀγαθὰ, neutiqvam ad ſeducentes tentationes incitet. Etenim ἀγαθὸν eſt, qvod congenitâ præſtantiâ non tàm amorem qvàm admirationem ſui excitare aptum eſt: Vox enim iſta deſcendit à verbo ἀγάζομαι ſtupeo, admiror. Si namq; verus eſt *Euſtathius*, ἀγαθὸς eſt ex ἀγαστὸς, admirabilis, admiratione ſummâ dignus. Si itaq; omne illud, qvod præſtantiâ connatâ admirationem ſui excitat, à Deo eſt: quis ullâ veriſimilitudine dixerit, ſeducentes tentationes Deo adſcribendas eſſe? Etenim tentationum iſtarum, quæ ad mala ducunt, tanta eſt fœditas & turpitudo Jacob: 1. v. 21, ut expletæ, nil niſi odium ſui in animis & cordibus relinqvant 2 Sam: 14. v. 15. Et ſi *omne donum perfectum* à Deo eſt: mente minus ſanâ oportet ſit, qvi tentationum, qvæ ad peccata impellunt, Deum conſtituere voluerit auctorem. Nam tantum abeſt ulla ſit in tentationibus, ad malum ducentibus, perfectio, ut qvemcunq; invaſerint, hunc omni perfectione ſpolient, langvorem omnium virium afferant, & tandem mortem præſentiſſimam introducant Eſa: 1. verſ. 5. 6. Eph: 2. verſib. 1. 2. 3. Romanor: 6. verſu 23.

Secundò quæritur: *Cur Apoſtolus* δόσιν & δώρημα *diſtinctè ponat?* Scinduntur in varias ſententias interpretes. *Thomas Anglicus* πᾶσαν δόσιν de donis & bonis, qvæ in hac vita nobis obtingunt; πᾶν verò δώρημα, & qvidem τέλειον, de bonis, quæ in futurâ vitâ conferentur, explicat. *Salmeroni* πᾶσα δόσις ἀγαθὴ eſt qvæcunq; ſupernaturalis gratia, gratis, ut loqvuntur, data; δώρημα verò perfectum gratuita ex Dei beneficentia juſtificatio, adoptio & vita æterna. Sunt qvi δόσιν de bonis naturæ; δώρημα de bonis gratiæ interpretentur, referentibus *Paræo, Eſtio, B. Iuſtiniano. Beza, Lorinus, Eſtius, Cornelius à Lapide, alii*, volunt emphaticam ejusdem rei repetitionem eſſe. Ego judico tutiſſimum eſſe, ipſiſſima Apoſtoli verba qvàm fieri poteſt maxime premere, nec ab illis vel pilum recedere. Δόσις eſt ipſa datio & largitio; δώρημα verò, dationis fructus & effectus eſt, ipſum ſcilicet donum. Qvæ D. Jacobus non ſine cauſa diſtinctè ponit, annotante *Benedicto Iuſtiniano*. Fieri enim po-

teſt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

teſt, ut qvod tribuitur, bonum ſit, ipſa verò largitio turpis & inhoneſta. Pecunia enim, exempli cauſa, quæ datur lenonibus & meretricibus, bona eſt, & humanis uſibus accommodata, ipſa verò largitio improba & nefaria. At Deus, qvando aliqvid largitur, ſive intra naturæ fines, ſive ſupra naturam, & ipſa largitio optima eſt & ad optimum finem refertur; & qvicqvid eâ largitione tribuitur, eſt in ſuo genere præſtantiſſimum. Hoc itaq; vult Apoſtolus diſtinctâ δόσεως & δωρήματος appellatione, qvòd & finis, qvem intendit Deus actione dandi ſit optimus, & res quæ donatur perfecta & præſtans. Nec enim eo eſt animo, qvo Saul, qvi filiam ſuam conjugio jungit Davidi, ut ſit in tendiculam 1 Sam: 18. v. 21. Donum quidem Saulis bonum eſt; ſed dantis animus malignus. Qvocirca ne neſciamus, Deum & optima dona elargiri, & optimo animo eadem elargiri, diſtinctam facit δόσεως & δωρήματος mentionem. Nec à vero abludes, ſi dixeris; D. Jacobum, & *donationis* & *doni* diſertè & diſtinctè meminiſſe, qvò in mentem & memoriam nobis revocet, fas eſſe, ut circa dona divina ita verſemur, ut non tantùm in donum, ſed etiam in donantis manum, oculos cordis habeamus defixos, adeo ut qvoties donum videmus, toties donantis meminerimus, certi, qvòd qvicqvid poſſidemus, merâ Dei liberalitate poſſideamus, ac eapropter in donante ſemper gloriemur Jerem: 9. v. 23. 24. 1 Cor. 1. v. 31. & cap. 4. v. 7. Nomine autem δωρήματος, an ſola dona temporalia, an ſpiritualia, an utraq; intelligenda ſint, qvando qværitur: credidero tutiſſimum eſſe, ipſis Apoſtoli verbis inſiſtere, qvæ laxiſſimi ſunt ſignificatus. Qvando enim dicit, *omnem* δόσιν *&* *omne* δώρημα *à Deo eſſe:* hoc procul dubio vult, non eſſe vel tantillum rei bonæ, qvod Deo in ſolidum non debeat adſcribi, atq; illi unicè acceptum referri: juxta hoc Pauli 1 Cor: 4. verſ. 37. τί ἔχεις ὃ οὐκ ἔλαβες?

Tertiò qværitur: *Quid ſit omne donum bonum & perfectum* ἄνωθεν *eſſe?* In eo certè eſt pondus argumentationis Apoſtolicæ non exiguum, qvòd donatio bona & donum perfectum ἄνωθεν ſit. Qvod facile intelligetur, explicato locutionis genuino ſenſu. Ἄνωθεν eſt, qvicqvid à Deo eſt, cujus thronus eſt cœlum. Phraſeos explicationem firmant hæc dicta Deut: 33. v. 26. *Qui cœlos inequitat, auxiliator tuus.* Matth: 5. v. 34. *Cœlum thronus Dei eſt.* Johan: 3. v. 3. Ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος, ἐπάνω πάντων ἐστίν. Johan: 19. v. 11. *Non haberes ullam poteſtatem in me, niſi* ἄνωθεν *tibi data eſſet.* Hinc clarè liqvet, qvod tentationes malæ non ſint à Deo, ſiqvidem auctorem habent Diabolum, inferni incolam Joh: 8. v. 44, & non ſunt ἄνωθεν, ſed κάτωθεν Joh: 8. v. 23.

Qvartò quæritur: *Quo ſenſu Deus dicatur* πατὴρ φώτων? Ne qvis dubitet, qvid ſibi velit locutio; *dona perfecta* ἄνωθεν *eſſe*; explicationem luculentam ſubjungit Apoſtolus, dum inquit; qvòd ſint ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων. *Heinſio* ſuis in N. T. exercitationibus pag: 587. certum eſt, Apoſtolum reſpicere ad τὸ *Vrim*, qvod fuit in pectorali Sacerdotis, è qvo omnis divinæ veritatis cognitio ac voluntatis cum Regibus & populo communicata fuit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Unde & Saul miſerrim⁹, cùm id qvod ſcire vellet, neq; per ſomnia, neq; per Urim, neq; Prophetas intelligere aut ſcire poſſet, relicto Patre τῶν φώτων, ad tenebrarum Patrem, hoc eſt Diabolum, ſe contulit. Hæc *Heinſius*: cujus ſententiæ, tanqvam planè certæ, non accedimus; tùm qvia non ſatis certum eſt apud ipſos Ebræos, qvid Urim & Thumim ſignificent, monente Kimchio: tùm qvia in ſcripturis V.T. Deus vix uſpiam vocatur pater Urim. Certius eſt, reſpicere D. Jacobum hac loqvutione, & ipſam Dei naturam, & inde prodeuntia opera. Deus ipſe, qvantus eſt, immenſus autem eſt, & lux eſt 1. Joh: 1. v. 5. 7, & lucem habitat ἀπρόσιτον 1. Tim: 6. v. 16: hoc eſt, Deus totus eſt lucidiſſima ſanctitas, & ſanctiſſima lux. Nec tantum ipſe lux eſt: ſed & luminum pater eſt. Qvo autem ſenſu Deus dicatur *pater luminum*, jam explicandum eſt. Luxuriant hîc interpretes varietate expoſitionum: qvâ qvi delectatur, adeat *Paëzium*, *Juſtinianum*, *Eſtium*, & qvi omnium operoſiſſimus eſt, *Cornelium à Lapide*. Præcipuæ *ſententiæ* ſunt *duæ*. *Prior eſt eorum, qui nomine patris cenſent intelligi, Deum Patrem, quem hîc vocari volunt Patrem luminum, quia filius & Spiritus S. ſunt lumina à Patre lumine.* Qvam ſententiam, probatam *Cyrillo Hieroſolymitano* Cath. 7, & non improbatam *Paëzio* & *Juſtiniano*, improbant *Lorinus* & *Eſtius*: tùm qvia loqvutio eſt non proba, Deum patrem eſſe patrem luminum, filii & Spiritus S: ſic enim in divinis forent duo filii, qvod eſt à ſanâ fide alienum: tùm qvia Pater, filius & Spiritus Sanctus non ſunt plura lumina, ſed unum lumen; ſicut & unus Deus & unus Dominus. *Poſterior ſententia eſt eorum, qui lumina intelligunt creata: ſed quæ & qualia, Interpretes non conſentiunt.* Sunt enim qvi lumina intelligant ſpiritualia & corporea, inter qvos eſt *Paræus* & *Beza*: alii ſola ſpiritualia, ut *Beda*, *Lorinus*, *Interpretes Belgici*, alii. Spiritualia exponunt revelationes, colluſtrationes, inſpirationes, qvibus hominum mentes illuſtrantur ac diriguntur inter tenebras hujus mundi. Corporea verò, Solem, Lunam, aſtra qvibus illuminatur hic mundus corporeus. Sed contextus litem facilè dirimit. Occupatur in eo Apoſtolus, ut evincat, falli graviter, qvi Deum ad peccata impellere dicunt & docent. Ad qvod inſtitutum non facit vel tantillum diſſertatio de lumine corporeo, qvod Sol & aſtra inferunt mundo: Nam Deus non minus tenebrarum, qvæ lumini corporeo opponuntur, quàm luminis corporei auctor eſt, teſte ſcriptura Gen: 1. v. 2. 4. 5. Eſ: 45. v. 7. De peccatis qvia hîc diſſerit Apoſtolus, qvæ à Deo remota cupit, lumina intelligenda ſunt, qvæ peccatis opponuntur, & illis pellendis commodè ſerviunt: hoc eſt, omnia illa dona, qvæ menti illuſtrandæ, & voluntati in melius flectendæ ullo modo accommoda ſunt. Veluti itaq; is, phraſi Ebræâ, dicitur pater, qvi rei alicujus auctor & effector eſt Gen: 4. v. 20. 21. Ita Deus, pater, auctor & effector luminū eſt, qvia omnes, qvi in hunc mundum veniunt homines, illuminat Johan: 1. v. 9, & dat illuminatos cordis oculos Eph: 1. v. 18, & in ejus lumine videmus lumen Pſal: 36. v. 10, adeò ut qvi hanc ſeqvitur lucem, in tenebris non ambulet Joh: 8. v. 12, ne ipſius qvidem mortis & inferni tenebras horrens, hac luce præviâ Pſal: 23. v. 4. Si itaq; Deus eſt pater luminum, hoc eſt, qvarumvis rerum ſanctarum, lætiſſimarum & bonarum effector: à veritate certè quàm periculoſiſſimè recedunt, qvi Deum tentationum malarum, qvæ denſæ ſunt tenebræ, volunt auctorem eſſe. Qvàm enim alienum eſt à Sole, omnis lucis fonte, tenebras de ſe fundere:

dere: tàm abſonum eſt, Deum, ſanctitatis omnis unicum auctorem, ad mala qvemqvam impellere.

Qvintò qværitur: *Quo ſenſu & quâ veritate dicat Apoſtolus, apud Deum non eſſe* παραλλαγὴν aut τροπῆς ἀποσκίασμα? Ut argumentum inde ductum, qvod Deus ſit pater luminum, eò validius ſit: monſtrat Apoſtolus, Deum noſtrum, Solem illum ſanctitatis, diſſimilem eſſe ſoli, hujus mundi oculo. Deus enim lux eſt, quæ non patiatur ſubinde luminis defectum, qvæ etiam nullam ſentiat ſplendoris immutationem, hac parte ſoli diſſimillimus. Lux namq; ſolis, jam oritur, jam occidit: jam hanc, jam illam induit faciem: ab omni æternitate non luxit, nec æternùm lucebit. At apud patrem luminum non eſt παραλλαγὴ aut τροπῆς ἀποσκίασμα. Deus noſter eſt ἀπαράλλακτος, id eſt, in qvo alternata & permutata variatio locum non invenit, ac eapropter per omnia ſibi ſemper ſimilis: Παραλλάττειν enim eſt alternatim variare. Sol qvidem, qvi in cœlo eſt, παράλλακτος eſt, diverſasq; induit formas ac facies, dum jam oritur, jam occidit, jam limpidius lucet, jam obſcurus deliteſcit. At verò tantum abeſt, ſolem juſtitiæ & patrem luminum παραλλαγῇ ſeu alternæ iſti viciſſitudini obnoxium eſſe, aut jam lucidos ſanctitatis radios ſpargere, jam horridas peccati tenebras inducere, ut etiam vel ἀποσκίασμα *converſionis* ab ipſo ſit penitus removendum. Nam non modò in Deo noſtro non eſt τροπὴ ſev converſio, hoc eſt, minima qvædam mutatio; ſed ne qvidem in ipſo eſt τροπῆς ἀποσκίασμα, id eſt, ullum mutationis veſtigium, aut qvod præponderat, adumbratio ulla ullius mutationis. Proprium enim Dei nomen eſt: *Sum qui ſum*, Exod: 3. v 14. ſeq: & Dei de ſe teſtimonium eſt Malach: 3. v. 6: *Ego Iehovah non mutor*. Cùm itaq; omnium confeſſione certum ſit, Deum, omnis boni auctorem eſſe, & unà negari neqveat, qvòd planè immutabilis ſit, qvà eſſentiam, qvà naturam, qvà proprietates: mera inſania foret, Deum conſtituere malarum tentationum cauſam & effectorem. Hîc meritò quæſiveris, qvâ veritate D. Jacobus dicat, ne qvidem ἀποσκίασμα τροπῆς in Deum cadere? Nonne Dei vox eſt Gen: 6. v. 6. *Pœnitet me feciſſe hominem?* Nonne hæc, de Saule, qvem Deus creârat Regem, querela eſt 1. Sam: 15. v. 35. *Pœnitebat Iehovam, qvòd Regem conſtituiſſet Saulem ſuper Iſraëlem?* Qvæ videtur eſſe vera mutatio, & non tantùm τροπῆς ἀποσκίασμα. *Vorſtius* his & ſimilibus dictis mutabilitatem divinæ voluntatis adſtruere allaborat, notis ad diſput: 3. de Deo pag. 193. ſeq: Qvæ difficultas ut tollatur: *duo* paucis indicanda ſunt. *Vnum eſt; veram & propriè dictam pœnitudinem in Deum non cadere.* Etenim propriè dicta pœnitudo eſt internus animi dolor & anxietas in volũtate, deteſtante id, qvod factum eſt, adeò ut qvod factum eſt, cupiat infectum. Et ejus cauſa eſt, aut ignorantia præteritorum, præſentium, futurorum; aut error judicii, aut voluntatis mutabilitas. Cujusmodi pœnitudo non cadit in Deum: tùm qvia ſcientia ejus infinita eſt, qvam nec præſentia, nec præterita, nec futura fugere poſſunt Pſalm: 139 v. 1. 2. ſeq. Actor: 15. v. 18. Ebr. 4. v. 13. tùm qvia immenſæ eſt ſapientiæ, & errare in judicando neqvit Eſ: 40. v. 13. 14. Rom: 11. v. 33. 34. Eph: 1. v. 11; tùm deniq; qvia ut eſſentiâ, ita voluntate plane immuta-

bilis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

bilis eſt Malach: 3.v.6. Hinc voces illæ Spiritus Sancti, in ſcriptura loqventis: *Deus non eſt homo qui mentiatur, aut filius hominis, quem pœniteat* Num:23.v.19. *Qui eſt æternitas Iſraëlis, non mentietur, neq; pœnitebit eum: non enim homo eſt, ut pœniteat eum* 1.Sam:15.v.29. Cum itaq; propriè dicta pœnitudo in Deum non cadat: ſubjungimus *alterum*, qvod eſt explicandum; videlicet, *quo ſenſu pœnitudo, quæ eſt mutationis quædam ſpecies, Deo tribuatur?* Certa reſponſio eſt, pœnitentiam Deo καὶ ἀνθρωποπάθειαν tribui. Nam cùm in verâ pœnitudine concurrant *duo*, videlicet tùm internus animi dolor, ortus ex aberratione, in opere noſtro admiſsâ; tùm effectus, qvi dolorem, animum interiùs urentem, excipit, & eſt facti, qvantum fieri poteſt, retractatio atq; demolitio: Deus qvando ob enormitatem aliqvam demolitur & vaſtat manuum ſuarum opus, aut gratiam ſuam aufert, donaq; repetit, pœnitere dicitur: idq; qvòd illi hîc conſpiciantur effectus, qvi aliàs in pœnitudine hominum conſpici ſolent. Mutatio interim univerſa eſt in rebus creatis, in Deo autem plane nulla, qvippe in qvo nec παραλλαγὴ eſt, nec τροπῆς ἀποσκίασμα.

Doctrina. Qvicqvid habes rei bonæ, id non tibi, non tuis viribus, non tuis meritis tribue. Memento qvòd à te ne tantillum poſſis, qvod vere bonum ſit Joh:15.v.5.6.Phil:2,13.2.Cor.3.v.5. Rom:11.v.35. Deo qvicqvid habes rei bonæ & ſanctæ unicè adſcribe 1 Cor.4.v.7, huic de acceptis bonis & beneficiis aſſiduè ex animo gratias age Pſal:103.v.1.2.ſeq.

V. 18. Βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας, εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχήν τινα τῶν αὐτοῦ κτισμάτων.

V. 18. Volens genuit nos verbo veritatis, ut eſſemus primitiæ quædam ſuarum creaturarum.

UBi primò qværitur: *Quis ſit hujus verſus cum iis quæ præceſſere nexus?* Meliorum interpretum certa reſponſio eſt; demonſtrare Apoſtolum ſingulari regenerationis exemplo id qvod dixerat, videlicet à Patre luminum deſcendere omne donum bonum & perfectum, nec ipſum eſſe peccati auctorem. Si enim Deus eſt, qui nos gignat lucis filios: qvâ vel veri ſpecie ad tentationes impellet, qvæ ad malum ducunt? Nec enim fieri poteſt, ut qvi novâ generatione hoc unum agit, ut ab omni peccati malitiâ liberemur, ad peccatum incitet & impellat Jac: 3.v.11.12.

Secundò qværitur: *Quo ſenſu Deus dicatur genuiſſe nos* βουληθεὶς? Non eadem eſt omnium ſententia, cur Apoſtolus dicat, qvòd Deus nos genuerit βουληθεὶς, id eſt volens, aut voluntariè, aut qvia voluit. *Athanaſius ſerm: 4 contra Arianos & Fulgentius* lib: 3 *ad Monimum* cap. 8 *volunt hac voculâ diſtingvi generationem filii æternam, quæ eſt naturalis & neceſſaria, à regeneratione hominum, quæ eſt voluntaria & libera.* Non probo. Ecqvid enim ad inſtitutum Apoſtoli, hîc tradere differentiam generationis filii Dei æternæ, & noſtræ regenerationis. *Oecumenius cenſet voce* βουληθεὶς *os his obſtrui, qui mundum caſu productum fuiſſe nugantur.* At non agit Apoſtolus de mundi productione, ſed

 ho-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

hominis per verbum veritatis regeneratione. Rectiùs docent *Iuſtinianus, Lorinus, Eſtius, Paræus, Interpretes Belgici*, qvod ſcilicet hac vocula indicetur cauſa, qvæ Deum ad noſtri regenerationem impellat: qvæ eſt benivola ejus voluntas, teſte Dei ſpiritu Eph:1.v.9. Philipp: 2.v.13. Monere ergò vult D.Jacobus, Deum, nec ullâ neceſſitate coactum, nec operum noſtrorum merito permotum Rom:9. v.11.12. 2 Tim:1. v. 9; ſed benivolâ ſuâ voluntate & εὐδοκίᾳ, in Jeſu Chriſto unicè fundatâ, inductum, nos genuiſſe.

Tertiò qværitur: *Qualis hic intelligatur generatio?* Ter enim à Deo geniti ſumus: (1) dum à Deo formati & ex utero matris ab ipſo educti ſumus Job 10.v.9.10.11. (2) dum in baptiſmo ex aquâ & ſpiritu renati ſumus Joh:3.v.5. (3) dum verbi prædicatione qvotidiè regignimur 1 Pet.1,23. Qvarum generationum qvæ hîc ſit intelligenda variant Interpretes. *Oecumenius* cenſet hic commendari beneficium creationis, qvo Deus nos cum nihil eſſemus, ſponte condidit per ſubſtantiale illud verbum filium ſuum Johan:1. v.1.2. ſeq. Rom:11.v.36. Qvod non admitto. Nec enim naturalis generatio verbo veritatis, qvod eſt verbum fidei, peragitur. Rectè *Paëzius, Lorinus, Paræus, Eſtius, Cornelius à Lapide, Interpretes Belgici*, explicant hanc generationem de ſpirituali illâ, tàm qvæ in Baptiſmo Johan:3. v.5. Eph:5. v.26. Tit:3.v.5, qvàm qvæ in qvotidinna verbi lectione & meditatione & auditione Rom: 10. v.14, Johan:1. v.12. 1.Pet:1.v.23, peragitur. Nam & baptiſmo & verbi divini auditione & meditatione ita renaſcitur homo, ut cor lapideum tollatur Ezech: 11. v.19, denſa mentis caligo diſſipetur Eph:5. v.8, membra deniq; ita refingantur, ut qvæ ântea fuerunt arma injuſtitiæ evadant arma juſtitiæ Rom: 6. v.13. Uno verbo: qvi mortui fuimus in peccatis Eph:2 v.1, abalienati à vita Dei & ſine Deo Eph:2.v.12, veram vitam in Chriſto recuperamus, condonatis peccatis Coloſſ.2.v.13. Et hoc eſt Deum ἀποκύειν, id eſt, in utero ſuo velut geſtare, inibiq; tam diu fovere, uſq; dum animadvertit nos eſſe partum maturum, qvem tutò deponere poſſit. Ea enim eſt nativa verbi ἀποκύειν ſignificatio: Nam veluti κυέω eſt in utero geſto, ita ἀποκυέω eſt fœtum maturum depono. Univerſa igitur regeneratio verbo ἀποκυήσεως comprehenditur.

Qvartò qværitur: *Quid Apoſtolus per λόγον ἀληθείας, quo Deus tãqvam organo, nos regenerat, velit intellectum? & cur Evangelii doctrina ſingulariter appelletur veritatis doctrina?* Nobis certum eſt, λόγον ἀληθείας περίφρασιν eſſe & concinnam circumloqvutionem doctrinæ Evangelicæ. Teſtantur id clariùs, qvàm ut id negari poſſit, hæc D.*Pauli* dicta. Eph:1.v.13. *Audiviſtis ſermonem illum veritatis, Evangelium ſalutis veſtræ.* Coloſſ. 1. v. 5. προηκούσατε ἐν τῷ λόγῳ τῆς ἀληθείας τοῦ εὐαγγελίου. Operæ autem pretium eſt noviſſe *quid cauſa ſit, cur doctrina Evangelii vocetur λόγος ἀληθείας?* E ſcriptis Græcorum conſtat, τὸν λόγον τῇ ἀληθείᾳ non raro opponi, veluti legere eſt apud Thucydidem & alios. Cùm enim hominum promiſſa crebrò ſint verba, & tantùm verba: mirum non eſt, qvòd in iſto genere λόγων, λόγος τῇ ἀληθείᾳ & τῷ ἔργῳ non rarò opponatur. Qvocirca ut certi ſimus, qvòd

qvæ in verbo divino traduntur, ſive promiſſiones ſive comminationes non ſint inanes λόγοι, ſev ad fallendum compoſiti ſermones, qvibus nihil veræ rei ſubeſt: certiſſima Evangelii doctrina appellatur λόγος ἀληθείας: hîc namqvé λόγος & ἀλήθεια pari paſſu ambulant 1 Tim: 1. v. 15. Sed & alia appellationis cauſa eſt. Nec enim evangelium hac circumlocutione tantùm diſcernitur à ſapientiâ humanâ, qvæ ſæpè fallax eſt; ſed etiam à lege Moſaica. Lex qvidem Moſis promittebat juſtitiam & vitam ſervantibus legem Matt: 19. v. 17, Lucæ 10. v. 28; ſed eandem nemini conferebat, qvod ne unus eſſet, qvi ob carnis imbecillitatem par eſſet legi implendæ Rom: 8. v. 3. Promiſſa itaq; legis non niſi λόγοι & verba fuêre, ſine veritate & opere. At verò Evangelium eſt λόγος veritatis: Etenim qvam credentibus promittit juſtitiam & vitam, eandem verè confert 1 Tim: 1. v. 15. Hinc eſt illa Pauli aſſertio 2 Cor: 1. v. 20. *Omnes promiſſiones in Chriſto ſunt* ναὶ καὶ ἀμήν.

Qvintò qværitur: *Cur Apoſtolus homines vocet* τὴν ἀπαρχήν τινα τῶν κτισμάτων, *primitias quasdam creaturarum?* Indubitatò certum eſt, indicari iſtis verbis à Jacobo ſingularem regenerationis finem: ſed qvid iſta verba ſibi velint, non æqvè certum eſt. Hoc ſaltem certum eſt, ἀπαρχὴν & in plurali ἀπαρχὰς ſignificare primitias frugum, qvæ, à reliqvis frugibus ſeparatæ, Deo ſolenniter offerebantur Lev. 23. v. 9. 10. Num. 15. v. 20. 21. Deut 26. v. 2. ſeq. Quâ loqvutione, tropo modificatâ, qvid hîc ſignificetur, non convenit inter interpretes. *Oecumenius, quem ſequitur Salmeron, Catharinus, Gagnejus,* ἀπαρχὴν κτισμάτων *interpretatur* πρώτους καὶ τιμιωτάτους, *primos & honoratiſſimos, inter viſibiles creaturas.* Non probo: nam hæc præſtantia competit homini, etiam non regenito: ſermo autem eſt Apoſtolo de dignitate, qvam è regenerationis opere conſeqvimur. Recte *Paëzius*, à qvo non diſſentiunt *Paræus, Hemmingius, Beza, Lorinus, Eſtius, Cornelius à Lapide*, qvi per ἀπαρχὴν κτισμάτων intelligit creaturam eximiam & ſingularem, qvam ſcriptura jam vocat καινὴν κτίσιν 2 Cor. 5. v. 17. Gal. 6. v. 15, jam appellat κτίσμα conditum in Chriſto Eph. 2. v. 10. conditum ſecundùm Deum Eph. 4. v. 24., conditum ſecundum imaginem Dei Col. 3. v. 10. Nam regeneratione efficitur, ut non ſimus tales, qvales ortu primo ſumus, hoc eſt, peccato polluti Pſal. 51. v. 7. Joh. 3. v. 6.; ſed multo præſtantiores, dum per gratiam Chriſti renovati induimus novum hominem, creatum ſecundū Deum 2 Cor. 5. v. 17. Gal. 6. v. 15. Eph. 4. v. 24. Col. 3. v. 10, atq; ita ſeparati ab impurâ hominum turbâ, more & modo primitiarum, Deo conſecratarum Eph. 1. v. 4. Joh. 15. v. 19. 1 Pet. 2. v. 9. Non ignoro, *Lucam Oſiandrum, Juſtinianum, Cornelium à Lapide, Interpretes Belgicos*, reſtringere verba Apoſtoli, tùm ad Apoſtolos, qvi primitias, hoc eſt, primos fructus Spiritus Sancti acceperunt, effuſo in eos die Pentecoſtes Spiritu Sancto Act. 2. v. 12. ſeq., tùm ad Judæos, ad regnū Dei & Chriſti ante gentes vocatos Act. 13, 46. Sed priùs adductam explicationem præferim⁹ *duplici* nomine. *Vno*; qvia ſcopo & ἀντιθέσει Apoſtoli conformior eſt. Propoſitum enim eſt Apoſtolo evincere, qvod Deus ad peccata non incitet & inſti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

get, ut qvi nos regeneret, & regenerationis opere à turbâ mundi impiâ ac impurâ, more qvarundam primitiarum, ſeparet. Abſurdũ namq́; foret Deum, qvi ad ſanctitatem regenerat, nos efficere pollutos ſollicitatione ad malum. Serviret verò ſolis aut Apoſtolis aut Judæis inſtituendis argumentum, ſi ſoli eſſent ἡ ἀπαρχὴ τῶν κτισμάτων: cùm contra Apoſtoli ſcopus ſit, omnibus hominibus eximere hunc ſcrupulum, Deum ad malum ſollicitare qvenqvam. *Altero:* qvia non Judæorum tantum, ſed omnium vere fidelium ac electorum hominum nomen eſt honorarium, qvod ſint ἀπαρχὴ Deo & agno, Apoc. 14. v. 4.

Doctrina. Æſtimemus & baptiſmum & verbi divini prædicationem: Nam & ille & iſta medium eſt, qvo ad vitam æternam generamur, Joh. 3. v. 5. 1 Pet. 1. v. 23. Regeniti, non noſtris operibus, aut meritis opus regenerationis adſcribemus Rom. 9. v. 11. 12. 2 Tim. 1. v. 9. Sed ſoli Jehovæ benignitati & gratiæ Eph. 1. v. 9. unice acceptum referemus. Vitam vivamus dignam his, qvi tanqvam primitiæ Deo oblatæ, ſeparati ſunt à reliqvâ mundi turbâ profanâ, impiâ & impurâ, Luc. 1. v. 74. 75. Rom. 6. v. 3. 4. ſeq. 1 Pet. 1. v. 22. 23. & 3. v. 1. 2. ſeq. 2 Pet. 2. v. 1. 2. 3. ſeq.

Sic fuit Parænesis Apoſtoli ſecunda, qva à Deo removit blaſphemiam, qva tentationum, ad peccata ducentium, auctor conſtituitur.

Parænesis tertia, qvâ promit Apoſtolus qvatuor media, cœpto regenerationis operi felicitèr continuando, apprimè ſervitura: & eſt (1.) verbi divini auditio v. 19. (2.) meditatio, verſu eodem. (3.) fuga iræ ac indignationis v. 19. 20. (4) ſerium peccata vitandi ſtudium v. 21. opere ipſo declaratum à v. 21. ad verſum 26.

v. 19. Ὥστε ἀδελφοί μου ἀγαπητοὶ, ἔστω πᾶς ἄνθρωπος ταχὺς εἰς τὸ ἀκοῦσαι, βραδὺς εἰς τὸ λαλῆσαι, βραδὺς εἰς ὀργήν.	V. 19. Itaq́: fratres mei dilecti, ſit omnis homo velox ad audiendum; tardus ad loqvendum; tardus ad iram.

UBi primò qværitur: *Quæ ſit hujus verſus & præcedaneæ orationis Apoſtoli connexio? Cornelius à Lapide cenſet novam eſſe parænesin, à præcedente diverſam, nec cum eâ connexam, quâ Apoſtolus agit, de formandâ lingvâ & frenandâ irâ.* Rectiùs *Juſtinianus, Paræus, Eſtius, Interpretes* Belgici ita nectunt cum præcedentibus; ut continuatio ſit doctrinæ de regeneratione, qvam verbo veritatis perfici, verſu proxime præcedente monuit. Liqvet hoc tum è particula ὥστε, qvâ qvæ hìc dicuntur, cum præcedentibus nectuntur; tùm è contextu: Nam diſertè diſſeritur

præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

præſente & ſeqventibus verſibus de regeneratione; veluti è textus explicatione clarè liqvebit.

Secundo quæritur: Quo ſenſu requirat Apoſtolus à quovis homine, ut ſit velox ad audiendum? & quæ in voce ταχὺς hîc lateat emphaſis? Velocitas audiendi verbum Dei eſt primum medium, qvod Apoſtolus reqvirit & urget, ut cœptum feliciter regenerationis opus, pari felicitate continuetur. Nam absq; alacri promptitudine audiendi verbum veritatis, de qvo dictum eſt verſu præcedente, nec regenerantur adulti, nec in regenerationis ſtatu conſervantur. Nam veluti ex hoc verbo primùm naſcimur ſpirituales, ac novæ creaturæ in Chriſto conſtituimur 1 Pet. 1. v. 23: Ita hoc ipſum verbum eſt fomes & pabulum, qvo vita ſpiritualis, ſemel ingenerata, fovetur, conſervatur, atq; augeſcit 1 Tim. 4. v. 6. Et unâ ταχυτῆτος voce bina removentur vitia, regenerationi validè obſiſtentia. Dum enim Apoſtolus jubet, ſimus ταχεῖς ad audiendum, initio vult, ut aliis negotiis poſtpoſitis, verbo huic audiendo unicè vacemus Luc. 10. v. 41. 42. Deinde eâdem ταχυτῆτος voce nos cupit commonitos, ut ubi ad verbi divini auditionem perventum fuerit, ne tùm ſimus ſtupidi, & propè ſtipites, qvippe corpore & non animo præſentes: ſed ut, contrà, auditione alacri teſtatum faciamus, qvod non habeti, ſed vere acri ſimus ingenio. Ταχὺς enim in ſcriptis Græcorum auctorum, non modò celerem & velocem, ſed & ingeniô acri præditum ſignificat, veluti teſtis eſt inter alios, Ariſtoteles libro de memoria.

Tertio quæritur: Quid ſibi hîc velit tarditas ad loquendum, ſecundum conſervandæ regenerationis medium? Qvanqvam præcipitantia quævis ſit improbanda, nec qvicqvam de ullâ re, qvæcunq; demum illa eſſe poſſit, temerè effundendum, memores exactam cujusvis verbi otioſi in extremo illo & cenſorio die reddendam eſſe rationem Mat. 12. v. 36: inprimis tamen longâ & bene maturâ deliberatione opus eſt, ubi qvicqvam de myſteriis divinis dicendum erit. Cùm enim verba, qvæ codice ſacro continentur, ſint vitæ æternæ verba Joh. 6. v. 68, & intima Dei cogitata 1 Cor. 2. v. 10, qvæ nemo, niſi filius, qvi eſt in ſinu patris, enarrare, Joh. 1. v. 18, nemo niſi Spiritus Sanctus detegere poteſt, 1 Cor. 2. v. 11: qvis mirabitur, qvòd Apoſtolus in talibus myſteriis tractandis commendet in loqvendo tarditatem, ac in aliis docendis præſumptionem ſeriò prohibeat Jac. 3. v. 1. Vide mihi qvàm turpiter ſe det Nicodemus, ad loqvendum non ſatis tardus, inſtitutâ à Chriſto diſputatione de Regeneratione Joh. 3. v. 1 2. ſeq.?

Quarto quæritur: Quo ſenſu Apoſtolus tarditatem ad iram hîc requirat, tanquam tertium conſervandæ regenerationis medium? Certum eſt, Spiritui Dei universè improbari nimiam in iram pronitatem Eph. 4 v. 26. Tit. 1. v. 7: ſed Apoſtolus hîc agit ſingulariter de irâ, qvâ homines incaleſcunt, ubi peccata è verbo divino ſeveriùs caſtigantur. Meminiſſe ſemper oportet, verbum divinum eſſe ſalem, cujus acrimoniam ſentire qvi horret, tandem computreſcit, ac tanqvam fœtida qvædam maſſa in ſterqvilinium contemptìm abjicitur Matt. 5. v. 13.

Doctrinæ. Libenter audiamus Dei verbum, memores uberrimi fructus, annunciati à *Davide* Pſal. 1. v. 1. ſeq. & *Chriſto* Luc. 11. v. 28. Æmulemur in auditione verbi divini fervorem *Davidis* Pſal. 19. v. 33. 34 ſeq. *Mariæ* Luc. 10. v. 39. ſeq. Ne præcipitemus noſtrum de verbo divino ac cœleſtibus myſteriis judiciũ.

Memi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Meminiſſe debem⁹, qvàm turpiter errarint, qvi ſuo confiſi ingenio & judicio, plus juſto hic ſibi arrogarunt. Liqvet id exemplo *Nicodemi* Joh. 3. v. 1. 2. 3. ſeq. & *auditorum Chriſti* Joh. 6. v. 61. 62. ſeq. & Diſcipulorum Matt. 16. v. 21. Æqviſſimo animo feramus, nos moneri è verbo divino erratorum: nec hoc nomine irâ accendamur. Simus eo ingenio qvo David, qvi patienter admittit monitorem Nathanem 2 Sam. 12. v. 7. ſeq. & ut idem nos faciamus hortatur Pſal. 141. v. 5.

V. 20. Ὀργὴ γὰρ ἀνδρὸς δικαιοσύνην Θεοῦ οὐ κατεργάζεται.

v. 20. Ira enim viri juſtitiam Dei non operatur.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis nexus?* De qvo non eſt qvòd diſputemus: manifeſtius eſt, qvàm ut ſit controverſiæ locus, afferri validiſſimam rationem aſſertionis proximè præcedentis, cur ſcilicet qvi δύσοργος eſt, ſeu in iram pronus & præceps, non poſſit annumerari hominibus vere renatis? Renati namq; è divinæ voluntatis præſcripto vivunt, in eo curioſiſſimè occupati, qvomodo è præſcripto divinæ voluntatis juſte vivant Col. 3. v. 7. 8. 9. 10. Luc. 1. v. 6. At qvi in iram pronus eſt, hic, teſte Apoſtolo noſtro, juſtitiam Dei non exeqvitur.

Qvibus de nexu orationis breviter præmiſſis: *Secundo qværitur: Quid deſignetur loqvutione iræ viri?* Heinſius ſuis in N. T. exercitationibus pag. 587. urget, duplicem in ſacris, etiam in N. T. fœdere, iram ſtatui, Dei nempe & hominis. Ira Dei ſeu vindicta, qvia ſemper juſta, τὴν δικαιοσύνην κατεργάζεται, qvod eſt, μόνον κατεργάζεται τὸ δίκαιον: nihil niſi qvod juſtum eſt operatur. Qvod de hominis ira dici non poteſt, qvæ injuſtitiam plærunq; operatur: ideoq; nihil minus qvam juſtitiæ divinæ hac in parte ſimilis eſt. Qvæ neſcio an probare liceat. Nec enim qvævis ira viri peccatum eſt, monitore Davide Pſ. 4 v. 5. & Paulo Eph. 4. v. 26. Et qvis neſcit, iram Phineæ juſtitiam Dei operatam eſſe, qvippe à Dei Spiritu operosè commendatam Pſal. 106. v. 30. 31. E contextu ſumenda eſt genuina loci hujus interpretatio. Diſputare Apoſtolum contra iram illicitam, indicio eſt adducta fugiendæ iræ cauſa. Novimus vero irâ illicitâ peccare hominem, dum aut ſine juſtâ cauſâ iraſcitur Gen. 49. v. 7. Pſal. 106. v. 33. Prov. 16. v. 32. Matt. 26. v. 65; aut juſtum finem ſuâ irâ non intendit, Prov. 28. v. 25; aut juſto diutius iræ indulget Eph. 4. v. 26. Et hæc ira, vocatur ira viri, ſed non cujusvis, verùm viri qvi rectum in iraſcendo modum non ſervat.

Tertiò qværitur: Quo ſenſu ira viri non operetur juſtitiam Dei? Reſeco diſſentientes ſententias; rem ipſam ſubſtrictâ oratione compræhenſurus. Per juſtitiam Dei intelligitur juſtitia, qvalem Deus præſcribit, reqvirit, approbat, ſuæmet juſtitiæ conformem. A qvâ juſtitiâ longiſſimè recedunt, qvi aut injuſtâ cauſâ, aut fine minus bono, aut impotentius incaleſcunt irâ. Si cauſa, qvæ te ad iram accendit, non eſt juſta: non eſt juſtitia Dei qvam exerces & exeqveris: Deus enim non iraſcitur, niſi adſit juſta iraſcendi cauſa. Audies itaq; qvi temerè iraſceris, qvod eſt Matt. 5. v. 22. *Quicunq; iraſcitur fratri ſuo temerè, damnas erit judicii*. Qvod ſi ipſiſſimam veritatem ſuſceperis defendendam, ſed eo tantum fine ut irato tuo animo ſatisfacias, ac adverſarium uras: Dei profectò juſtitiam non exeqveris, qvippe qvæ vult, ut verum eo ſolùm nomine tuearis, qvia verum eſt;

In

In ſceleratum etiam ſi animadvertis, non odio ſcelerum, non amore juſtitiæ, ſed ut diu optatas de inimico ſumere poſſis pœnas: ecqvæ ea eſt juſtitia? Non certè divina, qvippe qvæ odio ſcelerum ſceleratos caſtigat. Et ut progrediamur. In causâ etiam optima & juſtiſſimâ, vide ne nimis cito irâ accendaris, ac cave ne ad aſperiora media deſcendas, lenibus emendationis mediis prius non tentatis, memor qvâ manſuetudine Deus tecum agat. Secus ſi feceris, juſtitiam Dei non operaris, teſte Chriſto Matth: 18.v.21.22. ſeq: Imprimis verò caſtigatur hîc illa viri ira, qvæ inde oritur, qvod iniqviùs feramus, nos noſtrorum defectuum è verbo Dei moneri. Qvo nomine qvi efferveſcit, non operatur juſtitiam Dei; hoc eſt, eam juſtitiam, qvâ qvis coram Deo verè juſtus eſt: Hoc enim ſenſu δικαιοσύνη θεȣ̃ uſurpatur Rom.1.v.17, & 3.v.21, & 10.v.3. Hanc verò juſtitiam non conſeqvitur, qvi verbum divinum cum lenitate admittere recuſat. Qvam eſſe genuinam loci ſententiam, verſus qvi proximè ſequitur evidentiſſimè oſtendit, ubi jubemur ἔμφυτον λόγον ἐν πραΰτητι δέξασθε, δυνάμενον σῶσαι τὰς ψυχάς.

Doctrina. Temperemus nobis qvàm ſtudioſiſſimè ab irâ. Hac non rarò peccarunt optimi: qvod manifeſtum eſt exemplo Davidis 1. Sam: 25.v.13. ſeq: diſcipulorum Chriſti Lucæ 9 v.54.55. Inprimis verò hoc nos abſterrebit ab irâ & odio, qvod qvi iræ indulgent, nunqvam conſeqvantur illam juſtitiam, qvâ coram tribunali Dei conſiſtere poſſunt Matth: 18.v.21.22. ſeq.

V. 21. Διὸ ἀποθέμενοι πᾶσαν ῥυπαρίαν καὶ περισσείαν κακίας, ἐν πραΰτητι δέξασθε τὸν ἔμφυτον λόγον, τὸν δυνάμενον σῶσαι τὰς ψυχὰς ὑμῶν.	V. 21. Ideo deponentes omnes ſordes & abundantiam malitiæ, in lenitate admittite innatum verbum, potens ſalvare animas veſtras.

UBi primò qværitur: *Quæ ſit textus cohærentia?* Connexio eſt manifeſtiſſima. Affertur enim qvartum & ultimum conſervandæ regenerationis medium. Parùm certè proderit verbo audiendo aures libenter commodare; à temeritate judicandi de myſteriis Religionis ſibi cavere; à præcipiti irâ ſibi temperare, niſi unà adſit ſerium & ſanctum vivendi ſtudium. Qvæ eſt cauſa, qvòd Apoſtolus ultimum hoc continuandæ regenerationis medium præcedentibus, tanqvam concluſionem qvandam, ſubjungat. Monitum autem Apoſtoli iſtâ verborum formâ conceptum eſt, ut qvot hîc occurrunt voces, totidem ſint efficaciſſima argumenta, ſtudium ſanctioris vitæ ſvadentia; qvod ſequentibus qvæſtionibus oſtendemus.

Secundò quæritur: *Cur Divus Iacobus, ſvaſurus ut peccatis nuntium remittamus, jubeat ea deponamus?* Ut eò libentiùs te opponas peccatis, monet D. Jacobus, peccata non eſſe qvicqvam aliud, qvàm ponderoſum onus, indicatum voce ἀποθέμενοι. Qvæ etiam *Davidis* de peccatis confeſſio eſt Pſal. 38. v. 5. ſeq. Qvis ergo non volet hoc onere ponderoſiſſimo, qvod noctu & interdiu urget, levari.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Tertiò qveritur: *Quid ſit* ῥυπαρία, *cujus meminit Apoſtolus?* *Beda*, *Thomas Anglicus*, *Salmeron*, nomine ῥυπαρίας vitia carnis intelligunt. *Cornelius à Lapide* avaritiam & ſordidũ ac illiberalem animum interpretatur. Sed tàm illi, quàm iſte, nimis reſtrictè vocẽ interpretãtur. Notantur qvævis peccata: à quib⁹ ut abhorreas, docet D. Jacobus, peccata non modò on⁹ eſſe, ſed & malè olẽs ac fœtidum onus eſſe: qvod indicat dum jubet, ut deponamus ῥυπαρίαν, id eſt fœtidiſſima excrementa, ſorditudinem, qvod ait Plautus. Epitheton qvod in peccata aptiſſimè qvadrat. Ortum enim trahunt ab impuriſſimo ſpiritu Diabolo Lucæ 11. v. 24. foventur & conſervantur ab impuriſſimâ hominis naturâ Eſa: 1. v. 6. occupantur circa res ſpurciſſimas & fœtidiſſimas, 2 Pet: 2. v. 22; finis deniq; eſt æterni carceris fœtor Eſa: 14. v. 11, & 66. v. 24.

Qvartò quæritur: *Quid per* περισσείαν κακίας *intelligatur?* Non occupabor circa varietatem ſententiarum enumerandam. Luxurie iſtâ qvi delectatur, adeat *Cornelium à Lapide*, non tàm prolixùm, qvàm tædioſum ſeptem ſententiarum enumeratione. Si qvid video, hoc vult Apoſtolus: Homo regenitus cavebit, ne falſò ſibi perſuadeat, non niſi turpiſſimis flagitiis reſiſtendum eſſe: omnis περισσεία κακίας deponenda eſt. Eſt autem περισσὸν qvicquid eſt ultra id, qvod eſſe debet. Ubi ergo vitiorum monſtra non pauca domueris; vide ne tandem defatigeris, ratus ſufficere vitia maximè enormia feliciter eſſe devicta. Periculoſæ cogitationes ſunt, & qvæ cum regeneratione cohærere non poſſunt. Qvotquot enim aguntur regenerante Dei ſpiritu; hi omnino ſtatuunt, reliqvias peccati, quas in ſe ſentiunt, eſſe περισσείαν κακίας, id eſt, nimium quiddam malitiæ eſſe. Qvocirca renati hoc unum agunt, ut quas supereſſe ſentiunt peccati reliqvias, viriliter expugnent, & in ſanctitatis ſtudio indies proficiant: exemplo *Pauli* Phil. 3. v. 12. 13.

Qvintò quæritur: *Quomodo verti debeat* ἔμφυτος λόγος, *& quid per eum ſignificetur?* *Anshelmo* λόγος ἔμφυτος eſt filius Dei, verbum perſonale, qvod inſitum eſt humanæ naturæ per incarnationem. Quæ eſt alienior interpretatio: Nam ſermo eſt de verbo, qvod animas noſtras ſalvat receptum v. 21, cujus factores & non tantùm auditores eſſe debemus v. 22: qvæ eſt verbi, non perſonalis, ſed prædicati circumſcriptio. *Oecumenius* per ἔμφυτον λόγον intelligit τὸν διακριτικὸν τοῦ βελτίονος καὶ τοῦ χείρονος, καθ' ὃ καὶ λογικοὶ ἐσμὲν καὶ λεγόμεθα. Verùm non intelligi per λόγον ἔμφυτον rationem, qvâ malum à bono diſcernimus, rationales inde dicti; ex orationis συναφεία manifeſtiſſimum eſt. Nam agit Apoſtolus de verbo, quod eſt verbum veritatis v. 18, quod eſt verbum potens ad ſalvandum animas v. 21, cujns deniq; verbi non tantùm auditores, ſed & factores eſſe debemus, verſu 22. Extra controverſiam itaq; certum eſt, verbum hoc, qvod dicitur ἔμφυτον, non eſſe aliud, qvàm Evangelium, ſeu de Chriſto prædicationem Actor: 8. v. 5. 14. 1 Cor. 2. v. 2. Quomodo autem verti debeat λόγος ἔμφυτος videndum eſt. *Oecumenius*, *Vatablus*, *Heinſius*, λόγον ἔμφυτον vertunt verbum

natu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

naturale, nativum, innatum; At *Beza*, *Salmeron*, *Piſcator*, *Paræus*, *Lorinus*, *Eſtius*, *Cornelius à Lapide*, *Interpretes Belgici*, reddunt verbum inſitum, implanatum. Ego ut priori accedam ſententiæ, ſuadet nativa vocis ſignificatio. Nam ἔμφυτον *Heſychio* eſt τὸ ἐν φύσει, & *Suidæ* τὸ ἐκ φύσεως: cui id opponitur, qvod non natura ineſt, ſed qvod τὸ φυσικὸν ſeu qvod naturale eſt, mutat: qvod inſitione agricolarum præſtatur. Aliud certè eſt ὁ ἔμφυτος καὶ ὁ ἐμφυτευθεὶς λόγος: ille qvi innaſcitur, hic vero qui implantatur. Qva de re lege doctè & diffusè diſſerentem Heinſium ſuis in N.T. exercitationibus pag. 587. 588.

Sextò qværitur: *Quo ſenſu doctrina Evangelii, quæ eſt verbum illud quo regeneramur, vocetur λόγος ἔμφυτος?* *Beza*, *Piſcator*, *Paræus*, *Hemmingius*, *Salmeron*, *Eſtius*, *Lorinus*, *Cornelius à Lapide*, & qvotqvot λόγον ἔμφυτον vertunt ſermonem inſitum, aut inſititium, aut implantatum, cenſent doctrinam Evangelii, qvæ eſt medium illud & inſtrumentum, quo Deus in nobis regenerandis utitur, hac appellatione inſigniri, quia Evangelium ſeritur ac plantatur miniſtrorum operâ in cordibus hominum, ut radices agat, & fructus Deo gratos proferat. Res quidem ipſa eſt certa & ſcripturæ conformis 1 Cor: 3. v. 6, ſed abitur à genuina vocis ſignificatione: Nam ἔμφυτος λόγος non eſt ἐμφυτευθεὶς λόγος ſeu inſititius ſermo, ſed naturalis, ingenitus, innatus. *Heinſius* ut expediat, quo ſenſu Evangelii doctrina dicatur ſermo innatus, naturalis, ingeneratus, urget, ἔμφυτον λόγον hîc valere ingenuum, nativum, nec ullo interpretum fuco corruptum: ut ſenſus ſit; Evangelii doctrinam, hominum fermento haud vitiatam, ſervire ſolam animabus noſtris ſalvandis. Qvæ an qvadrent dubito. Non diſputabo an λόγος ἔμφυτος melioribus Scriptoribus uſpiam ſit ſermo ſimplex & nullo fuco adulteratus: Exempla enim deſidero. Hoc ſcio, qvod ſcriptura clarè explicet, qvomodo verbum Dei, & qvidem puriſſimum, debeat fieri ἔμφυτον, & nobis velut innaſci, ut nobis ſalvandis ſerviat. Qvod ubi ſubſtricto ſermone explicatum fuerit, res qvæ videtur paulo impeditior, expeditiſſima erit. Aſſertio eſt *Pauli* Rom. 6. v. 17, Evangelii doctrinam, qvâ regeneramur & refingimur, inſtar typi fuſorii eſſe, in quem ita ſumus immittendi, ut expreſſam doctrinæ formam in animo, in affectibus, in corde & concupiſcentia, juxta & in externo opere, clarè referamus: quod tum factum eſſe ſciemus, ubi virtute Evangelii in imaginem Chriſti transformamur 2 Cor. 3, 18, σύμφυτοι ſimilitudini mortis & reſurrectionrs Chriſti Rom: 6. v. 5. Hinc liqvet, doctrinam Evangelii eſſe ἔμφυτον, & aptam qvæ ſalvet animas, qvando non hæret in lingva, in labiis, in cerebro; ſed crebrâ meditatione, & uſurpatione, & divinâ εὐλογίᾳ, ita tranſit in naturam noſtram, ut in univerſa noſtra vita, ſermonibus & actionibus vis & valentia doctrinæ ſe prodat.

Septimò qveritur: *Quid ſibi velit Apoſtolus, quando jubet ut hoc verbum ἐν πραΰτητι admittamus?* Verbum Evangelii tum verè admiſiſſe dicitur homo, qvando è verbi divini, ſive ſeriâ & ſanctâ lectione, ſive alacri & devotâ auditione, eò progreſſus eſt gratioſa Spiritus ſancti benedictione, ut non tantùm abſq; hæſitatione ſtatuat, quod quæ de Jeſu Chriſto proponitur doctrina, non

minum, ſed Dei verbum ſit 1. Theſſal: 2. v. 13. ſed etiam immotâ cordis fiduciâ in meritum Chriſti recumbit, ac indubié concludit, omnia qvæ admiſit peccata ſangvine Chriſti inducta & deleta eſſe Col: 2. v. 13. 14, re porrò ac facto teſtatus, ſe, peccato mortuum, juſtitiæ vivere 1 Pet: 2. v. 24. Cæterùm jubemur admittere hoc verbum ἐν πραΰτητι. Eſt autem πραότης ἡ περὶ ὀργὰς μεσότης ſeu iræ affectuumq; moderatio. Quæ hîc non ſine cauſa imperatur. Inimica eſt doctrina de Chriſto tùm menti, tùm voluntati. Menti quidem eſt inimica, quia homini ψυχικῷ mera ſtultitia eſt 1 Cor: 2. v. 14: voluntati autem & affectibus adverſatur hæc doctrina, quia ea præſcribit quæ carni dura & difficilia & moleſta præſtitu ſunt: qvalia ſunt, odiſſe parentes, fratres, ſorores; relinquere omnia; odiſſe ſuammet animam Matth. 10. v. 37. 38. 39. Quocirca manſuetudiue opus eſt; ita ut nec reſilias ab hac doctrinâ, quia cœcæ rationi adverſatur Joh: 6. v. 60. 66, nec eam illibenter admittas, quia acrimoniâ ſuâ ulceroſæ naturæ & malignæ carni moleſta eſt Matth. 5. v. 13. En cauſam, ob qvam πραΰτητι hic opus.

Octavò & ultimò qværitur: *Quo ſenſu verbum Dei animas ſalvare dicatur?* Evangelium eſſe verbum, qvo Deus utitur in animabus ſalvandis, non licet dubitare. Nam diſertè vocatur à Dei ſpiritu, tum virtus Dei ad ſalutem cuivis credenti Rom: 1. v. 16, tùm verbum ſalutis Act: 13. v. 26, tum εὐαγγέλιον σωτηρίας Eph: 1. v. 13. Quo autem modo doctrina Eangelii ſalvet animas, explicatu facilimum eſt. Eſt enim de Chriſto prædicatio; cujus hæc eſt ſumma Luc: 2. v. 10. 11. Εὐαγγελίζομαι ὑμῖν χαρὰν μεγάλην, ἥτις ἔστι παντὶ τῷ λαῷ, ὅτι ἐτέχθη ἡμῖν σήμερον σωτὴρ, ὅς ἐστι χριστὸς κύριος ἐν πόλει Δαβίδ. Confer qvod eſt Actorum 4 verſu 12. Roman. 1. verſu 16. Qvanqvam verò Chriſtus corpora etiam ſervet & ſalvet; tamen ſe inde ſingulariter commendat Chriſtus, quod venerit ſalvatum animas, Lucæ 9. verſ. 56. Matth. 11. verſ. 29, & 16. verſ. 25. 26. Cur vero nulla plane fiat mentio corporum, qvorum reſtitutio etiam debetur Chriſto Jeſu Phil. 3. v. 20. 21, in promptu eſt cauſa. Etenim corpora noſtra in hac vita per miniſterium verbi non reſtituuntur, ſed manent in naturali ſuo ſtatu, eorum reſtitutione in univerſalem judicii diem dilatâ Rom: 8. v. 11. 23. 1. Cor. 15. v. 44. Phil. 3. v. 21. Paucis refutandus eſt hoc loco *Cornelius à Lapide*, qui contendit, verbum Dei ſalvare animas, non per ſolam fidem ei credendo, quod volunt hæretici; ſed ei obediendo; illudq; opere & vita complendo, & præſertim multa pro eo patiendo. Verùm *duos errores* committit adverſarius: *Prior error eſt, nos non ſalvari per ſolam fidem in Chriſtum Ieſum.* Aliter certè concluſêre Apoſtoli in Synodo Hieroſolymitanâ Act. 15. v. 11. Et interrogatus à Paulo cuſtos carceris, quid faciendũ ipſi eſſet, ut ſalvaretur Act. 16. v. 30; non amandatur ad opera, ad paſſiones pro Chriſto ſuſtinendas; ſed hæc eſt Pauli reſponſio Act. 16. v. 31: Πίστευσον ἐπὶ τὸν Κύριον Ἰησοῦν χριστὸν, καὶ σωθήσῃ καὶ ὁ οἶκός σου. Et univerſalis aſſertio eſt 1. Cor. 1. v. 21: *Libuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvare credentes.* Poſterior adverſarii error eſt: *Salvari nos noſtris operibus, & quas pro Chriſto ſuſtinemus paſſionibus.* Quam aſſertionem deditâ opera impugnat *Paulus* inquiens

Eph.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Eph.2.v.8.9. *Gratiâ eſtis ſervati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt; Non ex operibus, ut ne quis glorietur.*

Doctrinæ. Odiſſe nos oportet peccata, qvæ ſunt fœdiſſima excrementa. Hortatur *David* Pſal.38.v.5. ſeq. *Eſaias* cap.1.v.6. ſeq. Non ceſſemus qvotidie aliqvam partem reliqviarum peccati expurgare, exemplo Pauli Phil.3.v.12.13. Verbum Dei ita intra pectus & penitum cor recipiamus, ut qvotqvot nos vident, vivam doctrinæ cœleſtis formam, in vita noſtra, conatibus & actionibus videre poſſint Matth.5.v.16. Rom.16.v.19. Matth.7.v.21.22. ſeq.

V.22. Γίνεσθε δὲ ποιηταὶ λόγου καὶ μὴ μόνον ἀκροαταὶ, παραλογιζόμενοι ἑαυτούς.	v.22. Sitis autem factores verbi, & non ſolùm auditores, decipientes vosmetipſos.

Hîc primò quæritur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus?* Dixerat Apoſtolus verſu præcedente, admittendum eſſe in lenitate ἔμφυτον λόγον, δυνάμενον σῶσαι ψυχάς. Ne itaq; neſciamus, qvando λόγος verè cenſeri poſſit ac debeat ἔμφυτος, aptus qvi ſalvet animas, monet, ad hoc non ſufficere verbi nudam auditionem, ſed porrò reqviri verbi auditi & cogniti exeqvutionem. Inveterata fuit tùm Chriſti, tùm Apoſtolorum tempore perſvaſio, ſaluti ſuæ hunc probè conſulere, qvi non pateretur ullam præterlabi verbi divini audiendi commoditatem, licet comes non eſſet vitæ in melius mutatio. Qvem eſſe periculoſiſſimum errorem & animæ lethalem, monſtrat Chriſtus Matth.7.v.15.16. ſeq. & hoc loco D. Jacobus.

Secundò qværitur: *Quo ſenſu jubeamur eſſe factores verbi & non ſaltem auditores? & quid ſit* παραλογίζεσθαι ἑαυτὸν? Creberrimæ extant in verbo divino monitiones, de verbo Dei non tam audiendo, qvàm opere & factis exprimendo. *Chriſti* vox Luc.11 v.28. *Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* D. Johannis 1 Epiſt. c.2.v.4. aſſertio eſt: *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt:* D. Jacobi monitio eſt cap.4.v.17. *Qui noverit recte facere, nec facit, is peccato tenetur.* Jam qværitur: *Quo ſenſu jubeamur factores eſſe verbi, & non ſolum auditores, ne nosmetipſos decipiamus?* Certè qvando D. Jacobus urget, ut ſimus factores verbi, nevtiqvam hac monitione remittit nos ad legem Moſis, hoc fine, ut plenâ & perfectâ legis præſtatione juſtificemur & ſalvemur, juxta illud Pauli Rom.2.v.13. Οὐ γὰρ οἱ ἀκροαταὶ τοῦ νόμου δίκαιοι παρὰ τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου δικαιωθήσονται. Etenim legi Moſis implendæ nemo par eſſe poteſt Actor.15.v.10. Rom.8.v.3. Qvocirca tantum abeſt hinc benedictio ſperari poſſit, ut qvotqvot ex operibus legis ſunt, ſub maledictione ſint: Scriptum eſt enim: *Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea Gal.3 v.10.11.* Cùm itaq; D. Jacobus non reqvirat, ut hoc ſenſu ſimus verbi factores: qvid qvæſo vult intellectum? Manifeſtiſſimum id eſt ex orationis Apoſtolicæ cohærentiâ. Diſſeruit verſu præcedente Apoſtolus, non de lege Moſaica, qvippe qvâ non datur & confertur regenerationis Spiritus Gal.3.v.2; ſed Evangelio, qvod eſt miniſteriū ſpiri-

ſpiritus 2. Cor. 3. v. 6. 7. ſeq., & potentia ad ſalutem cuivis credenti Rom. 1. v. 16. Hujus autem jubemur eſſe non tantum auditores, ſed etiam factores Qvod fit ubi ita audimus verbum, ut è verbo audito veram & vivam in Jeſum Chriſtum fidem concipiamus Johan. 6. v. 28. 29. Rom. 10. v. 17. Gal. 3. v. 2. eandemq; vitæ ſanctimoniâ luculenter teſtemur: juxta illud Chriſti Luc. 8. v. 15. *Quod autem in bonam terram cecidit ſemen, ii ſunt qui in corde honeſto ac bono auditum ſermonem ſervant, & fructum adferunt in patientiâ.* Secus qvi ſentiunt, graviſſimè errant, παραλογιζόμενοι ἑαυτοὺς. Eſt autem παραλογίζεσθαι, falſa argumentatione uti, & ſubdolâ ſupputatione fallere. Ecqvis verò dubitare poteſt, qvin ſit παραλογισμὸς & ad decipiendum comparata argumentatio, ſi qvis inde colligat, ſe verè regenitum eſſe, & certò ſalvandum, qvòd aſſiduus verbi auditor ſit, ut ut qvæ audit, re & opere nunqvam exprimat? Παραλογίστας eſſe, & fallaces diſputatores, qvotqvot iſto modo argumentantur, teſtis eſt Chriſtus Matth. 7. v. 21. ſeq. inqviens: *Non quisquis dicens mihi, Domine Domine, introibit in regnum cœlorum: ſed qui facit quod vult Pater meus, qui eſt in cœlis. Multi dicent die illo: Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & per nomen tuum multas virtutes edidimus. Tunc autem profitebor eis: Certè nunquam novi vos, diſcedite à me omnes, qui operam datis iniquitati.*

Tertiò quæritur: *An ex adductis ab Apoſtolo verbis certò colligatur, errare noſtras Eccleſias, quæ docent, fidem in Ieſum ſolam ſufficere ad ſalutem?* Ita cenſent *Lorinus, Eſtius, Cornelius à Lapide*, qvi dicunt & docent, hoc eſſe ſophiſma Diaboli & hæreticorum: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: ergo bonis operibus non eſt opus, ſed ſola fides ad ſalutem ſufficit.* Sed vero noſtras Eccleſias dum oppugnant, Paulum audaciſſimè oppugnant, cujus aſſertio eſt Eph. 2. *Gratia ſalvati eſtis per fidem, & non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Opera excludimus, ut cauſas ſalutis: eadem vero reqvirimus, tanqvam certa teſtimonia præſentis fidei & ſeqvuturæ ſalutis. Nec enim vera & viva fides eſt, quæ per charitatem efficax non eſt Gal. 5. v. 16, & quæ non eſt ferax bonorum operum Matth. 7. v. 17. 18. Jac. 2. v. 14. 15. ſeq: & mendax eſt, qvi dicit credere ſe in Chriſtum mortuum, qvi virtute mortis Chriſti qvotidiè non moritur peccato: & fallit ſeipſum, qvi ſtatuit credere ſe in Chriſtum reſuſcitatum, qvi virtute reſuſcitati Chriſti in novitate vitæ indies non proficit, diſertè docente Paulo Rom. 6. v. 1. 2. ſeq. Ludunt ergò in re ſeriâ adverſarii, & Eccleſias noſtras falsâ accuſatione gravant, dum dicunt, qvòd ita fidem in Chriſtum commendent, ut ab operibus bonis & ſerio ſanctæ vitæ ſtudio, homines avocent: nam veluti commendatiſſima eſt nobis hæc monitio Joh. 6. v. 40. *Hæc eſt voluntas patris qui miſit me, ut omnis qui credit in me, habeat vitam æternam:* Ita etiam probamus hoc Pauli 1. Theſſ. 4. v. 3, & auditoribus noſtris ſtudioſè inculcamus: *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtri.* Fidem itaq; in Chriſtum extollimus, ſed ita, ut operibus etiam bonis ſuum pretium ſtatuamus.

Doctrinæ. Fallunt ſeipſos, & in æternum ignem ſe præcipitant inſcios, qvi licet verbum Dei ſtudioſè audiunt, in eo tamen ſedulò non occupantur, ut vitam ad verbum cognitum conforment. Tantum abeſt proſit noviſſe verbum & voluntatem Dei, ſi abſit vita, verbo cognito conformis, ut quàm maximè

obſit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

obſit. In qvam ſententiam lege fusè diſſerentem *Iehovam* Prov. 1. v. 24. 25. 26, Eſa: 1. v. 11. 12. ſeq. & 5. cap. verſ. 1. 2. ſeq., *Chriſtum* Matth. 7. v. 21. ſeqq. *Petrum* 2 Epiſt. 2. v. 20. 21. 22.

V. 23. Ὅτι εἴ τις ἀκροατὴς λόγου ἐστὶ καὶ οὐ ποιητὴς, οὗτος ἔοικεν ἀνδρὶ κατανοοῦντι τὸ πρόσωπον τῆς γενέσεως αὐτοῦ ἐν ἐσόπτρῳ.

V. 23. Qvodſi vero quis fuerit auditor verbi & non factor, hic ſimilis eſt viro conſideranti faciem ſuam nativā in ſpeculo.

HIc primo qværitur: *Quæ ſit hujus verſus cum præcedanea oratione cohærentia?* Manifeſtius id eſt, quàm ut diductiore demonſtratione ſit opus. Dixerat verſu qui præceſſerat Apoſtolus, qvòd fallant ſeipſos, qvi ſermonis divini tantùm auditores, non autem factores ſunt. Illuſtrat & diducit hoc ſimilitudine concinnâ, ab his deſumptâ, qvi faciem ſuam, variis maculis lutulentam, in ſpeculo curioſiùs contemplantur, nec tamen adſperſas faciei maculas, qvas ſpeculum oſtendit & clarè videndas exhibuit, aut abſtergunt, aut eluunt. Fruſtranea eſt faciei in ſpeculo vel curioſiſſima contemplatio, quæ comitem non habet macularum abſterſionem. Par eſt ratio hominum, qui verbum Dei audiunt qvidem, ſed audito non obſeqvuntur. Tantum abeſt, ullo ſuo bono circa verbi auditionem occupentur Matth. 7. v. 21. ſeq. ut potius in majorem perniciem & damnationem cedat Lucæ 12. v. 47. 2. Pet. 2. v. 21.

Secundò qværitur: *An certâ de causâ Apoſtolus ſimilitudinem ſumat non à muliere, ſe in ſpeculo contemplante, ſed à viro?* Ita cenſet *Paëzius* ſuo in hunc locum commentario, inqviens: *Non abs re Apoſtolus deſumit ſimilitudinem ſpeculi, non à muliere, cui familiaris admodum eſt ſpeculi intuitio; ſed à viro, qui ſpeculum obiter intuetur, & ſe ad illud minus curioſè componit. Vt itaq; redarguat Iacobus incuriam hominis, verbum Dei audientis, ſed non exequentis, comparat viro, vultum nativum in ſpeculo conſideranti.* Sed repugnat verbum κατανοεῖν, quo utitur Apoſtolus: Nam κατανοεῖν non eſt qvidpiam obiter & quaſi aliud agẽdo expendere, ſed juſto & judicio & diligentiâ ponderare ac examinare. Nomine itaq; *Viri*, non ſexum maſculum, fœmineo contradiſtinctum, ſed qvemvis hominem ſignificari cenſeo, loqvutione in ſcripturis freqventiſſimâ, Pſal. 1. v. 1, & locis innumeris. Et certè noſter Iacobus hoc ipſo capite, promiſcuè utitur jam viri v. 8. 12. 20. jam hominis v. 7. 19. appellatione. Concinna eſt alluſio *Cornelii à Lapide*, qvi vult digitum intendere Apoſtolum ad labrum æneum, ex ſpeculis mulierum fabricatum, ut in eo ſacerdotes ſacrificaturi ſe lavantes inſpicerent, & ſi qvid maculatum vel incompoſitum invenirent, detergerent & componerent Exod. 38. v. 8. Sed hæc mittimus, tanqvam qvæ concinna qvidem ſunt, ſed minus certa.

Tertiò qværitur: *Quid per πρόσωπον γενέσεως intelligatur?* Rectè monet *Eſtius*, Hebraiſmum eſſe, ac tantundem valere, atq; faciem nativam. Sic, ἄνθρωπος ἁμαρτίας 2. Theſſ: 2. v. 3. eſt homo peccato deditiſſimus, & σῶμα ταπεινώσεως Phil: 3. v. 21. eſt corpus humile & abjectum, & filius

τῆς

τῆς ἀγάπης Coloſſ. 1. v. 13. eſt filius dilectiſſimus, & σῶμα τοῦ θανάτου Rom: 7. v. 24. eſt mortale corpus. Docta vero eſt *Heinſii* ſuis in N.T. exercit. pag. 589. obſervatio; ſcilicet in adhibendo ſpeculo conſiderari duo ſolere, vultum nempe & imaginem: qvorum ille exhibet ſe, iſta exhibetur. Hanc εἰκόνα, illum τὸ ἀρχέτυπον vocant. Qvocirca τὸ γενέσεως προσώπων eſt τὸ ἀρχέτυπον, aut ut loqvitur *Agapetus* Diaconus, πρωτότυπον; vultus ipſe de qvo ſpeculum conſulitur.

Quartò quæritur: *Quæ ſit illa nativitatis noſtræ facies, quam in verbo divino, tanquam in ſpeculo, contemplamur?* Verbum divinum quando adimus & conſulimus, in eo, tanquam claro ſpeculo, videmus, qvales primitùs conditi fuerimus, efformati ſcilicet ad divinam Imaginem Gen. 1. v. 27, & in juſtitia ac ſanctitate creati Eph. 4. v. 24. Sed quæ nativitatis noſtræ facies & forma non fuit diutina, ſed non longa interpoſita morâ, fœdâ Adami, in peccato mortui, forma & facie commutata eſt, Gen. 5. v. 3; ita ut jam naſcamur è carne caro, & è peccatoribus peccatores Joh. 3. v. 6. Job 14. v. 4. Pſal. 51. v. 7. Rom. 5. v. 12. 13. 14. Hanc nativæ faciei deformitatem ſcriptura non minùs detegit, quàm ſpeculum maculas & monſtroſitatem externi vultus.

Doctrina. Memento verbum divinum eſſe ſpeculum, in quo videre licet, quid te deceat, quid te dedeceat. Legem divinam adito, & ex eâ diſcito, qualis naturâ ſis, imitatus D. Paulum Rom. 7. v. 14. 15. ſeq. Evangelium etiam intuere, tanquam ſpeculum, in quo ita poteris contemplari Jeſum, ut abſterſis peccati maculis, Deo glorioſè conformari poſſis 2. Cor. 3. v. 18.

V. 24. Κατενόησε γὰρ ἑαυτὸν, καὶ ἀπελήλυθε, καὶ εὐθέως ἐπελάθετο ὁποῖος ἦν.

V. 24. Conſideravit n. ſeipſum & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.

HIc quæritur: *Quis ſit Apoſtolicæ orationis nexus? qui ſenſus & ſententia?* Cohærentia eſt manifeſtiſſima. Apoſtolus enim explicat, qvo ſenſu verbi divini, non effector, ſed auditor, ſimilis ſit pronunciatus viro, in ſpeculo faciem ſuam contemplanti. Nam veluti è mente & memoria ſtatim excidere ſolet proprius vultus, in ſpeculo viſus, adeò ut unà cum re viſa evaneſcat rei viſæ memoria, ac eapropter nulli ſit uſui faciem ſpeculo admoviſſe, niſi maculæ ſine morâ abſtergantur: Conſimiliter qui verbum Dei audit, ſed non eo fine & inſtituto, ut ſe verbo conformet, videt quidem ſuam miſeriam, quam ex Adamo traxit, pariter & eam, quæ in Chriſto parata eſt, liberationem; ſed nullo ſuo bono; nam nec illam ex animo deflet, nec ad hanc ſeriò adſpirat. Vide quæ in hanc ſententiam diductè tradit ſervator Chriſtus Matth. 7. v. 21. ſeq. & 21. c. v. 28. ſeq. Pluſcula hîc de ſpeculis & ſpeculorum uſu & natura promit *Paez*, plura *Cornelius à Lapide*; longè plurima *Lorinus*: quæ non attingo, tanqvam quę ab inſtituto Apoſtoli alieniſſima ſint.

Doctrina. Tu, qui verbum divinum aut audis, aut legis: vide ne alio fine aut audias, aut legas, quàm ut verbo audito aut lecto te cōnformes. Quoties

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ties audis ea culpari & caſtigari peccata, quibus obnoxius es; toties ſeriò induc in animum, iſtis nuntium remittere peccatis, imitatus *Davidem* 2.Sam.12. v.1.2. ſeq. *Petrum* Matth. 26.v.74. 75, *Mariam* Lucæ 7.v.38. ſeqq. alios. Nunquam excidat mente tua hæc Spiritus ſancti monitio Ebr. 4. v. 7: *Hodiè ſi audieritis vocem Dei, ne obdurate corda veſtra.*

V. 25. Ὁ δὲ παρακύψας εἰς νόμον τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας, καὶ παραμείνας, οὗτος οὐκ ἀκροατὴς ἐπιλησμονῆς γενόμενος, ἀλλὰ ποιητὴς ἔργου, οὗτος μακάριος ἐν τῇ ποιήσει αὐτοῦ ἔσται.

V. 25. At introſpiciens in legem libertatis perfectam, & in ea permanens: hic non eſt obliviosus auditor, ſed effector operis, beatus in opere ſuo.

UBi primò qværitur: *Quomodo hic verſus cum præcedente nectendus ſit?* Dixit Apoſtolus quales ſint, qui verbum Dei audiunt, ſed audito non obediunt. Jam antitheſi commonet & commonſtrat, qvi & qvales ſint, qvi & verbum audiunt, & verbum auditum facto exprimunt. Deſcribuntur autem *à tribus notis:* qvarum *prima* eſt, qvòd introſpiciant in libertatis legem; *ſecunda*; qvòd in ea permaneant; *tertia*, qvòd in opere ſuo beati ſint. De ſingulis agemus diſtinctis quæſtionibus.

Secundò itaq; qværitur: *Quid ſignificetur lege libertatis perfectâ, & quid ſit, in hanc ipſam* παρακύπτειν, *inq; ea* παραμένειν? Nomine legis, quæ vocatur *perfecta libertatis lex*, quid veniat intelligendum, non ſatis convenit inter Interpretes. *Tres* imprimis invenio diſſidentes ſententias. *Prima ſententia eſt Lutheri, Flacii, Hemmingii, Piſcatoris, qui Apoſtolum per legem perfectam libertatis intelligere volunt doctrinam legis, vicariâ Moſis operâ nobiſcum communicatam:* quæ quo ſenſu vocetur lex perfecta libertatis explicaturi autores jam nominati, non conſentiunt. *Lutherus* ſuâ in hanc epiſtolam præfatione, occaſionem hinc ſumit improbandi epiſtolam: quòd lex Moſis Apoſtolo Paulo non ſit lex libertatis, ſed ſervitutis Gal.4.v. 24. Quod foret validiſſimum argumentum, ſi Apoſtolo Jacobo de lege Moſis ſermo eſſet: de quâ ipſum non agere oſtendemus, veram ſententiam explicaturi & adſtructuri. *Piſcatori* lex Moſis eſt lex perfecta libertatis, quia libere & abſq; reſpectu perſonarum damnat transgreſſores qvosvis, nemini parcens. Non probo. Nec enim ea lex Spiritui Sancto eſt libertatis lex, quæ liberè damnat transgreſſores, ſed quæ cultores in libertatem aſſerit Gal.4.v.24.25.26. *Hemmingius* legem operum, quæ eſt lex Moſis, *perfectam* vocat, qvia perfectam vivendi regulam præſcribit. Eandem verò legem appellat legem libertatis, quia quò magis illi quisqvam fuerit addictus, modò in Chriſtum credat, eò magis ſe liberum eſſe declarat. Verùm elogium hoc tribuere doctrinæ legali, quæ eſt lex operum, non eſt tutum, cùm hæc libertas uni adſcribatur Chriſto Joh.8.v.36, & Evangelio Rom.8.v.2; ac legi operum diſertè adimatur Rom.3.v.27. *Secunda ſententia eſt Bellarmini* lib. 1 *de verbo Dei* cap 18, & lib.4. *de Juſtificatione* cap.3, *Lorini, Paezii, Juſtiniani, Eſtii, Cornelii*

nelii à Lapide, & reliquorum Interpretum Pontificiorum, qui ſuis in Epiſtolam hanc commentariis urgent, nomine perfectæ legis libertatis intelligi leges & mandata, quæ Chriſtus in N.T. præſcripſit ſervanda, inſignita nomine legis perfectæ, quia ſunt multo pleniora & perfectiora quàm fuère præcepta legis Moſaicæ Matth. 5.v.20.21 *ſeq:* Nec diſſentiunt *Sociniani*, qui cenſent Chriſtum legem veterem additione novorum præceptorum perfeciſſe, veluti videre eſt apud *Socinum* tractat: in cap.5.6.7 Matth, *Smalcium* de divinitate Chriſti, cap.7, *Oſterodum* in Inſtitut: Germ: cap.22. & in *Catechiſmo Racovienſi* art: de Prophet: Chriſti munere. Hæc verò Chriſti præcepta, Chriſtianis ad obſervandum præſcripta, vocari volunt, legem perfectam libertatis, qvia maxime abeunt à lege Moſaica, quæ fuit lex ſervitutis. Moſes in ſuâ lege præſcribebat & imperabat facienda, vires autem ad præſtandum præcepta non conferebat: Quo etiam nomine lex Moſis dicebatur lex timoris & ſervitutis. At lex Chriſti unà cum præceptis gratiam præbet, qvâ homines adjuti, & facilè, & liberè, & libenter implent præcepta. Qvare etiam juſto non eſt lex poſita, non quòd eam ſervare non debeat, ſed quia lex eos non premit aut gravat, cum libentiſſimè liberriméq; eam ſervent. Quæ ſunt verba *Bellarmini*, hunc D. Jacobi locum explicaturi libro 1 de verbo Dei cap.18, argumento 6. Ubi *duos* noto *errores*, alibi operosè confutatos, hic non niſi verbo uno aut altero cenſurâ noſtra notandos. *Prior error eſt: Chriſtum perfeciſſe legem divinam, additamento novorum præceptorum.* Quæ eſt abſurda aſſertio. Cùm enim lex moralis, per Moſen lata, perfectiſſima ſit omnium cogitationum, dictorum, factorum norma, adeò ut non tantùm externam actionum omnium, ſed etiam internam quorumvis affectuum, ac motuum ac cogitationum munditiem perfectiſſimam reqvirat Matt.5.v.20 21.ſeq. & 22.v.37.ſeq. Deut. 6.v.5. Lucæ 10.v.27. Rom:7.v. 14. ſeq: erraverit certè, qui hanc legem addimento novorum præceptorum perfici poſſe credit. *Alter error eſt; Legem Evangelicam conferre gratiam, quâ præcepta facilè & liberè implentur.* Nec enim Evangelium, qvà continet præcepta & leges, confert eam gratiam, quâ præcepta perfectiora præceptis legis Moſaicæ implentur; ſed Evangelium, quà eſt lex fidei, & non operum, hanc gratiam unicè confert Rom. 1.v.16. 17. & 3. v.27. & 10.v.4. Gal:3.v.1.2.11.12. Coloſſ.2.v.12.13.14. Nec certè ulla lex operum præſtat hominem liberum. Teſtis eſt *Chriſtus* Luc 17: v.10. Commōſtrat id ſuo exemplo *Paulus* Rom:7. v.10. ſeq. *Tertia ſententia eſt noſtrorum Theologorum & Paræi, qui nomine legis perfectæ libertatis deſignari volunt Evangelium, quod jam vocatur lex ſpiritus vitæ* Rom.8.v.2, *jam vocatur lex fidei* Rom.3. v.27. ac contradiſtingvitur legi Moſis, qvæ eſt lex metus & mortis, tabulis lapideis inſcripta 2. Cor.3.v.6.7. ſeq. & legi operum Rom. 3. v. 27. *Lex* vocatur phraſi Ebræa, quâ qvævis doctrina lex nuncupatur, ſive ea ſit operum, ſive fidei Rom.3.v.27. *Perfecta* autem dicitur, non tàm qvia in ſe perfecta eſt, [nec enim lex Moſis, in ſe conſiderata, accuſari poterit imperfectionis, qvippe continens perfectiſſimam normam faciendorum & fugiendorum:] qvàm quia hominem reddit perfectum. Lex enim operum non præſtat qvenqvam perfectum Ebr.7.v.19. Doctrina verò Evangelii eſt, quæ perfectionem & polliceatur & præſtet Ebr.10.v.14. Col. 1.v. 26.27.28. Ebr.12. v. 2. *Lex* deniq; *libertatis* appellatur, quia à lege mortis plenè & perfectè liberat Rom.8.v.2. *In hanc fi-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

dei, libertatis, & vitæ legem jubemur παρακύπτειν. Eſt autem παρακύπτειν prono capite ac inflexo collo & corpore in rem qvampiam introſpicere, uti liqvet è collatione locorum Lucæ 24. v. 12. Johan. 20. v. 5. 1. Pet. 1. v. 12. Unâ igitur παρακύψεως voce commendatur nobis, tùm ſingularis humilitas, tùm intentum ſtudium in contemplando Chriſtum, in evangelicâ doctrinâ propoſitũ. Nam cùm in evangelio, tanqvam in ſpeculo, proponatur videndus Chriſtus, Deus in ſecula benedictus Rom: 9. v. 5, & in plenitudine temporis factus homo Gal: 4. v. 4. Johan: 1. v. 14: fas & æqvum eſt, ut præter ſtudium diſcendi fervidum, qvod adferre oportet, caput inflectamus, collum ſubmittamus, & inimicam Deo ſuperbiam quàm longiſſimè removeamus. Dicere oportet cum *Paulo* 1. Tim: 3. v. 16. *Magnum pietatis myſterium, Deum in carne manifeſtatum eſſe.* Imitari convenit Angelos, qvi doctrinam, quæ de Chriſto in Evangelio proponitur, humilimo animo & in devotionem prono affectu introſpicere geſtiunt 1. Pet. 1. v. 12. Cæterùm non ſufficit introſpexiſſe in perfectam libertatis legem; ſed porrò requirit Apoſtolus, ut *in hac ipſa lege permaneamus.* Permanet verò in hac libertatis lege, qui doctrinæ Evangelicæ tàm in adverſis, quàm ſecundis, conſtanter adhæret: hujus meditatione ſe ſemper oblectat, hanc rebus omnibus præfert, ita, ut malit & duriſſimam mortem ſubire, & cariſſima in mundo relinqvere, quàm à doctrinæ Evangelicæ profeſſione & obedientiâ vel tantillum recedere. Nimis notum eſt, multos inveniri, qui tempore tentationis abjiciant doctrinam Evangelicam, quam florente rerum ſtatu alacriter tutati ſunt Lucæ 8. v. 13. Nec deſunt, qui quam verbis profitentur Evangelii doctrinam, factis abnegent, Tit. 1. v. 16. Tàm illi quàm iſti hìc redarguuntur, tanquam qui in lege libertatis non permaneant.

Tertiò quæritur: *Quo ſenſu non ſit auditor obliviosſus, ſed factor operis, qui in lege perfectâ libertatis permanet?* Quem Apoſtolus vocat ἀκροατὴν ἐπιλησμονῆς, reddimus cum melioribus interpretibus *auditorem obliviosum.* Placuit enim Apoſtolo, Ebræum loquendi morem imitari, in N. T. non infrequentem. Nam veluti ἀκροατὴς ἐπιλησμονῆς hìc Jacobo eſt auditor obliviosſus, & v. 23 πρόσωπον γενέσεως eſt facies nativa: Ita Paulo σῶμα θανάτου Rom: 7. v. 24 eſt corpus mortale, & σῶμα ταπεινώσεως Phil. 3. v. 21 eſt corpus humile & abjectum, & υἱὸς ἀγάπης Col. 1. v. 13 eſt filius dilectiſſim⁹. Quo autem ſenſu is, qui introſpicit in perfectam libertatis legem, & in ea permanet, dicatur eſſe non auditor obliviosſus, ſed operis effector, jam indicabimus. Nimis multi ſunt, qui doctrinam Evangelicam, de vitâ Jeſu Chriſti; de glorioſa Jeſu Chriſti in cœlos aſcenſione; de Chriſti ad extremum judicium reditu, attentiſſimè legunt, deq; eâ copioſiſſimè diſſerunt. Putant ſe, hoc labore perfunctos, nihil reliqui feciſſe quod faciendum ipſis eſt, æternùm ut ſalventur. Cujus generis homines extitiſſe, & Chriſti, & Apoſtolorum tempore longe plurimos, teſtis eſt *Chriſtus* Matth. 7 v. 21. ſeq. *Paulus* Rom: 6 v. 1. 2. ſeq. Tit. 1. verſ. 16. *Iacobus* cap. 2. v. 14. ſeq. Hos nec introſpexiſſe in perfectam libertatis legem, nec in eâ permanſiſſe, D. Jacobus clarè docet. Nec enim in Jeſum Chriſtum, pro peccatis mortuum, verè credit, qui virtute mortis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Chriſti peccato non moritur Rom: 6. v. 1. 2. ſeq: nec ex animo credit in Jeſum crucifixum, qvi virtute crucis Chriſti, carnem cum malignis cupiditatibus non crucifigit Gal. 5. v. 24: nec immotâ cordis fiduciâ in Chriſtum, in noſtram juſtificationem reſuſcitatum, recumbit Rom: 4. verſu 35, qui efficacia ac merito reſurrectionis Chriſti, in novitate vitæ non ambulat Rom. 6. v. 9. Hinc liquet, qvo ſenſu & qvâ veritate iſte dicatur, *non obliviosſus auditor, ſed operis effector*, qvi in perfectam libertatis legem introſpicit, inq; ea manet.

Qvartò qværitur: *Quâ veritate non auditor obliviosſus, ſed factor operis, dicatur* ἐν τῇ ποιήσει αὐτοῦ μακάριος? *Eſtius* hoc loco & *Bellarminus* lib. 4. de juſtificat: cap. 7. hinc concluſè efficiunt, hominem non ſolâ fide, ſed etiam opere juſtum & beatum eſſe. Sed facilè expeditur difficultas. Etenim in Chriſto ſumus juſti & beati, tanqvam cauſa meritoriâ juſtitiæ & beatitatis 1. Tim. 2. v. 6: imputatione juſtitiæ Chriſti, & gratuita peccatorum remiſſione, juſti & beati ſumus, tanqvam cauſâ formali 1 Cor. 1. v. 30, 2 Cor. 5. v. 21. Roman. 4. v. 6. 7. 8: fide ſumus juſti, tanqvam cauſa inſtrumentali Rom. 4. v. 5: opere deniq; ſumus juſti & beati, tanqvam indicio & teſtimonio juſtitiæ & beatitudinis Pſal: 1. v. 2. Matth. 5. v. 3. ſeq. Lucæ 11. v 28. Jac. 2. verſ. 14. ſeqq. Verè itaq; beati ſunt, qui in perfectam libertatis legem ita introſpiciunt, atq; ita in ea manent, ut qvod ſe credere dicunt, facto exprimant, non qvòd illud opus cauſa ſit beatitudinis Rom. 6 v. 23, Eph. 2. v. 10, Rom: 9. v. 11; ſed qvòd documentum & certum indicium ſit beatitudinis: Nam qvotqvot è numero beatorum ſunt, hi fidem in Chriſtum factis teſtantur. Non enim fallit vox Chriſti Matth: 7. v. 18. *Non poteſt arbor bona edere malos fructus, neq; arbor mala fructus bonos ferre.* Qvod ſi qvis preſſiùs urſerit, *operi ipſi, tanquam cauſæ, à Iacobo adſcribi beatitudinem:* qvanqvam nulla neceſſitas nobis incumbit, ut hoc concedamus; tamen ſi maxime hoc concedatur, nihil obtinuerint adverſarii. Nam veluti per legem libertatis intelligitur Evangelium: ita nihil impedit, qvò minus per opus intelligatur fides, & factor operis ſit homo credens Evangelio. Etenim Chriſtus interdum uſus eſt hac loquendi formâ. Nam cùm qværunt Judæi: *Quid faciemus, ut operemur operibus Dei?* reſpondet: *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem ille miſit*, Johan. 6. v. 29. Quam eſſe commodiſſimam hujus loci expoſitionem indicat hoc loco *Lucas Oſiander.* Ego priorem ſententiam præfero.

Doctrina. Qvi certus eſſe vult, an non ſit obliviosſus auditor Evangelii, vitam factaq; intueatur ſua. Fruſtrà & falsò dicis te credere in Chriſtum pro te crucifixum & mortuum, ſi virtute crucis Chriſti non crucifigis malignas cupiditates corruptæ carnis Galat: 5. v. 24, & efficaciâ mortis Chriſti in te qvotidiè non emoriuntur peccata Roman: 6. v. 1. 2. ſeq. Nullâ etiam veritate teſtaris, te quâ par eſt devotione verſari circa doctrinam de Chriſto è mortuis reſuſcitato, ſi virtute reſurrectionis Chriſti qvotidiè non reſurgis è peccato, in novitate vitæ magis magisq; proficiens. Falſa deniq; perſuaſio eſt, te æſtimare doctrinam de Chriſto, qui in cœlos aſcendit glorioſus, ſi omnia quæ in mundo ſunt, tibi non ſordeant, ac ea, quæ ſupernè ſunt, non qværas, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens Coloſſ: 3. v. 1.

Et

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Et hæc dicta ſunto, de III. Apoſtoli Paræneſi, quâ prompſit media, operi regenerationis continuando ſervitura.

Paræneſis IV. De vera & falſa θρησκείᾳ ſeu religioſitate. v.26.27.

v.26. Εἴ τις δοκεῖ θρῆσκος εἶναι ἐν ὑμῖν, μὴ χαλιναγωγῶν γλῶσσαν αὐτοῦ, ἀλλ᾽ ἀπατῶν καρδίαν αὐτοῦ, τούτου μάταιος ἡ θρησκεία.

v.26. Si quis videtur religioſus eſſe inter vos, non refrænans lingvam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio.

HIc primò quæritur: *Quæ ſit orationis hujus cum præcedaneâ connexio?* *Cajetanus, Lorinus, Eſtius*, alii, volunt Jacobum reſpicere hoc monito ad præcepta tradita v. 19, & hîc illuſtrare præceptum ordine ſecundum, de tarditate ad loqvendum. Rectius *Paræus, Cornelius à Lapide, Interpretes Belgici*, jungunt cum iis, quæ proximè præceſſerunt. Informat enim factores verbi, & veros à ſimulatis diſcernit. Effector certè verbi non eſt, qui falsâ opinione religionis inflatus, quod verbis jactat, opere non præſtat. Hoc enim vult loqvutio: εἴ τις δοκεῖ θρῆσκος εἶναι. Conſimile loqvendi genus eſt 1. Corinth. 3. v. 18, & 8. v. 2.

Secundò quæritur. Quid nomine θρησκείας *ſignificetur?* Θρῆσκος vocabulum eſt à Thracibus ortum, annotantibus *Plutarcho*, Svidâ, *Nazianzeno.* Ritus enim & ceremoniæ, quibus Deum coli velle Orpheus primũ docuit Thraces, Θρησκεία dicta eſt. Hinc ad decentem veri numinis cultum atq; venerationem traducta eſt vox. *Diſputant Interpretes, qui nomine religioſi veniant intelligendi?* *Salmeron* reſtrictè cenſet accipiendam vocem, & hos eâ deſignari, qui arctiori vinculo conſiliorum, Chriſti perfectionem ſequebantur: qvam multi eo tempore, relictis omnibus, ſervabant, & evnuchiſmum voluntarium propter regnum cœlorum ſectabantur Actor. 4. v. 32. Matth. 19. v. 27. Rectè improbat ſententiam *Iuſtinianus & Cornelius à Lapide*, tùm qvia θρῆσκος eſt quivis homo fidelis, Deum decenter colens, ipſo etiam Jacobo interprete, verſu ſeqvente: tùm quia Apoſtolus ſermonem univerſè dirigit ad eos, quibus ſcribit: Nam inquit: εἴ τις δοκεῖ θρῆσκος εἶναι ἐν ὑμῖν. *Oecumenius* neſcio quid rei abſtruſa venetur in voce θρησκείας. Credit enim nomen hoc promittere κρυφίων τινῶν γνῶσιν, qvorundam occultorum cognitionem. Verùm neſcit hanc ſignificationem ſcriptura, qvæ voce θρησκείας cultum religioſum ſimpliciter ſignificat, veluti videre eſt Sap. 14. v. 18. 27, Act. 26. v. 5, Coloſſ. 2. v. 18. 23. Qui itaq; hîc vocatur θρῆσκος, alibi in literis ſacris vocatur εὐλαβὴς Actor. 2. v. 5, & εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν θεὸν Act. 10. v. 2.

Tertiò qværitur: *Quid ſit* χαλιναγωγεῖν γλῶσσαν? Χαλιναγωγεῖν eſt freno injecto coërcere. Quod ut ad lingvam accomodemus: naturâ ſuâ ἀχάλινος eſt ſeu effrenis, qvippe ad convitia, maledicta, temerarias cenſuras, & ejus generis alia mala, nimis propenſa & præceps. χαλινῷ itaq; opus eſt ſeu inſtrumento illo ferreo, qvod petulantium eqvorum ori indimus. Quæ χαλίνωσις ſeu freni injectio, hîc haud aliud eſt, qvàm lingvæ per Spiritum Sanctum tale moderamen, ut maledicta maledictis non rependat Lucæ 6. v. 28; aut de qvoqvam temerè judicet Matth. 7. v. 1. ſeq., 1. Cor. 13. v. 4. ſeq.; aut turpes ſermones fundat Col. 3. v. 8. 9. & 4. cap. v. 6, aut dolos nectat Pſal. 5. verſu 10, aut deniq; qvicqvam proloqvatur, qvod poſſit eſſe offendiculo Pſal. 15 verſu 3, Proverb. 4. v. 24.

Qvartò qværitur: *Cur ad religioſum Dei cultum Apoſtolus potiſſimùm requirat moderamen lingvæ?* Indicat id Chriſtus, inqviens Matth 12. v. 34. *Ex abundantia cordis os loqujtur.* Vix qvicqvam eſt, qvod de verâ & ſimulatâ cordis pietate certiùs teſtari poterit, qvam ſermo. Nec à vero aliena eſt hoc loco monitio *Calvini*; ſcilicet hoc unum vitium nominatim perſtringi, qvod qvi craſſiora vitia exuerunt, huic morbo ut plurimum obnoxii ſint; Qui neq; adulter eſt, neq; fur, neq: ebrioſus, qvin potius externâ ſanctimoniæ ſpecie fulget, aliorum famam lacerando ſe crebrò jactat, Zeli qvidem prætextu, ſed obtrectandi libidine. Proinde hîc veros Dei cultores diſcernere voluit Apoſtolus ab hypocritis, qvi Phariſaico ſupercilio ita turgent, ut laudem captent ex aliorum ſugillatione.

Qvintò qværitur: *Quo ſenſu ſuum cor ſeducant, qui lingvam non refrenant?* Apoſtolus utitur verbo ἀπατᾶν, qvod eſt à viâ trita abducere: ſiquidem ὁ πάτος eſt ὁδὸς πεπατημένη, ὁδὸς τετριμμένη, Qvotqvot frenum lingvæ liberiùs laxant, & in alios magiſterium petulantiùs exercent, atq; qvod in qvovis culpent inveniunt: hi longe recedunt à viâ, qvam Chriſtus calcandam præſcripſit Matth 7. v. 1. *Nolite judicare, ne judicemini.* A quâ viâ quia deflectunt ſupercilioſi iſti cenſores, inde fit, qvod cor ſuum ſeducant, ac immodico ſui amore cæci, longe ſanctiores ſe eſſe, qvam ſunt, ſibi falſò perſvadeant, audituri à Chriſto: *Hypocrita, ejice primùm trabem illam ex tuo oculo, & tum diſpicies, ut ejicias feſtucam ex oculo fratris tui* Matth. 7. v. 5.

Doctrina. Certo eſt indicio, hominem non ex animo timere Deum, ſi, neſcius moderari linguæ ſuæ, magiſterium in alios petulanter exerceat. Non ſine cauſa dixit Salomon Prov. 25. v. 28. *Vt civitas diſrupta abſq; muro: ita eſt cuicunq; non eſt imperium in ſpiritum ſuum.* Linguam coercere ac ſpiritum compeſcere qvi non didicit, non manſueti Chriſti felix imitator eſt Matth. 11. v. 29. 1. Petr. 2. v. 23, ſed ferociſſimi diaboli, ad maledicendum nati, impurus ſectator eſt Apocal. 12. v. 10., Job. 1. v. 9. 10. Verè itaq; religioſus ſi eſſe voles, fac quod te facere jubet *David* Pſal. 15. v. 1. 2. 3., *Chriſtus* Matth. 5. v. 44., *Petrus* 1. Epiſt. 2. v. 22. 23. ſeq.

V. 27. Θρησκεία καθαρὰ καὶ ἀμί-

v. 27. Religio pura & impol-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ἀμίαντος παρὰ τῷ θεῷ καὶ πατρὶ, αὕτη ἐστὶν, ἐπισκέπτεσθαι ὀρφανȣ̀ς καὶ χήρας ἐν τῇ θλίψει αὐτῶν, ἄσπιλον ἑαυτὸν τηρεῖν ἀπὸ τȣ̃ κόσμȣ.

polluta, apud Deum & Patrem hæc eſt: viſitare viduas & pupillos in tribulatione, & immaculatum ſeſe ſervare à mundo.

UBi primò quæritur: *Quis ſit orationis præſentis & præcedentis nexus?* Non diſplicet ſententia *Eſtii*, qui ita nectit verſum præſentem & præcedentem. Non ſufficit ut religio tua non ſit vana, qvòd lingvæ tuæ moderaris, v. 26. Nec enim ſatis eſt ad teſtandum veritatem religionis, proximo nec factis, nec verbis nocere: prodeſſe oportet te proximo, & à mundo teipſum cuſtodire immaculatum.

Secundò quæritur: Quò alludat Apoſtolus, quando dicit & docet, quod pura & impolluta religio ſit, viſitare viduas & pupillos? Cornelius à Lapide alludere credit Jacobum, tùm ad Judæos, qui ſuam religionem collocabant in ceremoniis & purificationibus legalibus, tùm ad Gentiles, qui religioſos ſe putabant, ſi colerent multitudinem Deorum nefandis ſacrificiis & ritibus. Ego potius dixero, Jacobum, qui Judæis Epiſtolam inſcripſit, alludere ad improbam Phariſæorum conſvetudinem, qui prætextu Religionis domos viduarum abſumebant. Nota ſunt hæc Chriſti verba Matth. 23. v. 13. *Væ vobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ: quoniam exeditis domos viduarum, idq; in ſpeciem utentes longis precibus.* Docere itaq; vult D. Jacobus, qvod numen haudqvaqvam ſincerè colat, in qvo caritas aut dilectio proximi, non tàm elanguit, quam emortua eſt 1. Joh. 3. v. 17. & 4. v. 20. Deut. 24. v. 17. 18. Eſa. 1. v. 11. 12. ſeq.

Tertiò quæritur: Cur Apoſtolus diſertè dicat, quod cura orphanorum & viduarum ſit pura & impolluta religio apud Deum & Patrem? Ejus rei hæc videtur cauſa. Maximè ſeduli curatores orphanorum, & ſingulariter induſtrii viduarum afflictarum defenſores & promotores, à mundo non raro judicantur minimè religioſi. Videre id eſt in *Iobo*, qvi licet hoc unicè egiſſet qvando valebat, ut pauperem liberaret, pupillum vociferantem adjuvaret, cor viduæ exhilararet, patrem deniq; & patronum ſe cuivis afflicto præſtaret Job. 29. v. 12. ſeq.; tamen variâ jam preſſus calamitate, ab amicis audit minimè religioſus. Contrà, Judæi, qui afflictum opprimebant, & pupillum ac viduam affligebant, volebant ob multiplicata ſacrificia & crebras preces audire quam maximè religioſi Eſa. 1. v. 11. ſeq. Offendiculum hoc ut amoveat Apoſtolus, jubet ne judicia hominum moremur, & mandat, ut in judicio Dei acquieſcamus, qvi hos vere religioſos pronunciat, qvi viduarum, pupillorum, & qvotumvis afflictorum commoda ſibi habent qvam commendatiſſima. *Diſputant hîc interpretes, cur D. Iacobus diſtinctam Dei & Patris mentionem faciat.* Reſectis ambagibus; mentio injicitur diſtincta Dei & Patris ut ſciamus, qvod qvicqvid laborioſæ curæ impenditur viduis & orphanis Deo ſit qvam gratiſſimum, ut qui orphanorum patrem, & viduarum judicem, ſingulariter ſe vocet. Teſtis eſt præter alios *David*, cujus hæc ſunt verba Pſal. 68. v. 6. *Pater pupillorum & defenſor viduarum eſt Deus, in habitaculo ſanctitatis ſuæ.*

Qvartò

Quartò quæritur : quid ſit ἐπισκέπτεσθαι ὀρφάνους καὶ χείρας? *Et cur ab horum cura puritas religionis præcipue commendetur ? Et an hinc meritum operum adſtrui poſsit ?* Verbum ἐπισκέπτεσθαι emphaticum eſt: Nam includit tum benivolum affectum, tum inde profecta beneficia Luc. 7. v. 16., Hebr. 2. v. 6. & apud Herodianum uſurpatur de medicis, qui ægrotos viſitant, & diligentem eorum curam ſuſcipiunt. Urget itaq; Jacobus, ut benivolentiſſimo in viduas & orphanos ſimus animo & affectu, conſolemur; re & opere juvemus; de neceſſariis proſpiciamus; nec in nobis qvicqvam deſiderari patiamur, qvod ipſorum commodis promovendis, & afflictioni levandæ ſervire poſſit. Hæc enim omnia verbo ἐπισκέπτεσθαι comprehenduntur. Si vero qvis porro quærat, *cur tantum orphanorum & viduarum cura à D. Iacobo mandetur ?* Nihil certius eſt, qvàm velle Apoſtolum, ut qvorumvis afflictorum & pauperum curam ſuſcipiamus: Id enim ut fiat urget *Chriſtus* Matth. 25. v. 35. ſeq. Luc. 10. v. 30. ſeq.; jubent *Apoſtoli* Galat. 6. v. 10. 1. Iohan. 4. v. 20. Iac. 2. v. 15. 16. *Cur autem diſtinctè meminerit Apoſtolus orphanorum & viduarum: duplex* ejus rei afferri poteſt *cauſa. Vna* eſt: quia inter perſonas afflictas viduæ & orphani maximè videntur afflicti & commiſeratione digni: quorum eapropter inprimis à Deo commendatur cura, uti hoc loco, ita Pſal. 68. v. 6. Exod. 22. v. 22. ſeq. Eſa. 1. v. 17. *Altera* eſt, à Cornel. à Lapide adducta; qvòd ſcilicet in primâ illa Iudæorum & Gentilium perſeqvutione, multi viri Chriſtiani partim occiſi fuerint, partim in exilium ejecti, partim in carcerem compacti, ac pleriq; omnes bonis exuti Act. 8. v. 1. ſeq.: hi filios reliquerunt orphanos & uxores viduas: tàm illos, qvàm iſtas decenter curandas, monet D. Iacobus. Sed dices: *Quâ quæſo veritate ab hac orphanorum & viduarum cura commendari poterit puritas religionis?* Certum quidem eſt, quod apud hos etiam cura pauperum vigere poſſit, qui religionem habent commentis humanis maximè adulteratam: quod liquet exemplo Phariſæorum Matth. 6. v. 2: hoc interim indubitatò verum eſt, quod horum religio, etiam in ſe mundiſſima, Deo non probetur, qui pauperum curam negligentiùs urgent, aut plane intermittunt, teſte *Iehovâ* Eſa. 1. v. 11. ſeq. & *Chriſto* Luc. 11. v. 41. Matth. 23 v. 13. Licet itaq; religionis puritas à curâ pauperum certò æſtimari non poteſt, quod in hac re non conſiſtat: attamen veram religionem ſibi ſeriò curæ eſſe falſò jactat, cui pauperum cura non eſt qvàm commendatiſſima, teſte *D. Iohanne* 1. Epiſt. 3 v. 17. & 4. v. 30. Verbo refutandus eſt *Salmeron* & *Cornel. à Lapide, qui ſuis in hunc locum commentariis monent, quod curâ vigilantiore & laborioſiore pauperum, vitam mereamur æternum.* Citant hoc Pauli Ebr. 13. v. 16. *Talibus hoſtiis promeretur Deus.* Nugæ. Vita æterna non eſt curæ vigilantioris & laborioſioris pauperum meritum, ſed Dei gratuitum donum Rom. 6. v. 23. Iob certè in hac curâ occupatiſſimus Iob. 29. v. 12. ſeq., tantum abeſt audeat, ad ſe reverſus, fateri, meruiſſe ſe labore, impenſo pauperibus, vitam æternem, ut contrà petat veniam, in cinere humiliatus & pulvere Iob. 42. v. 6. Dictum Pauli Ebr. 13. v. 16 fide ſubleſtâ citatur: Nec enim in textu Paulino eſt verbum barbarum promereri, ſignificatione paſſivâ, ſed εὐαρεστεῖται. Non verò qvicqvid Deo placet & probatur, eo mereri dici poſſumus. Vana eſt *Bellarmini inſtantia* lib. 5. de juſtificat. cap. 2., *quod qui quicquam facit, quod placet &*

gratum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

gratum eſt, hoc ipſo etiam aliquid mereatur: Nam qvanqvam hoc locum in venit, ubi æqualis æquali officia præſtat, eaq; non debita: attamen idem obtinere ſi dixeris ubi Deo obſequia, quæ debes, præſtas & probas, valde falli te docebit te *Chriſtus* Lucæ 17.v.7.8.9.10.

Qvintò & ultimò qværitur: *Quid ſit ſeipſum à mundo ſervare ἄσπιλον?* Ἄσπιλος, interprete Svidâ, eſt ὁ μὴ ἔχων σπῖλον. Sunt autem σπῖλοι, qvæ in veſtibus ſunt maculoſæ adſpergines: Unde apud Judam in Epiſt: v. 23. fit mentio χιτῶνος ἐσπιλωμένου, tunicæ maculatæ. Longâ vero inqviſitione non eſt opus, quæ ſint iſtæ maculæ aut maculoſæ adſpergines, à qvibus nobis, monitore D. Jacobo, cavere debemus. Meminerat harum macularum v. 21 inqviens: *Deponite* πᾶσαν ῥυπαρίαν. Qvævis peccata σπῖλοι ſunt & maculæ, qvibus ſanctitatis veſtis fœdatur. Abluit nos Deus in Baptiſmo à maculis peccati Eph:5.v.26.27; emundat nos qvotidiè ab omni immunditie ſangvine filii 1.Joh.1.v.7, induit nos & ornat nitidiſſimâ & mundiſſimâ veſte ſanctitatis Chriſti Eſa:61.v.10. Danda eſt verò omnibus hominibus verè religioſis, ſedula opera, ne qvam Deus eos induit ſanctitatis veſtem, fœdis peccatorum maculis inqvinent. Quod faciunt, qvotqvot omnem peccandi occaſionem ſummo ſtudio non vitant, & ſcientes & volentes, peccatorum ſordib9 ſeſe immergūt. Nota eſt hæc commēdatio hominum ſanctitati, qvantum in hac mortalitate fieri poteſt, ſtudentiū: *Non inquinaverunt veſtimenta ſua* Apoc.3,4. *Sed non ſine cauſa quæſiveris, quid ſibi velit Apoſtolus quando jubet, ut qui ſordibus peccatorum infici nolit, à mundo ſe ſervet intaminatum?* Non immorabor recenſendis Interpretum ſententiis: Veritatem ipſam paucis ſignabo. Mundum dum nominat Apoſtolus, non tantum impios & impuros in mundo homines 1 Johan: 5 v. 19, ſed etiam mundanas cupiditates, qvæ corruptis in mundo hominibus dominantur 1 Johan: 2.v.15.16 intelligit. Non ſufficerit vitare qvam ſtudioſiſſimè improborum ac impurorum hominum converſationem familiariorem, quæ qvantum poſſit docet Sir: c.13.v.1. Fieri facile poteſt, ut ſi vel maximè te inſolitudinem abdas, cor tamen tuum ab impuris cogitationibus & pravis cupiditatibus occupetur: qvâ parte ne cor immundo mundo inquinetur, ſedulo ac ſollicitè allaborabis. Nota ſunt Spiritus Sancti monita Rom:12.v.2: *Ne conformate vos huic ſeculo.* 1 Joh:2.v.15.16. *Ne diligite mundum & quæ in mundo ſunt; ſi quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo. Quoniam quicquid eſt in mundo, cupiditas carnis & libido oculorum & faſtus vitæ, non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt.* Qui itaq; vult vere religioſus eſſe, non modò fugiet cōverſationem impiorum, quorum plenus eſt mundus, ſed etiam cavebit ſibi à carnalibus voluptatibus, quibus homines mundani ſunt dediti.

Doctrinæ. Qui non tàm haberi, quàm verè eſſe vultis religioſi: pauperes vobis habete quàm commendatiſſimos. Mementote monitorum Spiritus Sancti, quibus hæc pauperum cura vobis ſeriò commendatur Exod:22. verſ.22. ſeq., Pſal:68.v.6, Eſa:1. v.17. Facite, qvod ſe feciſſe teſtatur *Iobus* cap.29. verſ. 12. ſeq: memores uberrimi fructus, qui e curâ pauperum, tùm in hac vitâ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Pſalm: 41. verſibus 1. 2. ſequentibus, tùm poſt hanc vitam Matth: 25. v. 34 ſeqq: in vos redundaturus eſt.

Et hic eſto terminus Commentarii in primum Epiſtolæ Jacobeæ caput.

CAPUT SECUNDUM.

Argumentum & partitio Capitis.

HOc Caput in *duas partes* commodè tribuitur. *Priore capitis parte diſſerit Apoſtolus de* προσωποληψία: à quâ dehortaturus homines Chriſtianos, ita progreditur, ut *primò* propoſitionem ſuam afferat v. 1: *deinde* qvid ſit προσωποληψία indicet v. 2. 3. 4. *Tertiò* deniq, argumenta, προσωποληψίαν diſſvadere nata, promat & producat à verſu 5. uſq; ad v. 14. *Poſteriore capitis parte* agit D. Jacobus *de inani fidei jactantia*: ac theſin ſuam ſtatuit v. 14, contendens, *fidem, quæ non eſt ferax bonorum operum, inutilem eſſe ad ſalutem, nec poſſe hominem ſalvare.* Probat hoc tum *rationibus* tum *exemplis*. *Rationes* affert *tres*. *Prima à mutua collatione fidei & caritatis deſumitur*: monſtrat enim qvòd fides, vacua operibus, haud majore jure vera & viva fides vocari poſſit, quàm quæ in labiis & lingva hæret caritas, opere non probata, veræ ac ſinceræ caritatis nomen meretur v. 15. 16. 17. *Altera ratio* petitur à proprio veræ fidei effecto, qvi eſt, id re præſtare, qvod verbis glorioſè jactatur v. 18. *Tertiam rationem*, qvâ evincitur vanitas fidei, à ſanctioris vitæ ſtudio & bonis operibus ſejunctæ, promit & petit Apoſtolus à paritate talis fidei & fidei Diabolorum. Tàm enim illa, quàm iſta, gloriatur nudâ Dei notitiâ v. 19. *Exempla*, eidem theſi adſtruendæ ſervitura, adducũtur *duo: Alterum Abrahami* à verſu 20, uſq; ad v. 25: *Alterum fœminæ Rahab*: v. 25. *Concludit* tandem diſſertationem Apoſtolus *concinnâ ſimilitudine*, conferens fidem ſterilem operum, cum corpore, qvod ſine ſpiritu mortuum eſt v. 26. Quæ eſt univerſi capitis ſummaria comprehenſio.

PARÆNESIS V. de vitandâ homini religioſo προσωποληψία, id eſt, illâ injuſtitiæ ſpecie, qvâ homines non ex meritis, ſed ex rebus adventitiis, puta divitiis, ortu nobiliore, & ejus generis aliis æſtimantur, à verſu 1. uſq; ad verſum 14.

V. 1. Ἀδελφοί μου, μὴ ἐν προσωποληψίαις ἔχετε τὴν πίστιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς δόξης.

V. 1. FRatres mei, ne habete in perſonarũ acceptationibus fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti gloriæ.

Hic

HIc primò qværitur: *Quæ ſit orationis hujus, cum iis quæ proximo capite præceſſere, cohærentia?* Non conſentiunt Interpretes. *Eſtius vult jungenda hæc eſſe cum iis, quæ antecedente capite v. 9 dixerat Apoſtolus de pauperibus, quos juſſerat ut in ſuâ ſublimitate ſibi placerent & gloriarentur.* Non placet: quia ſic longè remotiſſima jungerentur. Magis probo *Lorinum, qui nectit cum iis quæ præceſſerant verſu ultimo, de viſitandis pupillis & viduis in afflictione.* Nam ne quis ſibi falſò perſuadeat, ſe officio ſuo bellè functum eſſe erga pauperes, eosq; pios & probos, ſi privatim viſitet & benefaciat: jubet ut etiam publicè teſtetur, inprimis in ſacris conventibus, qvanti faciamus pauperes & afflictos, qui ſe totos Deo & pietati ſacrârunt. Monet, neutiqvam religioſum cenſendum eſſe, qui pauperem, ſed pium, diviti, ſed impio, in ſacris cœtibus præfert.

Secundò quæritur: *Quid ſit* προσωποληψία, *& cur Apoſtolus numero multitudinis dicat,* ἐν προσωποληψίαις? Voce προσωποληψίας qvid ſignificetur, certiùs cognoſci non poterit, quàm ſi explicetur, quid ſit πρόσωπον λαμβάνειν. Loqvutio autem hæc, ſcripturæ peculiaris, manavit ab Hebræis, qvibus is dicitur πρόσωπον λαμβάνειν, *ſeu faciem ſumere, faciem accipere, in faciem reſpicere*, qui hominem non æſtimat ab internis animi bonis, pietate, juſtitiâ, probitate & ejus generis aliis virtutibus; ſed hominem ob adventitia opum, proſapiæ, formæ, conſangvinitatis, amicitiæ & ſimilia bona, ita reveretur aut amat, ut propterea ab eo quod æqvum & juſtum & rectum atq; verum eſt, judicando recedat. Qvod ne fiat, Spiritus Dei ſæpiùs monet, veluti legere eſt Levit: 19. verſu 15, Deuter: cap: 16. verſu 19. Exod: 23. verſu 2. Unde & *Phariſæi* cum Herodianis, Chriſto fallaciter aſſentantes, dicebant: Οὐ βλέπεις εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων, ἀλλ᾽ ἐπ᾽ ἀληθείας τὴν ὁδὸν τοῦ θεοῦ διδάσκεις Marc: 12. v. 14. Προσωποληψία itaq; eſt ubi magis huic favemus, quàm alteri, non ob ipſius rei, ſed perſonæ diſcrimen. *Non ſine cauſa autem quæſiveris, cur Apoſtolus uſus numero multitudinis, dicat,* ἐν προσωποληψίαις? Qua de re non eſt eadem omnium interpretum ſententia. Reſectâ iſtâ luxurie, probo hic *Paræum*, qvi vult, Apoſtolum plurali numero uti, quia vitium hoc latè patet, varias habens ſpecies. Eſt enim, inqvit *Paræus*, alia προσωποληψία *judicialis*, alia *extra judicium*. Προσωποληψία *judicialis* eſt, cùm in judicio judex inter actorem & reum pronunciat, non ex meritis cauſæ, ſed affectibus, abſolvens ſontem, damnans inſontem, ob perſonam, hoc eſt, ob circumſtantiam aliqvam utriusq; perſonæ, extra cauſam litis; puta, quia ille nobilis, iſte ignobilis, ille purpuratus, iſte penulatus; ille dives, iſte pauper; ille affinis, propinqvus, iſte non: ille dedit argentum, iſte non. Quam judiciorum peſtem Deus ſeverè damnavit lege Levit. 19. v. 15, Deut: 16. verſu 19. Proverb: 18. verſu 5. *Extra judicium eſt* προσωποληψία, cùm extra judicium homines æſtimant alios, non ſecundum veritatem & merita, ſed perverſo affectu, propter cauſas non veras, contra juſtitiam & charitatem. Cujus προσωποληψίας exemplùm D. Jacobus proponit capitis hujus verſibus 2. 3. Plurali igitur numero, monitore *Paræo*, indicat Apoſtolus omnem omninò προσω-

σωποληψίαν à fide Chriſti alienam eſſe, nec cum eâ conſiſtere poſſe. A qva ſententia cur diſſentiam, cauſam non video ullam.

Tertiò qværitur: *Quid appellatione fidei Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ hîc intelligatur?* Diſſentientes interpretum ſententias ſcrupuloſè non excutiam; rem ipſam paucis ſignabo. Nomine *fidei Chriſti* non intelligitur fides quam Chriſtus ipſe habet, qvod rectè annotat *Paræus*; ſed quæ de Chriſto, & in Chriſtum habetur ex evangelio. Chriſtiana enim fides vocatur fides Chriſti, quia ejus fundamentum eſt Chriſtus 1. Cor: 3. v. 11. Sudant quam maximè Interpretes ut explicent, *quo ſenſu hic uſurpetur vox* δόξης, *& quò referri debeat? Eraſmus*, probantibus *Tigurinis*, nec diſſentiente *Calvino*, vocem δόξης hic vertit, ex opinione, hoc ſenſu: *Ne habeatis perſonarum reſpectum, quod facere ſolent qui opinionem hominum ſeqvuntur.* Non probo; tùm quia ad rem non facit; tùm quia violenta expoſitio eſt, nec cohæret oratio, niſi ſuppleas, ἐκ τῆς δόξης; tùm quia vox δόξης hac acceptione nuſpiam in libris ſacris, quod ſciam, invenitur, utut hæc ſignificatio non ſit inuſitata prophanis ſcriptoribus. Accedimus receptæ verſioni, qvâ δόξα redditur gloria, & *quærimus quò genitivus* δόξης *referri debeat?* Variant expoſitionibus Interpretes, qvas volens & ſciens reſeco. *Duæ* ſunt maximè probabiles *ſententiæ*. *Prior eſt Hugonis, Thomæ Anglici, Bezæ, Interpretum Belgicorum, qui vocem* δόξης *pendere volunt à voce* κυρίου, *ac ita vertunt; Ne habeatis in acceptatione perſonarum fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti glorioſi.* Et ſic à Paulo qvoq; Chriſtus nominatur ὁ κύριος δόξης, Dominus gloriæ, id eſt Dominus glorioſus 1 Cor: 2. v. 8. Similiter à Stephano dicitur ὁ θεὸς τῆς δόξης Deus ille gloriæ, id eſt glorioſus Act: 7. v. 2. Condocere vult Apoſtolus, inqviunt hi Interpretes, ſummam Chriſtianæ fidei dignitatem, ut quæ non tantùm reſpiciat Chriſtum, pro nobis crucifixum 1. Cor: 2. v. 2, ſed qui etiam Deus ſit ſupra omnia benedictus Rom: 9. v. 5, & in dextra Dei glorioſè conſideat 1. Cor: 2. v. 8. Ebr: 1. v. 3. 1 Pet: 3. v. 22. Sed qvò minùs nomen δόξης commodè regi poſſit à nomine κυρίου, obſtat pronomen ἡμῶν, ab illo dependens, obſervante *Piſcatore*. Nec probatur mihi cauſa, ob quam hîc mentio gloriæ Chriſti injiceretur. Textus n. ſatis docet, qvòd non hoc agat Apoſtolus, ut dignitatem Evangelii adſtruat, quæ in dubium non vocabatur: ſed in eo occupatur, ut monſtret, qvòd fides Jeſu Chriſti & προσωποληψίαι ſimul conſiſtere non poſſint: qvâ de re quæſtione ſequente dicetur. *Poſterior ſententia eſt verſionis Syriacæ, quæ ita verba Apoſtoli ordinat, ut nomen* δόξης *regatur à nomine* πίστιν, *& ab ipſo per trajectionem regantur genitivi illi* τοῦ κυρίου *&c: hoc modo: Ne cum reſpectu perſonarum habete fidem gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Qui verborum ordo probatur *Piſcatori*, tanqvam ſimplicior & mollior, & ſatis commodum, interprete *Piſcatore*, gignit ſenſum; ut nimirum intelligamus fidem gloriæ Chriſti, fidem qvâ credimus gloriam Chriſti, qvod ſcilicet Chriſtus, poſteaqvam pro nobis paſſus eſt, introierit in gloriam ſuam, ut ipſemet loqvitur Lucæ 24 cap: v. 26. Qvam ego probarem expoſitionem, ſi trajectio vocum non impediret, qvæ nunquam probanda eſt, niſi extrema eam im-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

imperet neceſſitas, qvæ hîc nulla eſt. Nam genitivus δόξης commodiſſimè jungi poteſt, cum proxime præcedentibus vocibus Ἰησοῦ Χριστοῦ; ita ut Ἰησοῦς Χριστὸς δόξης idem ſit, qvod Jeſus Chriſtus glorioſus. Qui Hebraiſmus in N. T. freqventiſſimus eſt. Sic Θεὸς δόξης Deus glorioſus Act: 7. verſu 2. κύριος δόξης Dominus glorioſus 1. Cor: 2. v. 8. ὁ πατὴρ τῆς δόξης Pater glorioſus Eph: 1. v. 17. Cauſa vero, ob qvam Apoſtolus hîc diſertam mentionem faciat gloriæ Jeſu Chriſti, qvæſtione proximè ſeqvente afferetur.

Qvartò quæritur: *Quo ſenſu jubeat Apoſtolus, ne habeamus in perſonarum acceptationibus fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti glorioſi?* Non immorabor recenſendæ verietati ſententiarum, qvas *Cornelius à Lapide* numero qvinq;, *Lorinus* autem ſeptem, non ſine tædio lectoris, promit. Sententiam unam ſtrictim attingam, veritati proximiorem. Cornelius à Lapide enumeratis aliorum ſententiis, ſuam hisſignat verbis: *Planiſſimè ita exponemus: Nolite fidem habere gloriæ Ieſu Chriſti in acceptatione perſonarum: id eſt: nolite credere quòd Chriſti gloria ſita ſit in acceptatione perſonarum: nimirum quòd glorificetur Chriſtus, cùm ad agapas & cœtus veſtros admittitis ſolos divites, nobiles & glorioſos, ſpretis vel excluſis pauperibus & ſqualidis, quaſi gloria Chriſti & Chriſtianiſmi conſiſtat in gloria veſtium aurearum & purpurearum, in ſplendore aulicorum & famulorum, in pompa equorum & curruum. Hæc enim eſt gloria mundi, non Chriſti, Iudæorum, non Chriſtianorum, gentiliſmi, non Chriſtianiſmi.* Qvæ eſt ſpecioſa quidem expoſitio, à *Tirino* Jeſuvita approbata, & quæ *Thomam Anglicum* habet auctorem, ſed ſcopo Apoſtoli haud ſatis reſpondens. Ecquis enim unquam dixit, docuit, Chriſtum honorari, qvando ditiores, ſpretis pauperibus, honorantur? Nunqvam eò ſtultitiæ progreſſi fuerunt Judæi, ut ſtatuerent, cultum exhiberi Deo, ſi qui in mundo eſt honoratior, qvantumvis impius, pauperi, ſed pio, præferretur. Contrarium Judæos docuerat *David* Pſal: 15. v. 4. Univerſus contextus abundè commonſtrat, qvod hoc agat, hoc urgeat Apoſtolus; falli, qui cenſent, qvòd fides in Chriſtum glorioſum unà cum προσωποληψία conſiſtere poſſit. Qvod qvâ veritate dicatur, paucis indicabo. Novimus omnes, qvâ viâ graſſatus eſt Jeſus ad gloriam illam, qvâ jam in dexterâ Dei fruitur, omnibus rebus potenter impertans Marc: 16. v. 19. Rom: 8. v. 34. Eph: 1. v. 20. Ebr: 1. v. 3. 1. Pet: 3. v. 22. Non certè ad hanc perductus eſt per mundi ſplendorem, ſed per paupertatem Lucæ 9. v. 58, per paſſiones Lucæ 24. v. 26. Quocirca qui contemnit pauperem, ſed pium; is fidem in glorioſum Chriſtum, licet verbis jactet, reipſa tamen abnegat; immemor, Jeſum Chriſtum, non per divitias, non per mundi ſplendorem, ſed per paupertatē, per mundi ludibria, per afflictiones, ad ſummam, qvâ jam gaudet, gloriam tandem aſſurrexiſſe, monitore Paulo Phil: 2. v. 6. ſeq.

Doctrina. Fugite ſedulò vitium illud grande, hoc ſeculo nimis freqvens & familiare, quo dives pauperi præfertur. Æſtima hominem, non ab opibus, non à mundi ſplendore, ſed ab internis animi bonis, pietate, ſanctitate, probitate. Præit monito *Iehovah* Deut: 10. v. 17. Act. 10. v. 34. Præit exemplo *Ieſus*, vel adverſariorum teſtimonio Marc: 12. v. 14. Sancti, exemplum Jeſu ſeqvuti, ab hoc peccato ſibi ſtudioſè caverunt, & ut alii caverent, ſedulò inſtituunt: veluti videre eſt 2 Paralip: 19. v. 6. 7. Pſal: 15. v. 4. Job 34. v. 19. Act: 10.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

v.34. Rom: 2. v. 11. Gal: 2. v. 6. Eph. 6. v. 9. Periculum vero animæ præſentiſſimum imminet: ſi quis divitem impium, pauperi pio præferat. Nam hoc qui facit, teſtatur hoc ipſo ſe verè non credere in Jeſum, quippe qui per paupertatem, per paſſiones, ad immenſam illam, qvâ jam fruitur, gloriam pervenit Lucæ 24. v. 26. Phil: 2. v 6. 7. ſeq. Meminiſſe oportet, divitias & ſplendorem mundi non raro impedimento eſſe, qvò minus in pietatis via alacriter pergatur Lucæ 8. v. 14. Paupertate contrà & afflictionibus, Chriſto, dum in hoc mundo vixit, pauperrimo & afflictiſſimo, conformamur Rom: 8. v. 17. Actor: 14. verſu 22. Pauperes itaq; & afflictos, ſed pios, eò impenſius ama, quò Chriſto magis conformes ſunt, eâdem viâ, qvâ Chriſtus, ad gloriam æternam graſſantes.

V. 2. Ἐὰν γὰρ εἰσέλθῃ εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν ἀνὴρ χρυσοδακτύλιος, ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ; εἰσέλθῃ δὲ καὶ πτωχὸς ἐν ῥυπαρᾷ ἐσθῆτι.

V. 2. Si enim introierit in cœtum veſtium, aureum geſtās annulum veſte ſplendida: introierit autem & pauper cum ſordida veſte.

HIc primò quæritur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus?* Qui hîc eſt maniſeſtiſſim⁹. Dixerat præcedēte verſu D. Jacobus, προσωποληψίαν & fidem in Jeſum Chriſtum glorioſum, ſimul conſiſtere non poſſe. Jam deſcribit nobis v. 2. 3. 4 iſtam προσωποληψίαν, qvam impugnat; nimirum eſſe eam, qvâ dives, qvamvis parùm pius, pauperi, etiam religioſiſſimo & probiſſimo, in cœtibus Eccleſiaſticis præfertur.

Secundò qværitur: *Quid nomine* συναγωγῆς *ſignificetur?* Lucas Oſiander è voce συναγωγῆς colligit, hanc Epiſtolam non eſſe ab ullo Apoſtolo conſcriptam, qvòd ab Apoſtolorum conſuetudine valde alienum ſit Eccleſiam Chriſti vocare Synagogam. Quæ ratio non ſtringit: Nam licet vox Συναγωγῆς crebrò uſurpatur pro loco, in quo Judæi ſolebant convenire, ſacris ut operarentur, veluti ex innumeris N. T. dictis quàm maniſeſtiſſimum eſt: hæc tamen ſignificatio non eſt perpetua. Nam Apoſtolus Paulus Ebr: 10. v. 25 cœtum Chriſtianorū vocat τὴν ἐπισυναγωγήν. Et quis neſcit, ſeptuaginta Interpreres voce συναγωγῆς pro qvovis cœtu & pro qvavis collectione uſos eſſe; quod evincunt dicta Soph. 3. v. 9. Job 8. v 17. Ezech: 37. v. 10. Jerem: 31. v. 4. 13. Quocirca recte *Heinſius* ſuis in N. T. exercitationibus pag. 94: *Si quoties*, inqvit, συναγωγῆς *ab Hellemiſtis fit mentio, de Synagogâ id peculiariter ſic dicta recipiendum ſit, ante Moſen Synagoga, ea opinione Hellemiſtarum, fuerit neceſſe eſt.* De quo autem & quali cœtu vocem συναγωγῆς hic interpretari conveniat, non conſentiunt Interpretes. De Judaicâ certe Synagogâ explicare non licet: Nec enim in eâ poſt exortam perſeqvutionem Act. 8 v. 1. ſeq., Chriſtiani ſe Judæis aſſociarunt, ut cultum religioſum peragerent. *Thomas Anglicus*, *Salmeron*, *Serarius*, *Gagnejus*, *Lorinus*, *Cornelius à Lapide*, interpretantur de qvovis cœtu, privato & publico, Civili & Eccleſiaſtico. Rectius *Paræus*, *Iuſtinianus*,

Piſca-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Piſcator, *Interpretes Belgici*, nomine συναγωγῆς conventum ſacrum & Eccleſiaſticum intelligi cenſent: in qvo qui divitem, ſed improbum & impium, pauperi, quantumvis pio & probo, præfert προσωποληψίᾳ, ſcandali plenâ, graviter peccat. Interpretationem firmabimus è verſu tertio, ubi ordo, in cœtibus ſacris apud Chriſtianos vitioſe ſervari ſolitus, deſcribitur & improbatur.

Tertiò qværitur: *Quis ſit* ἀνὴρ χρυσοδακτύλιος? Baronius ad annum Chriſti 34. p. edit. Antverp. 198. & *Pineda* de rebus Salomonis lib. 6. c. 5. & hos ſeqvutus *Stevartius*, non diſſentiente *Paëzio*, volunt, annulum hunc fuiſſe fibulam in veſte auream, qvam geſtabant regum & principum affines aut ſingulares amici, ut patet ex *Ioſepho* lib. 14. antiquit. cap. 16. Cujusmodi etiam data fuit *Ionathæ* ab Alexandro, in ſummum benevolentię ac honoris indicium 1 Maccab. 10. v. 88. 89. Improbant ſententiã, *Eſtius*, *Cornelius à Lap.*, *Menochius*, & verè. Nam vox Græca, qvâ utitur Apoſtolus, χρυσοδακτύλιος, non admittit interpretationem. Δάκτυλος enim digitum ſignificat: & δακτύλιος annulum, qvi digito, ornatus causâ, inſeritur; & χρυσοδακτύλιος eum, qvi annulum aureum in digito geſtat. Probo itaq; *Bezam*, *Eſtium*, *Piſcatorem*, *Paræum*, *Cornel. à Lap.*, *Menochium*, alios, qvi χρυσοδακτύλιον ἄνδρα interpretantur virum, geſtantem annulum aureum, aut annulos aureos: Nam vox Græca utramq; ſignificationem admittit, annotante *Piſcatore*. Deſcriptio eſt divitum & potentum, qvi priſco ævo annulum aureum geſtabant, tùm ad obſignandum epiſtolas, tùm ad ornatum, tùm ad cordis hilaritatem. Qvâ de re legi poteſt *Alexander ab Alexandro* lib. 2. Genial. cap. 19. & ſcholiaſtes *Tiraquellus*, & Pierius Hierogl: 41. & Abrahami Gorlæi Dactylotheca, & Rhodiginus lib. 6. cap. 9. 12. Qvanqvam verò olim non licebat cuivis diviti apud Romanos aureis annulis uti, ſed ſolis id permiſſum fuit ſenatoribus & eqvitibus, docente *Dione* lib 48. tamen luxus tandem prævalens obtinuit, ut annuli aurei geſtandi uſus in populo eſſet freqvens, diducente ſuis in hunc locum Commentariis *Fevardentio*.

Qvartò qværitur: *Quid intelligatur per* ἐσθῆτα λαμπρὰν? *Cornelius à Lapide*, ſeqvutus vulgatum Interpretem, ἐσθῆτα λαμπρὰν interpretatur veſtem candidam: qvam hîc vult nominari, non tàm qvia inter alios colores maximè ſplendet albedo, qvàm qvia hujus coloris veſte induebantur, qvi magiſtratum ambiebant, unde & Candidati dicti. Chriſto certè albam veſtem injicit Herodes, tacitè inſimulaturus eum fatuè affectaſſe regnum Judææ Luc. 23. v. 11. Diſſentiunt *Beza*, *Piſcator*, *Paræus*, *Eſtius*, *Lorinus*, *Menochius*, *Interpretes Belgici*, qvi ἐσθῆτα λαμπρὰν vertunt ſplendentem veſtem; & meritò. Nam λαμπρὸς ſplendidus eſt: Poteſt autem veſtis eſſe ſplendida, licet non ſit albi coloris. Confirmatur expoſitio ex oppoſitâ veſte ῥυπαρᾷ.

Qvintò qværitur: *Quis ſit* πτωχὸς ἐν ἐσθῆτι ῥυπαρᾷ? Πτωχὸς non eſt qvivis pauper, ſed qvi mendiciſſimus eſt, qvod ait Cicero. Nam eſt à πτώσσω, timidè oberro mendicans: ita enim verbum hoc uſurpat *Heſiodus*. Stabilitur expoſitio è veſte, qvam pauper, de qvo hîc agitur, gerit, qvippe ῥυπαρᾷ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ρᾷ. Nam ἐσθὴς ῥυπαρὰ non tàm eſt rudior veſtis, qvàm variis fœda maculis: qvalis ſolet eſſe hominũ, qvi ſtipem oſtiatim petũt, & in locis ſordidioribꝰ noctu qvieſcere coguntur. Opponitur itaq; ab Apoſtolo homo dives, & ſplendide veſtitus, homini mendicabulo, non tam rudi & lacerâ, qvàm ſordida & maculis fœdâ veſte incedenti. Qvalis fuit Lazarus, deſcriptus Luc.16.v.20.

Doctrina. Noli hominem ob annulos aureos & veſtes ſplendidas, qvibus ſe ſuperſtitioſè ornat, amare. Vana ſunt, indigna ſunt, ob qvæ homo æſtimetur. Splendidè veſtitur dives *Epulo*: ſed mortuus, inferni miſerandus incola eſt, indignus guttulâ aqvæ Luc.16.v.23.24. Inſoleſcit regiâ veſte *Herodes*: ſed eodem expirat momento, vermibus eſca Actor 12. Noli pauperem ob incultum habitum contemnere, ſi Deum amat, ſi pietatis ſtudioſus eſt. Aſpice tuum *Ieſum*, qvi, primùm natus, panniculis laceris involvitur Luc.2.v.12. Tantum abeſt ſplenduerit, dum vixit, auro & veſte pretioſa, ut vix habuerit qvò caput reclinaret Luc.9.v.58. Suſpenditur inter cœlum & terram, nullâ veſte contectus, veſte vili, qva indutus fuerat, inter milites diviſâ Matth.27.v.35. Vide mihi qvanto fuerit Lazarus in pretio apud Deum, apud Angelos, qvantumvis mendicus, & ſordidâ dum vivebat, veſte indutus. Teſtis eſt ſcriptura, tanto Angelos ipſum dignatos eſſe honore, ut mortuum in ſinum Abrahæ aſportarent Luc.16.v.22. Sit itaq; nobis hoc Davidis monitum qvàm commendatiſſimum Pſal.15.v.4. *Is habitaturus eſt in tentorio Iehovæ: commoraturus in monte ſanctitatis ejus. In cujus oculis contemptus eſt improbus, timentes vero Iehovam honorat.*

V. 3. Καὶ ἐπιβλέψητε ἐπὶ τὸν φοροῦντα τὴν ἐσθῆτα τὴν λαμπρὰν, καὶ εἴπητε αὐτῷ; σὺ κάθου ὧδε καλῶς. καὶ τῷ πτωχῷ εἴπητε. Σὺ στῆθι ἐκεῖ, ἢ κάθου ὧδε ὑπὸ τὸ ὑποπόδιόν μου.

V. 3. Et reſpexeritis ad eum, qvi veſtem geſtat ſplendidam, & dixeritis ei: Tu ſede hîc pulchrè: pauperi verò dicatis: Tu ſta illic, aut ſede hîc ſubter ſcabellum meum.

HIc primò qværitur: *Quid ſit, hunc reſpicere qui ſplendidam geſtat veſtem?* Non certè his dicam ſcribit D. Jacobus, qvi deferunt viris honoratis iſtum, qvi ipſis debetur, honorem. Nam id ut faciamus, Spiritus Dei diſertè jubet Rom. 13.v.7. 1 Pet.2.v.17. ſed hos caſtigat, qvi nullâ habitâ pietatis & probitatis ratione, homines divites & extraneo cultu ſplendidè ſuperbos honorant, pauperibus, qvantumvis piis, ſuperciliosè ſpretis. Nam loqvutione hac: ἐπιβλέψητε ἐπὶ τὸν φοροῦντα τὴν ἐσθῆτα τὴν λαμπρὰν, indicatur affectus hominum, admirantium & æſtimantium ſplendorem externum. Qvod enim admiramur & magnifacimus, id intentè aſpicimus, & cum reverentia atq; veneratione reſpicimus.

Secundò qværitur: *Quò reſpiciat Apoſtolus, quando caſtigat improbam conſvetudinem, quâ ditioribus honoratior ſedes, pauperibus verò depreſſior & humilior & abjectior locus aſſignatur?* Paëzius putat Apoſtolum ſupponere morem Hebræorum, apud qvos Reges, Magiſtratus, viriq; nobiles in ſublimiori loco ſedebant,

bant, idq; non ſolùm in adminiſtratione Reipublicæ, ſed etiam in publicis conventibus, aut diſputationibus: inferiores vero ſedes ignobilioribus aſſignabantur. Evinci cenſet id his ſcripturæ dictis. Pſal:113.v.7. *Suſcitans de pulvere egenum, ut ſedeat cum principibus.* 1.Reg:16.v.2: *Exaltavi te de puivere.* Lucæ 14.v.10. *Amice aſcende ſuperiùs.* Rectiùs Auguſtinus Epiſt: 29. ad Hieron: & ante eum *Clemens* lib:2. Conſtit: cap. 57.58. (modo aliàs genuinum ſit ſcriptum, & non adulterinum) & hos ſeqvuti *Piſcator, Pareus, Iuſtinianus, Interpretes Belgici*, qui volunt caſtigari abuſum, in cœtibus Eccleſiaſticis Chriſtianorum ſervatum, in qvibus cum eſſent ſedilia & ſublimiora & depreſſiora; divitibus, quantumvis parùm piis & probis, aſſignabantur ſedes honoratiores, pauperibus, etiam religioſiſſimis, ad ſedes inferiores detruſis & rejectis. Qua de re non novâ, ſed priſcâ, extat Salomonis qverela Eccleſiaſt:10.v.5.6. *Eſt malum quod vidi ſub ſole, quod proficiſci videtur ex imprudentia tenentis primatum. Stultitia collocatur in ſummo faſtigio, & divites* (ſapientia & virtutibus) *ſedent in humili gradu.* Et eò libentius locum Jacobæum interpretor de cœtibus Eccleſiaſticis, quò certius eſt talem in Eccleſia Chriſtiana obſervatam eſſe προσωποληψίαν, monitore *Paulo* 1 Cor: 11.v.20.21.22.

Tertiò qværitur: *Quid ſit ſedere* καλῶς? Conqueritur Apoſtolus, obtinuiſſe conſuetudine, minus probâ, ut in Eccleſiaſticis cœtibus diceretur hominibus ſplendidè veſtitis, & ad pompam uſq; cultis: Σὺ κάθου ὧδε καλῶς? *Quæritur; quid hæc ſibi verba velint?* Probo *Cornelium à Lapide*, qui ſedere καλῶς interpretatur, non tantùm commodo & honorato loco ſedere, ſed & eleganti, puta in ſede primaria vel altiore, pulvinari etiam inſtratâ. Sedebant Judæi in Synagogis: magiſtri qvidem altiùs, auditores autem & diſcipuli demiſſiùs, referente *Ambroſio* in 1 Cor: 14. In cœtibus etiam Chriſtianorum diverſa fuêre ſedilia, quæ ſingulis, habita ætatis, ſexus, meriti ratione, aſſignabantur; modo fides habenda ſit Clementi, qui hoc prolixe memorat lib.2 Conſtit: cap.57. E textu certè Jacobæo qvàm liqvidiſſimnm eſt, diverſi generis ſedilia in cœtibus Chriſtianorum uſitata fuiſſe, inter qvæ alia aliis fuerint honoratiora.

Qvartò qværitur: *Quid ſibi velit hoc ad pauperes alloquium: Sta illic, aut ſede hîc ſubter ſcabellum pedum meorum?* Deſcriptio eſt extremi contemptus pauperum, indicati *geminâ notâ. Prior* eſt, juberi eos in cœtibus ſacris *ſtare:* Quod facere ſolent, qui aliis à miniſterio ſunt. Sic *Ioſeph* ſtetiſſe dicitur coram Pharaone Gen:41.v.46, & *Iudæi* coram Rege Babylonio Dan:1.v.19, & *puella* coram Davide decrepito 1.Reg:1.v.2. & *David* coram Saule 1.Sam:16.v.21. *Poſterior* eſt: Amandari pauperes ſeſſuros, ad deſpectiſſima loca. Nam ipſis dici ſolebat: Conſide ὑπὸ τὸ ὑποπόδιόν μου. Vox Græca, monente Piſcatore, ἔμφασιν habet: Nam ὑποπόδιον notat ſcabellum, qvod pedibus ſedentium ſubjicitur, ad illos ſuſtentandum. Quo quid dici poteſt contemptius. Nec enim digni judicantur pauperes, qui ditiorum ſcabella, nedum pedes, contingant.

Doctrina. A veſte ſplendidiore, qui hominem unicè æſtimat, is ſane neſci-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

neſcire videtur quòd peccatum veſtem primùm in mundum invexerit Gen. 3, 21. Et quid rei eſt quod tantum veſti elegantiori ſtatuas pretium? Nam ne qvidem Salomon, elegantiſſimè veſtitus, æqvare potuit elegantiam lilii, è terra enati, monitore *Chriſto* Matth. 6. v. 28. 29. Memento extraneum iſtum ornatum larvam eſſe, φαντασίαν eſſe: Quæ eſt ſpiritus Dei de ſplendidiſſimo *Bernices* ornatu ſententia & cenſura Act: 25. v. 23. Et qvæ eſt ſtultitia, ne qvid gravius dicam, qvòd pauperem, ad pedes tuos velis abjectum, aut coram te ſerviliter ſtare? Hoc ne eſt meminiſſe Jeſu Chriſti, qvi formam ſervi indutus, coram Pilato, inſtar abjectiſſimi mancipii, ignominioſé ſtetit Matth. 27. v. 11. ut omnes homines in libertatem aſſeret? Hoc ne eſt meminiſſe noſtræ in Chriſto unionis, qvâ efficitur, ut in Chriſto non ſit ſervus aut libér 1 Cor: 7. v. 22. 23. Gal. 3. v. 28? Hoc ne eſt meminiſſe diei extremi, in qvo unicuiq;, citra perſonarum reſpectũ, reddetur qvod in corpore geſſit, ſive bonum ſive malum 2 Cor: 5. v. 10.

V. 4. Καὶ οὐ διεκρίθητε ἐν ἑαυτοῖς, καὶ ἐγένεσθε κριταὶ διαλογισμῶν πονηρῶν;

V. 4. Et non dijudicati eſtis in vobismetipſis, & facti eſtis judices perverſarum ratiocinationum?

HIc primò qværitur: *Quis ſit nexus orationis?* Qui eſt planiſſimus. Cùm enim propoſitum ſit Apoſtolo oſtendere, quòd προσωπόληπται ſint, qui in cœtibus ſacris divitem pauperi præferunt: provocat jam ad ipſas hominum, hoc facientium, conſcientias, quæ pluris ſunt, quàm mille teſtes extranei. Nec enim negare poterit qvisqvam, quin προσωποληψία ſit, eaq; pudenda, majoris in domo Dei facere divitem impium, qvàm pauperem pium. *Oecumenius*, *Beza*, *Piſcator*, cenſent hîc redundare conjunctionem καὶ more Hebræorum. Quod non dixero. Nam nectit hunc verſum cum præcedentibus, ac interrogatio vim habet vehementius affirmandi.

Secundò quæritur: *Quid ſibi velint verba*, καὶ οὐ διεκρίθητε ἐν ἑαυτοῖς? Multus eſt in ſententiarum varietate recenſenda *Cornelius à Lapide*. Paucis rem, non uſq; adeo difficilem, expediam. *Syrus & vulgatus Interpres*, *Vatablus*, *Beza*, *Paëzius*, *Cornelius à Laprde*, *Piſcator*, *Paræus*, hunc volunt eſſe verborum Apoſtoli ſenſum. Nonne [qvod minimè oportuit] hoc modo apud vos, unum alteri præferendum judicaſtis. Qvæ expoſitio non uſq; adeo probatur. Non urgebo, qvod διεκρίθητε ſit verbum paſſivæ ſignificationis. Nec enim neſcio, Herodianum τὸ διακρίνεσθαι etiam activa ſignificatione uſurpaſſe. Non modò alieniorem reddit me ab hac ſententia, quòd pluſcula verba infarcienda ſint, ut hic exſculpatur ſenſus; ſed hoc etiam accedit, qvòd ſit valde inſolens loqvutio; *vos feciſtis diſcrimen in vobis ipſis*. Oedipo opus eſt, ut innoteſcat loqvutionis ſenſus. Nec certè peccat προσωποληψία qui diſcernit inter divitem & pauperem; ſed qui divitem in cœtu religioſo pauperi præfert. Præfero expoſitionem *Complutenſem*, *Tiguiinam*, *verſionem Eraſmi*, & aliorum, qui verbum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

διεκρίθητε, accipiunt uſitatâ ſignificatione paſſivâ, ac ita reddunt: *Et non dijudicati eſtis in vobiſmetipſis.* Hoc eſt, Et non veſtromet judicio dijudiati, convicti & damnati eſtis acceptionis perſonarum. Qvam expoſitionem probat *Beda*, & magis ſtringit, qvàm altera illa, ſuperiùs adducta. *Beza* objicit: τὸ διακρίνεσθαι nunqvam uſurpari pro κατακρίνεσθαι, hoc eſt: damnari. Facilis eſt reſponſio. Damus. Nec n. nititur expoſitio verbo διακρίνεσθαι, ſed loqvutione integrâ, διακρίνεσθαι ἐν ἑαυτῷ. Jam v. qvid aliud eſt dijudicari in ſeipſo, ſeu à ſeipſo, quam damnari, reum argui & convinci. Et expoſitionem firmant, quæ ſeqvuntur, verba, jam expendenda.

Tertiò qvęritur: *Qui ſit verborum horum genuinus ſenſus:* καὶ ἐγένεσθε κριταὶ διαλογισμῶν πονηρῶν. *Beza, Piſcator, Pareus, Interpretes Belgici, alii, judices* διαλογισμῶν πονηρῶν, *interpretantur judices non rectè affectos, ſed qui iniqua moliantur. Nec enim rectè judicat & decenter ratiocinatur, qui judicat & concludit, impium divitem eſſe honore afficiendum, ob annulum & veſtem: fratrem egenum eſſe contemptìm habendum ob paupertatem.* Qvæ qvidem, qvantum ad rem, proba expoſitio eſt; ſed qvâ à verbis textus longius receditur. Qvâ enim veritate dicetur κριτὴς διαλογισμῶν πονηρῶν, qvi fallaces & perverſas texit ratiocinationes. Phraſin certè ſi premis & urges; κριτὴς διαλογισμῶν πονηρῶν eſt, non qui improbarum ratiocinationum architectus eſt, ſed qui eaſdem judicat; hoc eſt, pro ratiocinationibus perverſis & pernicioſis agnoſcit. Hoc ergo vult Apoſtolus, qvòd hi, quibus ſcribit, judicare facile poſſint ipſi, qvòd qui divitem impium pauperi pio præfert, ratiocinationes ſequantur perverſas, & ſectatoribus perniciem accelerantes. Nam τὸ πονηρὸν non modò τῷ ἀγαθῷ, ſed etiam τῷ χρηστῷ opponi, è *Xenophonte, Æſchine,* & aliis lingvæ Græcæ ſcriptoribus melioribus, quàm manifeſtiſſimum eſt.

Doctrina. Non eſt tutior judex propriâ conſcientiâ. Non tàm extranea judicia, quàm conſcientiæ teſtimonium æſtimare debemus. Homines ſuis judiciis ſæpè fallunt, nec enim in penitum pectus penetrare poſſunt: ſed conſcientiæ teſtimonium in utramq; partem efficaciſſimum eſt. Paulus negat ſe morari hominum judicia, Dei & ſuæ conſcientiæ teſtimonio contentus 1. Cor. 4. v. 3. Hoc agamus, ne teſtimonio propriæ conſcientiæ convicti perverſitatis, folia qværamus ficulnea, quibus perverſitatem tegamus; ſed perverſarum cogitationum ipſi ſimus judices ac noſmetipſos judicemus, ne cum impio mundo condemnemur, monente D. Paulo 1. Cor. 11. v. 31.

V. 5. Ἀκούσατε ἀδελφοί μου ἀγαπητοὶ, οὐχ θεὸς ἐξελέξατο τοὺς πτωχοὺς τοῦ κόσμου τούτου, πλουσίους ἐν πίστει, καὶ κληρονόμους τῆς βασιλείας, ἧς ἐπηγγείλατο τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν.

V. 5. Audite fratres mei dilecti, nonne Deus elegit pauperes mundi hujus, divites in fide, & hæredes regni, quod promiſit diligentibus ipſum.

HIc primò quæritur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia? & qui hujus verſus genuinus ſenſus?* Primum argumentum eſt, adductum ad diſſvadendum contemptum pauperum, & nimium ditiorum æſtimium. Deſumptum autem eſt à diverſiſſimò Dei & hominum judiciò. Quæ mundus rejicula cenſet, ſæpenumero in maximo apud Deum ſunt pretio, & vice versâ; veluti legere eſt 1. Cor: 1. v. 26. 27. 28. Luculentiſſimo eſſe poterunt documento pauperes hujus mundi, ſeu homines à bonis hujus mundi penitus derelicti; qui qvanquam mũdo & hominib⁹ mundanis ſordent, Deo tamen curæ ſunt. Etenim Deus pauperes huj⁹ mundi tanti fecit, ut eos è cætero hominum cœtu & cenſu, velut in peculiũ ſibi exemerit: id namq; eſt ἐκλέγειν: quo verbo hic utitur Apoſtolus. Ridiculum a. eſt & plane pudendum, quod pauperem contemnas, quia bonis huj⁹ mundi non abundat. Nam licet vitæ hujus præſidiis deſtituitur, fieri tamen poteſt, ut in fide dives ſit, Luc: 16. v 20. Matth. 19. v. 27. 28. Qui autem in fide dives eſt, is ſolus verè dives eſt; ſiquidem in Deo dives eſt Lucæ 12. v. 21. Et hic eſt hujus verſus genuinus ſenſus.

Secundò quæritur: *Quo ſenſu dicat Apoſtolus: Deum elegiſſe pauperes mundi? Omnesné pauperes ad vitam æternam electi, & divites ex adverſo omnes, æternùm rejecti?* Doctè de hoc loco diſſerit *Hemmingius*, ſuo in Epiſtolas Apoſtolicas commentario pag. 933. qui adiri poteſt. Non certè hoc vult D. Jacobus, Deum non eligere ad vitam æternam divites, ſed eos omnes ac ſingulos è regno gloriæ cœleſtis excludere. Negat id Paulus 1 Cor. 1. v. 26. qui ait, non multos ex iſto genere vocatos eſſe. Et D. Petri aſſertio eſt Act. 10. v. 34. 35. *Vere deprehendo Deum non reſpicere perſonam, ſed in quavis gente acceptum ei eſſe quemvis, qui eum timeat & operam det juſtitiæ.* Nec hæc eſt mens D. Jacobi, quòd Deus omnes & ſingulos pauperes eligat, & conſtituat regni cœleſtis hæredes: non enim velle hoc Jacobum, ſatis ipſe teſtatur, quando orationem ſuam ita attemperat, ut pauperes quidem, à Deo electos eſſe doceat, ſed non qvosvis, verùm divites fide. Sanè ſi ſapientia, potentia, nobilitas, opes, quæ omnia ſunt dona Dei, eſſent cauſa reprobationis; & contrà, infirmitas, ignobilitas, paupertas eſſent cauſa reprobationis; ſeqveretur, monente *Hemmingio*, & omnes divites reprobatos eſſe, & omnes pauperes electos. Quorum tàm illud, quàm iſtud extremè abſurdum eſt. Nec eſt quòd quisqvam credat, Apoſtolum hic rejicere cauſam reprobatorum divitum in Dei conſilium. Deus enim tantæ bonitatis eſt, ut velit omnes ſalvos, nec qvenqvam perire 1. Tim: 2. v. 4. 1 Pet. 3. v. 9. Verùm accuſatur à D. Jacobo malitia hominum, quæ obſtat ac impedit, quò minus omnes ſalventur. Hæc enim eſt cauſa, cur divites rejiciantur à Deo & reprobentur, quòd divitiarum & ſeculi amore ineſcati & capti, nihili faciant Deum & Chriſtum. Qvâ de re legatur fuſiſſimè diſſerens in hiſtoria Evangelicâ Jeſus tùm in parabola de quadruplici ſemine Lucæ 8. v. 14; tùm in ſuo ad Phariſæum & diſcipulos alloquio Matth. 19. v. 21. ſeq.; tùm in concione, quam de cœna magna habuit Lucæ 14. v. 16. ſeq: Iſtis namq; in locis ſervator deditâ operâ docet, quomodo homines divitiis, & variâ ſeculi curâ, à pietate, regno Dei & vita æterna avocentur & arceantur: à quibus impedimentis cùm liberi ſint pauperes, inde eſt, quòd ipſis via ad vitam æternam expeditior ſit.

Tertiò qværitur: *An ex his D. Iacobi verbis,* Θεὸς ἐξελέξατο πλουσί-

ους πίστου: *certò colligant & concludant Lutherani: non alios eligi ad vitam æternam, quàm quos Deus prævidit credituros? Beza, Piſcator, Paræus,*ne id quod ſequimur aſſequamur, ingenioſo gloſſemate locum hunc Jacobæum adulterant. *Piſcator* præ reliqvis hic diligens eſt: cujus hæc ſunt verba: *Accuſativus* πλουσίους, *regitur à verbo* ἐξελέξατο, *non per ſe, ſed mediante infinitivo* τοῦ γένεσθαι *vel* τοῦ εἶναι. *Similis eſt Syntaxis* Rom. 8. v. 29. προώρισε συμμόρφους, *pro eo quod eſt,* προώρισε τοῦ γένεσθαι συμμόρφους. *Iſta ellipſis hoc loco diligentius notanda eſt, ne quis ex iſtis verbis colligat, electos credere, antequam eligantur, atq; adeo eligi quia credant. Quæ ſententia repugnat ſcripturæ: quæ paſſim tradit, fidem pendere ab electione, tanquam effectum à cauſa: non contra, ut* Rom:8.v.30. Eph.1.v.5. Hæc *Piſcator*: Cui ut ſatisfaciamus, *duo* urgemus. *Vnum* eſt; *Bezam, Piſcatorem, Paræum,* & reliquos ejus ſcholæ viros, vim inferre textui Apoſtolico. Nam ne concedere cogantur, non eligi qvenqvam à Deo ad vitam, niſi fidelem & credentem, additamento ſuo textum corrumpunt. Etenim urgent accuſativum πλουσίους non regi immediatè à verbo ἐξελέξατο, ſed à ſubintellecto infinitivo εἶναι ſev γένεσθαι. Hocne eſt magiſterium ſibi ſumere in verba Spiritus Sancti? Jacobi diſerta aſſertio eſt, elegiſſe Deum pauperes, divites fide: qvâ aſſertione ne adſtruatur ſana noſtrarum Eccleſiarum doctrina de fide prævisâ, ad electionem requiſitâ, contendunt adverſarii, infinitivum, neſcio qvem, ſubintelligendum eſſe, ut Jacobus vel invitus doceat, non eligi pauperes, divites fide, ſed eligi pauperes, ut fiant divites fide. Dic mihi, lector, tutiusné ſit diſertis Apoſtoli verbis fidere, qvàm humano adverſæ partis additamento? Planiſſimis verbis monet & monſtrat Apoſtolus, qui & quales ſint qui eliguntur: nullo autem apice indicat, in qvem finem eligantur. Et qvò minus fidas aſſumento humano adverſæ partis: *alterum* addimus; videlicet, conſtantem ſcripturæ aſſertionem eſſe, Deum non eligere qvenqvam ad vitam æternam, niſi credentem. Paulina aſſertio eſt Eph.1.v 4: *Elegit nos in Chriſto ante jactum mundi fundamentum.* Ecqvis vero in Chriſto eſt, niſi qvi credit? Et decretoriam Dei voluntatem, de hominibus ſalvandis, qvæ eſt ipſiſſima electio, conditionem fidei neceſſariò includere, citra controverſiam evincit creberrimum in ſcripturis effatum: *Qui crediderit, ſalvabitur* Marc:16.v.16. Johan.3. v.18.19. & 6.v.40. Et ut abſolvamus: Sine qvo impoſſibile eſt placere Deo, ſine eo impoſſibile eſt qvenqvam eligi ad vitam æternam: Electi enim Deo ſummè placent. At impoſſibile eſſe ut qvisqvam ſine fide placeat Deo, mõſtrat & evincit diſerta Apoſtoli aſſertio Ebr:11.v.6. Qvis ergo non facilè videt, fieri non poſſe, ut qvisqvam ad vitam æternam, ſine fidei intuitu, eligatur. Qvocirca interpretamentum Calvinianum, ſubnixum humano additamento, ad textum Apoſtolicum audaculè adjecto, textus ſacri periculoſa corruptela eſt: nec ſcriptura, electionem eſſe cauſam fidei, uſpiam docet.

Qvartò qværitur: *An Dei Spiritus, quando hos ad vitam electos eſſe docet, qui ſunt divites fide;* ὀλιγοπίστους *ab hac electione excludat?* Ita cenſet *Huberus*, univerſalis electionis propugnator: ſed fallitur. Etenim *per pauperes hujus mundi, ſed divites fide,* intelliguntur omnes pauperes fideles, etiamſi in modum ſyna-

pis exiguâ fide præditi ſint: tales enim hac ſua fide, longè ditiſſimi ſunt: ſiqvidem fides langvidula Chriſtum totum cum omnibus ſuis beneficiis complectitur & apprehendit Matth. 17. v. 20. Luc. 17. v. 6. Eſa. 61. v. 1. Luc. 4. v. 18.

Qvinto qværitur: *Cur D. Iacobus non contentus dixiſſe; pauperes, qui ſunt divites fide, electos eſſe à Deo; addat; hæredes eſſe regni?* Occurrit Apoſtolus profanæ multitudini, cui nunqvam non in ore eſt, parùm facere ad commendandam pauperum opulentiam, qvòd ſint divites fide: Nimis enim notũ eſſe, qvod qvi in fide ditiſſimi ſunt, omnium non rarò pauperrimi & miſerrimi ſint, docente Paulo Ebr. 11. v. 38. Qvem obicem ut amoveat D. Jacobus, jubet ut ſe ſolentur pauperes, divites fide, hæreditate in cœlis repoſitâ. Vox enim Chriſti eſt Luc. 6. v. 20. Beati pauperes: qvoniam veſtrum eſt regnum Dei.

Sexto qværitur: *Cur regnum cœleſte promittatur diligentibus Deum? indené aliquod dilectionis meritum exſculpi poterit?* Docere vult Apoſtolus, qvòd fruſtrà paupertatem, fruſtra fidem jactes, ſi non adſit charitas. Nam nihili eſt fides à charitate ſejunctâ 1 Cor. 13. v. 2. 3. Qvocirca ut tu qvi pauper es, ſed fide dives, regni cœleſtis hæres eſſe poſſis, Dei charitate ardebis, ita ut verè dicere poſſis, qvòd nec mors nec vita, nec ulla creatura te à charitate Dei ſeparare poſſit aut debeat, Rom 8 v. 39. Pontificios verò ex hoc loco, & ſimilibus dictis, meritum charitatis & operum, nullo ſucceſſu exſculpere, oſtendimus cap. 1. v. 2. quæſt 5., nec repetimus.

Doctrina. Pauperes, ſed Deum timentes, maximè divites eſſe ſtatuito. Nec enim aurum, argentum gemmæ, veſtes pretioſæ, ſunt veræ divitiæ: ſed pietas, probitas, fides, & virtutes Chriſtianæ ſunt divitiæ, qvæ perennent. Differentem hac de re *Chriſtum* lege Matth. 6. v. 19. 20. Pauperem, ſed verè credentem, qvoties vides; toties regni cœleſtis hæredem te videre credes. Hunc ama, hunc honora, tanqvam qvi communi tecum in cœlis gaudio fruiturus ſit. Ne ſis eo animo & ingenio, qvo Epulo, qvi Lazarum ſuo colloqvio dignum non cenſuit: cujus tamen opem, tandem implorare coactus fuit, ſed ſucceſſu nullo Luc. 16 v. 20. ſeq. Credito, qvod qvicqvid beneficii in pauperem contuleris, ſed fidelem, hoc non minoris æſtimet *Chriſtus*, qvàm ſi in ipſummet Chriſtum contuliſſes Matth. 25. v. 31. ſeq.

V. 6. Ὑμεῖς δὲ ἠτιμάσατε τὸν πτωχόν. οὐχ οἱ πλούσιοι, καταδυναστεύουσιν ὑμῶν, καὶ αὐτοὶ ἕλκουσιν ὑμᾶς εἰς κριτήρια;

V. 6. At vos contumeliâ affeciſtis pauperem. Nonné divites per tyrannidem opprimunt vos, & trahunt vos ad tribunalia?

HIc primò quæritur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus?* Dixerat Apoſtolus verſu præcedente, tanti à Deo æſtimari pauperes, divites fide, ut ab ipſo conſtituantur regni cœleſtis hæredes. Jubet jam Apoſtolus, ut ipſi judicent, qvantum ſit ſcelus, eum contumeliâ afficere, qvem Deus tanto dignatus eſt honore. In Deum certè hæc contumelia redundat, teſte *Salomone* Prov. 22. v. 2. & *Chriſto* Matt. 25. v. 45.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Secundò quæritur: Quid ſibi velint verba: Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & trahunt vos ad tribunalia? Alterum argumentum eſt, qvo hortatur Apoſtolus, ne nimium diviti injuſto, in præjudicium pauperis, ſed juſti, faveam⁹; deſumptum ab impiis divitum factis: qvæ hic enumerantur tria. *Primum divitum, ſed impiorum, factum enunciatur his verbis:* καταδυναςεύουσιν ὑμῶν. Eſt autem καταδυναςεύειν, τῇ δυναςείᾳ ſeu potentatu ſuo, ad alios tyrannicè opprimendos, neqviter abuti. Qvo ſenſu dicta vox non modò uſurpatur apud Xenophontem; ſed inprimis Actor. 10. v. 38. ubi verbum καταδυναςεύειν adhibetur ad ſignificandum iniqvum & verè tyrannicum Diaboli in homines, ab eo obſeſſos, dominium. Nota eſt vox *Syracidis* cap. 13. v. 24. *Vt venationes leonum ſunt onagri in diſerto, ita paſcua divitum ſunt pauperes.* Peccant ergo graviter, qvi divites, pauperum oppreſſores, ambitioſè honorant; & contrà, pauperes contumelioſè tractant, à qvibus nunqvam læſi ſunt. *Alterum divitum, ſed improborum, factum* parùm probum, ita effert D. Jacobus: καὶ ἕλκουσιν ὑμᾶς εἰς κριτήρια. Emphaſis eſt in verbo ἕλκειν, qvod Apoſtolus uſurpat. Hi namq; Platoni dicuntur ἕλκεσθαι πανταχόσε, qvi modò huc, modò illuc inviti traducuntur, ut explorentur. Et ἕλκειν de ponderibus uſurpat *Ariſtoteles*, qvæ bilancem in alteram partem ſuâ gravitate inclinant. Docere vult D. *Iacobus*, freqvens & familiare eſſe divitibus, qvi potentiâ valent, viros pios & probos, ſed pauperes, jam huic, jam illi judici ſiſtere, qvò vel tandem judicem inveniant, qvi pluris faciat accuſantis potentiam & auctoritatem, qvàm accuſari innocentiam. Qverela hæc D. Jacobo cum Apoſtolo Paulo communis eſt; ut qvi qvàm maximè improbet, Chriſtianos à Chriſtianis ad hominum gentilium tribunalia trahi 1 Cor. 6. v. 1. Novum verò non eſſe, pauperes in judicio à ditioribus opprimi, teſtis eſt *Salomon* Eccleſ. cap. 5. v. 7. Qvis ergo negare volet, qvin graviter delinqvant, qvi huic divitum generi majus pretium ſtatuerit, qvàm pauperibus hujus mundi, divitibus in fide.

Doctrina. Vos qvi divites eſtis, & potentiâ eminetis, nolite veſtrâ abuti potentiâ ad opprimendum pauperes. Pauperum oppreſſor fuit *Pharao*; ſed in mari rubro ſubmerſus, miſerè periit, Exod. 14. v. 27. ſeq. *Nabuchodonoſor* qvos volebat occidebat; qvos volebat, in vitâ ſervabat, Dan. 5. v. 19: ſed regno & ratione ſpoliatus, in brutorum animantium cenſum venit, ac communi gaudet cum illis contubernio & pabulo Dan. 4. v. 30. Pauperes Chriſtianos violenter opprimit *Herodes*, ſed à vermibus conſumptus, vitam triſti ſpectaculo finit Actor. 12. v. 23. Pud ciſſimam *Suſannam*, ad tribunal tractam, opprimere allaborant potentiâ & auctoritate valentes ſenes; ſed juſtas facti luunt pœnas Dan. 13. v. 62. *Nabothum*, violenter raptum ad tribunal, falſis teſtibus circumveniunt *Achab* & *Ieſabel*, ſed factum non auferunt inultum 1 Reg. 21. v. 19. ſeq. Vos itaq; divites, diſcite juſtitiam moniti, nec pauperes opprimite.

V. 7. Οὐκ αὐτοὶ βλασφημοῦσιν τὸ καλὸν ὄνομα, τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς;

V. 7. Nonne ipſi blaſphemant præclarum illud nomen, invocatum ſuper vos.

Hic

HIc *primò quæritur: Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia?* Tertium & ultimum divitum, qvi vulgo honorantur & præferuntur pauperibus, in fide divitibus, factum eſt, ſatis impium: nimirum, *blaſphemare illos pulchrum Dei nomen.*

Vnde ſecundò quæritur: Quid ſit βλασφημεῖν τὸ καλὸν ὄνομα? βλασφημία, à βλάπτειν τὴν φήμην dicta, non qvodvis genus convitii & maledicti eſt in ſacris ſcripturis; ſed propriè & præcipuè id, qvod contra Deum & ejus religionem dicitur. De qvo crimine lex Levit. 24. v. 14. ſeq. fertur, & exemplum etiam lapidati blaſphematoris proponitur. Qvo autem ſenſu divites, præter meritum honorati, dicantur βλασφημεῖν τὸ καλὸν ὄνομα, non conſentiunt Interpretes. *Piſcator, Gagnæjus, Lorinus, Cornelius à Lapide, Eſtius, Iuſtinianus, Menochius, Tirinus*, Ebraiſmum hic agnoſcunt, ac Cal pro Hiphil poni volunt, hoc ſenſu; *Nonne divites, etſi Chriſtiani, utplurimùm ſuo faſtu, tyrannide & pauperum oppreſſione blaſphemant, id eſt, blaſphemari faciunt, ac cauſam dant Gentibus, ſubinde etiam infirmis Chriſtianis, præclarum Dei nomen ut blaſphement.* Et ad hoc probandum citant ſimilia, qvod putant, loca Rom. 2. v. 24. 1 Tim. 6. v. 1. Tit. 2. v. 5., 2 Pet. 2. v. 2. Rectius *Lucas Oſiander* & *Paræus*, qvi verba Apoſtoli preſsè urgentes, interpretantur de divitibus, qvi de religione Chriſtiana contemptim & ſentiebant & loqvebantur, ac ſacra Chriſtianorum, non tàm pietate & devotione, qvàm curioſitate qvadam freqventabant, exemplo *Athenienſium* Act. 17. v. 21. Univerſus certè contextus clarè evincit, ſermonem eſſe Apoſtolo de divitibus, in religionem Chriſtianam minùs benè affectis: qvicqvid dicat & opponat *Gagnæjus*. Qvâ enim veritate ſincerus ſectator Chriſtianæ religionis vocabitur, qvi Chriſtianos violentèr opprimit, ad tribunalia trahit, nomen Chriſti pudendis convitiis proſcindit?

Tertiò quæritur: Quodnam ſit illud nomen, quod ſuper Chriſtianos invocatum memorat Apoſtolus? Et quis ſit locutionis hujus ſenſus? Nomen alicujus ſuper aliqvem vocari, phraſi Hebræa, haud qvicqvam aliud eſt, qvàm à qvopiam cognominari. Dicta ſcripturarum qvæ hoc probent ſtudioſè collegit *Flacius* in ſuâ clavi pag. 627. 628. & ſuis in hunc locum commentariis *Eſtius* & *Lorinus*: è qvibus paucula promemus. *Iacob*, benedicens filiis, ait Gen. 48. v. 16. *Vocet ſuper eos nomen meum, & nomen patrum meorum, Abrahami & Iſaaci.* Moſes enumerans benedictiones Deut. 28. v. 10. his Iſraelitas alloqvitur verbis; *Videbunt omnes incolæ terrarum, nomen Iehovæ vocatum eſſe ſuper te, & timebunt te.* Jeremias profitetur nomen Jehovæ vocatum eſſe ſuper ſe, inquiens cap. 15. v. 16. *Vocer de nomine tuo ô Iehova, Deus exercituum.* Sic Eſaiæ 4. v. 1. dicunt ſeptem mulieres ad virum unum: *Panem noſtrum comedemus, & veſtimento noſtro induemur, tantummodò vocetur nomen tuum ſuper nos*: id eſt, de te cognominemur, dicamur tuæ uxores. *Nomen autem illud bonum*, qvod ſuper Chriſtianos invocatum eſſe memorat Apoſtolus, eſt nomen Jeſu Chriſti: Nam à Chriſto dicimur Chriſtiani, atteſtantibus actis Apoſtolicis c. 11. v. 26. Qvæ eſt receptiſſima interpretum explicatio, tàm *Pontificiorum, Lorini, Eſtii, Paëzii, Cornelii à Lapide, Tirini, Menochii*; qvàm *Calvinianorum, Bezæ, Calvini, Piſcatoris, Bullingeri.* Sed verò valde dubito, an hæc expoſitio ipſis Apoſtoli verbis exactè reſpondeat. Etenim in omnibus

dictis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

dictis è veteri Teſtamento ſuperiùs adductis, non invocandi, ſed vocandi vox invenitur. Noſter autem Apoſtolus non vocandi, ſed invocandi verbum uſurpat: Nam ait: βλασφημοῦσι τὸ καλὸν ὄνομα τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς. Non dicit, *blaſphemare divites iſtos nomen, à quo vocati ſunt*, ſed τὸ καλὸν ὄνομα τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς. Qvis vero neſcit, aliud eſſe *nomen aliquod ſuper quempiam vocari*; aliud autem, *nomen ſuper aliquem invocari.* Parentum certè nomen vocatur ſuper liberos Gen. 48. v. 16. & mariti ſuper uxorem, Eſa. 4. v. 1: at non niſi ſolius Dei nomen invocatur; teſte univerſa N. T. ſcriptura Rom. 10. v. 12. 13. 14. 1 Cor. 1. v. 2. 2 Cor. 1. v. 23. 2 Tim. 2. v. 22. 1 Pet. 1. v 17. Credidero itaq;, non diſſentientientibus Paræo & interpretibus Belgicis, Apoſtolum hîc reſpicere ad baptiſmum, in qvo nomen Chriſti ſuper eum invocatur, qvi ſacro illo lavacro tingitur Matth. 28. v. 19. Actor. 2. v. 38. Hoc autem nomen verè vocatur τὸ καλὸν ὄνομα, hoc eſt, pulchrum, laudabile, glorioſum nomen. Nec enim eſt aliud *nomen*, in qvo ſalvamur Actor. 4. v. 12: & tanti eſt hoc *nomen* apud Deum, ut ad hoc nomen flecti debeat omne genu Phil. 2. v. 10. Qvi igitur divites honoraverit, laudabile hoc & ſummè glorioſum Chriſti nomen convitiis proſcindentes, isné graviſſimè delinqvere cenſendus eſt?

Doctrina. Tu qviſqvis es, qvi Jeſum ex animo amas, & ejus nomen qvod ſuper te in baptiſmo invocatum eſt, magni æſtimas; hos odiſſe, hos execrari debes, qvi de Jeſu dignè ac decenter non ſentiunt, non loqvuntur. Memento, qvàm incaluerit juſtâ indignatione *Moſes*, audito, qvòd eſſet qviſpiam, qvi nomen Dei pudendis convitiis proſcidiſſet, Lev. 24. v. 14. ſeq. Imitare *Davidem*, qvi teſtatur ſe hos ex animo odiſſe, qvi de Deo rectè non ſentiunt Pſal. 139 v. 22 Eo eſto ingenio, qvo *Paulus*, qvi toties totus arſit, qvoties qvicqvam à qvoqvam fieri inaudiebat, qvod ſcandalo eſſe poſſet 2 Cor. 11. v. 29. Ne excidat monitum D. *Johannis* 2 Epiſt. v. 10. jubentis, ne aut ſalutem impertiamur, aut contubernio hos excipiamus, qvi afferunt doctrinam, à doctrina Chriſti alienam.

V. 8. Εἰ μέντοι νόμον τελεῖτε βασιλικὸν κατὰ τὴν γραφήν. Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου, ὡς σεαυτὸν; καλῶς ποιεῖτε.

V. 8. Si vero legem regiam præſtatis ſecundum ſcripturam: Diliges proximum ſicut te ipsū; benefacitis.

V 9. Εἰ δὲ προσωποληπτεῖτε, ἁμαρτίαν ἐργάζεσθε, ἐλεγχόμενοι ὑπὸ τοῦ νόμου ὡς παραβάται.

V. 9. Si vero perſonam reſpicitis, peccatū committitis & redarguimini à lege tanqvam transgreſſores.

H*Ic primò quæritur de orationis Apoſtolicæ nexu?* Non conſentiunt interpretes. *Lorinus, Cornelius à Lapide, Eſtius*, volunt contineri verbis adductis objectionem, qvam Apoſtolus removet, hoc ſenſu: *Objicitis & urgetis; Ergonè divites contemnendi & odio habendi? Haudquaquam, inquit Apoſtolus: nec enim impedio, quò*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

minus divites diligatis, dummodò id non fiat cum pauperum contemptu: Nam lex jubet, ut proximum, id eſt, divites & pauperes, ſine delectu ametis. Paræus, quanquam prolepſin hîc agnoſcat, aliter tamen verba Apoſtoli interpretatur. Vult enim divitum æſtimatores & cultores, hac ſe tueri Apologia: *Quamvis divites magis, quàm pauperes honoramus; in cæteris tamen legem ſtudioſè præſtamus. Reſpondet conceſſione Apoſtolus: Eſto, latam legem impletis:* ſola tamen προσωποληψία *vos convincit totius legis transgreſſores.* Ego verò credo adduci ab Apoſtolo *tertium argumentum*, qvô à προσωποληψία dehortatur, deſumptum à mandato Dei de dilectione proximi: Nec enim proximum juxta legem divinam diligit, qvi pauperem pium diviti impio poſtponit: qvà de re pòſt dicetur.

Secundò quæritur: Cur lex de diligendo proximo vocetur νόμος βασιλικός? Variant Interpretes. *Cajetanus* vult vocari *regiam legem*, qvia à Regum Rege lata eſt: *Vatablus*, qvia eſt ſplendida, excellens & magnifica: *Hugo & Thomas Anglicus*, qvia nos facit Deo Reges: *Iunius*, qvia regio ſpiritu, id eſt forti & conſtanti animo à piis omnibus præſtari debet, tanqvam lex digna regalibus ingeniis: *Eſtius*, qvia charitas præceptum eſt in lege ſummum ac præcipuum; qvæ autem præcipua ſunt, Regia vocari ſolent: *Druſius*, qvia latiſſimè patet. *Calvino, Bezæ, Piſcatori, Paræo, interpretibus Belgicis*, lex eſt regia eo ſenſu, qvo via dicitur proverbiali figura regia Num. 21. v. 22. Nam veluti hac omnes ambulant; ita illa eſt omnibus eadem, mandans ex æqvo pauperum & divitum dilectionem. Qvam expoſitionem probo, tanqvam inſtituto accommodam: Hoc enim agit Apoſtolus, ut oſtendat, dilectionem pauperibus & divitibus è præſcripto legis, qvæ omnibus eadem eſt, ex æqvo deberi. Nec diſſentit *Heinſius* ſuis in N. T. exercitationibus pag. 589. 590.

Tertio quæritur: Quid ſibi velit lex: Diliges proximum ſicut teipſum: & quomodo inſtituto Apoſtoli firmando ſerviat? Docere vult Apoſtolus, προσωποληψίαν pugnare cum lege, non modò ſi reſpicitur perſona, qvam lex diligendam monet; ſed etiam ſi conſideratur modus dilectionis, à Lege præſcriptus. Lex divina Levit. 19. v. 18. jubet ut proximum diligamus. Proximi autem nomine compræhenduntur omnes homines, cujuscunque tandem ſint ſortis, ſtatus, ſexus, conditionis, interprete Chriſto Luc. 10. v. 29. ſeq. Qvocirca qvi ditiores & potentes æſtimat, ſpretis pauperibus, etiam probiſſimis & religioſiſſimis: hic in legem divinam impingit, ut qvæ proximum, id eſt qvemvis hominem, diligendum eſſe, ſeverè præcipiat. Sed & modus dilectionis, qvem lex urget, cum προσωποληψία pugnat adversâ velut fronte. Nam cùm lex urgeat, ut qvisq; proximum ſicut ſeipſum diligat; nemo autem non ſibimet, etiam pauperrimo, optimè conſultum cupiat: ecqvis non videt, qvòd modus dilectionis, à lege imperatus, non ſervetur, ubi ditiores honorantur, ſpernuntur autem pauperes.

Quartò quæritur: An homo par ſit legi implendæ, eò quod Apoſtolus dicat, eos rectè facere, qui legem præſtant & perficiunt? Urget id *Cornelius à Lapide*, & contendit, perperàm hoc inficiari hæreticos. Verum ſi hæreticus eſt, qvi hoc inficiatur, hæreſeos accuſentur oportet *Apoſtoli* Actor. 15. v. 10. & *Paulus* Rom. 8. v. 3. Gal. 3. v. 21., qvi diſertè negant. Nec qvi cavet ſibi à προσωποληψία

omnia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

omnia legis præcepta exactè ſervat. Nam qvi in uno labitur, totius legis transgreſſor eſt Jac.2. v. 10. Non eſt a. inter homines vel unus, qui non labatur 1. Reg:8. v. 46. Jac. 3. v. 2. 1 Johan 1. v. 8.

Qvintò quæritur: *Quæ ſit illa lex, à qvâ hominem redargui dicit Apoſtolus?* Non conſentiunt Interpretes. *Cajetanus* cenſet, diſtinctè intelligi legem, quæ προσωποληψίαν docet fugiendam, traditam Levit: 19. v. 15. Deut: 1. v. 17. Rectiùs *Eſtius*, qui intelligi vult charitatis legem, modò adductam, in qva etiam præceptum de vitanda προσωποληψία continetur. Non ſine cauſa autem utitur Apoſtolus voce ἐλεγχόμενοι. Nam ἐλέγχειν in ſcriptis probatorum Græcorum valet, rem qvampiam documentis adeò evidentibus cõprobatam dare, ut facti, cujus aliquis accuſatur, planè convincatur. Hoc docere vult D. Jacobus, qvod licet hi, qui ditioribus favent, in præjudicium pauperum, varia qværere ſolent effugia, ut ſe purgent, nihil tamen juventur iſtis prętextibus, transgreſſionis legis certò convicti.

Doctrina. Amandi ſunt homines omnes, etiam pauperrimi & abjectiſſimi. Nullum præſtas Deo cultum, ſi amicos, ſi ditiores honoras, ac beneficiis eosdem afficis, ut compenſent. Pauperes amandi, fovendi, juvandi ſunt, ſi cultum præſtabis Deo gratum. Qua de re lege diſſerentem Jeſum Luc: 14. v. 12. 13. 14. Nec in extremo die quæret Jeſus, qvid & qvantum præſtiteris ditiobus, ſed de pauperibus, à te amatis, & non uno genere beneficiorum affectis, univerſa erit qvæſtio Matth: 25. v. 35. ſeq.

V. 10. Ὅστις γὰρ ὅλον τὸν νόμον τηρήσει, πταίσει δὲ ἐν ἑνὶ, γέγονε πάντων ἔνοχος.	V. 10. Qviſquis enim totam legem ſervaverit, offenderit a. in uno, omnium reus tenetur.

HIc primò quævitur de orationis Apoſtolicæ nexu? Extenuare ſolent homines προσωποληψίαν, tanquam quæ ſit minutulum peccatum & minus atrox: qvod qvàm non fiat ullo jure jam evincit D. Jacobus; docens, qvòd qui unum legis præceptum violat, totius legis violatæ reus fiat. Qvem orationis Apoſtolicæ nexum probat *Auguſtinus* Epiſt. 29, & hoc loco *Beda*.

Secundò qværitur: *An aſſerat hic D. Iacobus, legem à quoquam ſervari poſſe totam?* Abſolutè ſi hoc aſſereret D. Jacobus, & concilio Hieroſolymitano, cui ipſe interfuit & prope præfuit Actor: 15. v. 10, & Paulo Rom: 8. v. 3. validè adverſaretur: Sed aſſertio Apoſtoli eſt conditione limitata, hac ſcilicet, qvod ſi quisquam par eſſe poſſet toti legi implendæ, eamq; etiam compleret, re unicâ exceptâ; eum unius mandati transgreſſione, univerſæ legis violatæ reum fieri. Redarguit enim eos, qui legis impletione, à qvâ longè abſunt, inſoleſcunt, more & exemplo iſtius juvenis de quo diſſerit Chriſtus Matt. 19. v. 20.

Tertiò qværitur: *Quo ſenſu transgreſſor unius præcepti ſit reus omnium?* Difficultatem motæ quæſtionis indicat D. *Auguſtinus* Epiſtolâ 29 ad Hieronymum, inquiens: *Quæſo & per Deum obſecro, ut exponas mihi quod multis ſpero profuturum, quomodo accipiendum, quod in Epiſtolâ Iacobi ſcriptum eſt: Quicunq; totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, omnium reus eſt.* Varietate ſenten-

tiarum luxuriant interpretes, *Paezius*, *Eſtius*, *Cornelius à Lapide*. Nolo illis recenſendis immorari: nec enim magnam præ ſe ferunt veri ſpeciem. Veram ſententiam ex ipſa ſcriptura eliciemus. Lex certè Dei non acqvieſcit in mutilatâ obedientiâ, ſed conſummatiſſimam reqvirit, adeo ut qui legem in re ullâ violat, legis univerſæ reus ſit, juxta divinam comminationem Deut:27.v.26. *Maledictus qui non permanſerit in omnibus*. Ducunt huc Emphatica Apoſtoli verba, πταίειν, τηρεῖν, ἔνοχον εἶναι. Πταίειν eſt impingere, offendere; & πταῖσμα non tam lapſus, qvam offenſio eſt. Τηρεῖν autem eſt in re qvapiam obſervandâ curioſum & accuratum eſſe. Ἔνοχος deniq; propriè eſt, qvi qvaſi vinctus tenetur. Quæ ſi junguntur, orationem Apoſtoli efficiunt quàm maximè grandem. Docere vult, Legem poſcere exactiſſimam obedientiam, qvæ minimam excludat offenſionem. Si enim committitur πταῖσμα qvoddam, ſeu levior, humano judicio, aberratio, non præſtat hominem à legis maledictione tutum, quòd in reliquis legis præceptis obſervandis fuerit plane curioſus. Nam unica illa à Lege aberratio, è rigore legis æſtimata, efficit, ut ſis unus è numero τῶν ἐνόχων, id eſt eorum, qui vinctis manibus & pedibus in exteriores tenebras juſſu Domini præcipitantur, teſte Chriſto Matth.22.v.13. Et eò libentius huic expoſitioni accedo, quò veriſimilius eſt conſentire hic Jacobum cum *Chriſto*, qui dixit Matth. 5.v.19. *Quisquis ſolverit unum è minimis hiſce mandatis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum*. Faſcinarat hæc opinio Phariſæos, qvod legem exactè impleret, qvi maxima legis præcepta ſervabat, licet in minora mandata ſubinde impingeret. Improbat hoc & *Chriſtus* & *Iacobus*, & tàm ille, quàm iſte urget, qvod qui legem in uno transgreditur, totius legis transgreſſor ſit.

Qvartò quæritur: *Anne paritas peccatorum ex hac Iacobi aſſertione, neceſſariò ſequatur?* Si enim qui unum legis præceptum transgreditur, omnium reus ſit: quæ poterit eſſe peccatorum diſparitas? Quod eſt Stoicum παράδοξον. Sed facilis eſt reſponſio. Scriptura clarè docet, peccatorum maximam eſſe diſparitatem, æſtimandam tùm ex diverſitate objectorum in quæ peccatur; nam gravius eſt delictum, quod in Deum, quàm qvod in hominem committitur 1 Sam: 2.v.25; tùm è cauſis, ex quibus peccatur; nam magis enorme peccatum eſt, quod deditâ operâ, quàm quod per errorem & ab inſcio committitur 1 Tim:1 v.14. Lucæ 23.v.34. Act:3.v.17. Johan. 19.v.11. Ebr.10.v.26; tùm deniq; è perſonis, à quibus peccatur: gravius enim peccatum eſt, quod ab homine fideli & illuminato, quàm quod ab infideli perpetratur Lucæ 12. v.47. Johan: 15.v.22.24. Quam ſcripturarum ſacrarum de peccatorum diſparitate aſſertionem conſtantem D. Jacobus hîc non labefactat, tantum abeſt evertat. Nam licèt maledicti ſint omnes & ſinguli, qui unum legis mandatum transgrediuntur; maledictionis tamen & pœnarum in ipſâ morte diſparitas Matth. 10. v.15. Lucæ 12.v.47. 2.Pet 2. v 20.21, diſparitatem peccatorum clarè commonſtrat. Quæ Eccleſiarum noſtrarum doctrina teſtis eſt, falsò accuſare *Tirinum* hoc loco Lutheranos, tanqvam qvi ſtatuant, omnia peccata eſſe paria.

Qvintò qværitur: *An ex hoc Iacobi loco rectè colligant Pontificii, non omnia peccata eſſe mortalia?* *Bellarminus* lib:1 de amiſſione gratiæ cap. 11.pag.106;

& hunc

& hunc ſeqvutus ſuo in hunc locum commentario *Lorinus*, ex hac D. Jacobi aſſertione invictè ſeqvi cenſent, dari neceſſariò qvædam peccata, qvæ non ſunt mortalia, ſed venialia. *Si enim*, inquit *Bellarminus*, *quodvis peccatum, etiam veniale, perfectè ac propriè eſſet contra legem, ſequeretur hominem juſtum, ſtatim atque unum aliquod peccatũ veniale commiſit, eſſe verè ac perfectè Legis prævaricatorem, & per hoc reum omnium cœleſtium præceptorum, juxta hoc Iacobi: Qui offendit in uno reus eſt omnium. Hoc autem falſum & abſurdiſſimum eſſe ex eo conſtat, quod ſcriptura vocat homines renatos, ſimpliciter ſanctos & juſtos & legis divinæ obſervatores* Lucæ 1. v. 6, *etiam cùm peccatis venialibus nemo caret* 1. Joh: 1, 8. Jacob: 3. v. 2. Quæ eſt manifeſta aſſertionis *Moſis, Chriſti, Pauli, Iacobi* impugnatio. *Moſis* vox eſt Deut: 27. v. 26. *Maledictus qui non permanſerit in omnibus.* *Chriſti* aſſertio eſt Matth. 5. v. 19. *Qui ſolverit unum è minimis mandatis, minimus eſt in regno cœlorum.* *Pauli* rotunda theſis eſt Rom: 6. v. 23. *Stipendium peccati mors eſt.* *Iacobi* hoc loco monitio eſt: *Qui in uno offenderit omnium reus eſt.* Fruſtra urgentur eorum exempla, qui in ſcripturis (ut loqvitur *Bellarminus*) ſimpliciter appellantut ſancti, à peccatis levioribus haud intacti. Etenim homines, vel ſanctiſſimi, è rigore legis æſtimati, haudqvaqvam cenſeri poſſunt aut debent ſancti. Notæ ſunt hæ ſanctiſſimorum qverelæ: Jobi cap. 9. v. 2. 3. *Quî juſtus eſſet mortalis, comparatus cum Deo forti: Si volet litigare cum eo, non poterit reſpondere ei ad unum ex mille.* *Davidis* Pſalm: 143. v. 1. *Ne ingrediaris in judicium cum ſervo tuo: quia in conſpectu tuo non juſtificabitur ullus vivens.* Pſal. 130. v. 3. *Si obſervaveris iniquitates Domine, quis ſuſtinebit?* *Pauli* Rom: 7. v. 14. *Scimus legem eſſe ſpiritualem, ego autem carnalis ſum.* Qvod vero fideles ac regeniti prædicantur ſancti, id fit partìm *imputatione juſtitiæ Chriſti* Rom: 8. v. 1. 2. 3. Col. 2. v. 10; partìm *inchoatione*; quia Deus per ſpiritum regenerationis inchoat novam obedientiam ſecundum omnia mandata Dei Luc: 1. v. 6. Phil: 3. v. 12. 15. *Sed dices: noſtroſmet Theologos probare diſtinctionem peccati in mortale & veniale.* Concedo; ſed diverſiſſimo à Pontificiorum aſſertione ſenſu. Etenim Pontificii, quando urgent, *alia peccata* eſſe *venialia, alia mortalia*, cenſent, qvędam peccata eſſe naturâ venialia, alia vero talia eſſe, ut mortem mereantur: qvod qvàm falſiſſimum eſt. Omne n. peccatum naturâ mortale eſſe, teſtis eſt *Paulus* Rom: 6. v. 16. 23, 1. Cor. 15. v. 56. Gal: 3. v. 10. *Moſes*, Deut. 27. verſu 26, *Chriſtus* Matth. 5. v: 19, *Jacobus* hoc loco. At noſtri Theologi diviſionem peccati in mortale & veniale non ex ipſius peccati naturâ diductam, ſed è gratioſâ Dei æſtimatione deſumptam eſſe volunt. Cùm enim tanta ſit ipſorum renatorum infirmitas, ut ſine labe non ſint 1 Joh: 1. v. 8; ita ſtatuit Deus, non qvidem juxta *legis rigorem* qvi tantus eſt, ut qvi vel tantillum delinquit & exorbitat, omninò ipſi moriendum ſit Deut: 27. v. 26. Rom: 6. v. 23, Jac. 2. v. 10; ſed juxta gratioſam Evangelii æſtimationem, qđ qvęvis peccata fideles morti obnoxios non faciant; ſed ea tantùm, in quæ homo ſciens & volẽs ruit, inq; qvib⁹ ſine ſerio cordis dolore, ſine reſipiſcentiâ perdurat, Jacob: 1. v. 15, Rom. 6. v. 12, & 8. v. 13, 2. Pet. 2. v. 20. 21.

Doctrina. Ne indulgeamus nobisipſis, rati, nos eſſe ſanctiores, quàm re ipsâ ſumus. Deus noſter in lege ſua requirit obedientiam, in qva ne tantillum deſideretur. Caſtigat & culpat tùm interiores cordis motus Rom: 7. v. 7, tùm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

verba otioſa Matth. 12. v. 36; tùm εὐτραπελίαν Eph. 5. v. 4. Singuli itaqve defectus noſtros & agnoſcamus, & defleamus, & deprecemur, imitati *Iobum* cap. 42. v. 2. 3. ſeq. *Davidem* Pſalm: 130. v. 3. Pſalm: 143. v. 1. *Danielem* c. 9. v. 5. ſeq. *Paulum* Rom. 7. v. 14. ſeq.

V. 11. Ὁ γὰρ εἰπών; μὴ μοιχεύσῃς, εἶπε καί; μὴ φονεύσῃς, εἰ δὲ οὐ μοιχεύσεις, φονεύσεις δὲ, γέγονας παραβάτης νόμου.

V. 11. Nam qui dixit: ne mæcheris: dixit etiam; ne occidas: Qvod ſi non fueris mæchatus, occideris autem, factus es transgreſſor legis.

HIc primò quæritur: *Quis ſit nexus orationis Apoſtolicæ? & qui genuinus adducti verſus ſenſus?* Cùm non ignoraret Apoſtolus, grande παράδοξον eſſe, hunc omnium mandatorum divinorum reum eſſe, qui vel in minimum legis divinæ præceptum impegerit, qvod dictum fuit verſu proximè præcedente: promit jam D. Jacobus aſſertionis ſuæ rationem, ſumptam ab intentione & mente Dei in lege ferenda. Etenim Deus, monitore Apoſtolo, legem ſuam haud rogavit, ut eſſet flexilis qvædam mutilatæ obedientiæ regula: normam eſſe voluit exactiſſimam, ad qvam omnes & ſingulæ noſtræ actiones, conatus, cogitatus, affectus, molimina accuratiſſimè eſſent exigenda. Quocirca qvi in ullum legis præceptum impingit, legislatorem Deum offendit, atq; ita totius legis violatæ reatu ſe obſtringit.

Deinde qværitur: *Quos hac ſuâ monitione Apoſtolus inprimis caſtiget & depectat?* Non conſentiunt Interpretes. *Burgenſis* hoc loco, & *Vasquez* 1 2. q: 73 art: 1 cenſent ſtringi ab Apoſtolo calamum in Phariſæos, qui ridiculè cenſebant, non damnari eum, qui majori ex parte legem obſervaret. Qvem qvidem fuiſſe errorem Phariſæorum non obſcurè docere videtur Chriſtus Mat. 5 v. 19, & eundem diſertè tradit in Deuteromio R. Salomon tit. 1 de pœnit. Sed erroneam illam Phariſæorum ſententiam hic caſtigari, neſcio quâ veritate dicere liceat. Nec enim Phariſæis ſcribit Apoſtolus, ſed ad Chriſtum converſis Judæis: nec qvæſtio eſt, an legem impleat, qui plurima legis præcepta accuratè præſtat: ſed hoc agitur, hoc urgetur: προσωποληψίαν, & quæ ſunt ejus generis alia peccata, judicio hominum levia, non eſſe extenuanda: Deum enim, qui legem tulit, jubere ut omnia & ſingula legis mandata accuratè obſervemus, niſi legis transgreſſores audire velimus. Non itaq; Phariſæos virgulâ cenſoriâ tangit Apoſtol⁹, ſed perſtringit Chriſtianos, qui licet eſſent προσωπολῆπται; tamen volebant audire legis obſervatores, rati, προσωποληψίαν mimutulum peccatum eſſe, non uſq; adeo exaggerandum.

Tertiò quæritur: *An exempla, adducta ab Apoſtolo, de* μοιχεία, de homicidio, evincant, non velle Apoſtolum, quòd qvævis peccata efficiant hominem vere & perfecte prævaricatorem legis; ſed gravia tantùm & enormia peccata, vulgò mortalia dicta? Urget id ſuis in hunc locum commentariis *Lorinus:*

rinus: ſed falsò: Etenim cùm ἁμαρτία ſit ἀνομία, teſte D. Johanne 1 Epiſt. cap. 3. v. 4. quâ vel ſpecie veri dicere licebit, qvòd ullum committi poſſit peccatum, quo homo veré non conſtituatur legis transgreſſor? De μοιχεία & homicidio, hìc nominatis ab Apoſtolo, ſi judicare libet, non ſecundum ſtrabam *Phariſæorum* interpretationem; ſed juxta certiſſimam & fallere neſciam *Chriſti* expoſitionem, traditam Matth. 5. v. 21. 22. ſeq., videbimus inordinatos quosq́ motus, & intra pectus latentes concupiſcentias, & ejus generis alia, qvæ judicio hominum leves aberrationes ſunt, à Chriſto damnari, tanqvam pudendas legis divinæ transgreſſiones.

Doctrina. Qvi vult eſſe ſerius Dei cultor, non debet occupari circa certa legis divinæ præcepta implenda; ſed in omnia ac ſingula Dei mandata intueri debet, ea ut impleat. Monet & mandat id Chriſtus Matth. 5. v. 19: præeunt exemplo ſuo ſancti, *David* Pſal: 119. v. 4. 5. 6. *Zacharias* & *Elizabetha* Lucæ 1. v. 6. & alii.

V. 12. Οὕτω λαλεῖτε καὶ οὕτω ποιεῖτε, ὡς διὰ νόμου ἐλευθερίας μέλλοντες κρίνεσθαι.	**V. 12. Ita loquimini & ita facite, ut per legem libertatis judicandi.**

HIc primò quæritur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia?* Interpretes variant ſententiis. Non pauci ſunt, qvi novam παραίνεσιν hìc tradi dicant; ſed in varias diſtracti ſententias. *Bullingerus* contendit, dogma proponi, de omnibus dictis & factis, ad legem divinam, tanqvam invariatam normam, exigendis. *Calvinus* cenſet præceptum tradi, de jure rigidiſſimo, lenitate & miſericordiâ temperando. *Paezius* hortationem eſſe vult, de exhibendis miſericordiæ operibus. Rectius *Piſcator*, *Paræus*, *Lorinus*, *Eſtius*, *Iuſtinianus*, *Cornelius à Lapide*, pertexi cenſent telam, qvam de vitandâ προσωποληψία Apoſtolus initio capitis orſus fuerat, & per plusculos verſus diduxerat. Vere id dici oſtendemus qvæſtione tertiâ; inibi monſtraturi, qvomodo qvæ hìc dicuntur ab Apoſtolo, vitio προσωποληψίας refutando efficaciſſimè ſerviant.

Secundò quæritur: Quid nomine legis libertatis hic veniat intelligendum? Diſſentientes interpretum ſententias, & enumeravimus & æſtimavimus capitis præcedentis verſ. 25. qvæſt. 2: qvò etiam lectorem remittimus, ne rei ejusdem iteratio accidat moleſta.

Tertiò quæritur: Quis ſit verborum à D. Iacobo adductorum ſenſus? & quomodo quæ hic dicuntur, προσωποληψίαν oppugnent? Curabimus ut oratio Apoſtoli, qvæ primo intuitu videtur impeditior, & ab inſtituto paulò alienior, expeditiſſima evadat, & inſtituto D. Jacobi accommodatiſſima. Novimus omnes, legem libertatis, Evangelium, ignorare perſonarum diſcrimen. In Teſtamento qvidem veteri non licebat Judæo converſari familiariùs cum homine gentili. At ſublatum eſt illud in N. T. diſcrimen. Qvod D. Petrus credere noluit, anteqvam hujus rei cœlitus moneretur Actor. 10. v. 28. ſeq: Nec tantùm ceſſavit in N. T. Judæi & Græci diſcrimen; ſed etiam doctrinæ Evangelicæ cla-

ra

ri aſſertio eſt, qvòd in Chriſto non ſit Judæus aut Græcus, non ſervus aut liber, non maſculus aut fœmina, ſed omnes in Chriſto unus ſint Galat. 3. v. 28. Qvocirca qvi ita vult loqvi, ita agere, uti decet ſinceros legis libertatis ſeu doctrinæ Evangelii ſectatores & cultores, non poteſt nec debet, honorare divitem & contemnere pauperem: ſic enim perſonarum diſcrimen admittit, per legem libertatis ſublatum. Nam licet in politia externa locum habet diſtinctio Judæi & Græci, divitis & pauperis, ſervi & liberi: attamen ſublata eſt hæc in Chriſto diſparitas, qvippe in qvo omnes unus ſumus, teſte *Paulo* Galat. 3. v. 28. Qvò autem omnes ſcire poſſint, qvantum incurrant periculum, qvotqvot audire volunt Chriſtiani, & legis libertatis, hoc eſt Evangelii, ſectatores ſeduli, & tamen non dubitant divitem honorare in præjudicium pauperum: monet Apoſtolus, qvod tales, tracti ad tribunal Dei, non è lege libertatis, ſed è lege Moſis judicandi ſint. Etenim lex illa libertatis, ſeu Evangelium, non admittit diſcrimen perſonarum Actor. 10. v. 34. 35, nec pauperes arcet, ſed potius accerſit & advocat, teſte *Chriſto* Luc. 4. v. 18. & Paulo 1. Cor. 1. v. 26. 27. Qvi itaq; de aliis judicium facere noluit, juxta Evangelium, qvod non minus pauperes, qvàm divites in Chriſto honorandos & amandos docet: hunc Deus in extremo judicio juxta legem libertatis ſeu juxta Evangelii doctrinam, à peccatis propter Chriſtum non abſolvet, ſed eundem juxta legis Moſaicæ rigorem, morti & damnationi æternæ adjudicabit, tanqvam qvi maledictus ſit, qvod non permanſerit in omnib⁹, qvæ ſcripta ſunt in libro legis Deut. 27. v. 26.

DOCTRINÆ. Non debet in pauperes & afflictioris ſortis homines eſſe durus & difficilis, qvi unicè cupit, ut in extremo die juxta Evangelium, libertatis legem, judicetur. Qviſqvis es, qvi prodis in conſpectum Dei judicandus, non potes non fateri, te eſſe pauperrimum & indigniſſimum, qvi vel aſpicias Deum tuum. Teſtatur id *Iob* cap. 9. v. 2. 3, *David* Pſal. 143. v. 1. *Daniel* cap. 9. v. 5. ſeq. *Filius prodigus* Luc. 15. v. 18. ſeq. alii. Tu itaq; qvi vides Deum blandè te tractare, qvantumvis pauperem & ſordidum, ac te nudum, ſanctitatis ſuæ veſte contegere Apocal. 3. v. 13. 18. Luc. 15. v. 22: debes eodem eſſe in confratrem affectu. Fruſtra enim ſperas, qvod Deus te nudum ac ſordidum amaturus & amplexurus ſit, ſi tu fratrem afflictiorem, & à bonis hujus mundi imparatiorem, non amaveris, æſtimaveris, monitore Chriſto Matth. 18. v. 28. ſeq.

V. 13. Ἡ γὰρ κρίσις ἀνίλεως τῷ μὴ ποιήσαντι ἔλεος. καὶ κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως.

V. 13. Judicium abſq; miſericordia erit ei, qui nō præſtiterit miſericordiam: & gloriatur miſericordia contra damnationē.

HIc primò quæritur, de orationis nexu? *Qui hîc videtur planiſſimus.* Dixerat Jacobus proximo verſu, nos ita loqvi, ita facere debere, ut ſemper memores ſimus, nos per libertatis legem judicandos. Jam monſtrat, qvinam ſint illi, qvi juxta hanc legem judicandi ſunt. Non certè, qvi ditiores honorant; ſed qvi egenis, pauperibus, & afflictis benignum animum & miſericordem affectum probant.

Se-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Secundò quæritur: Quæ ſit κρίσις ἀνίλεως*? & quo ſenſu dicat Apoſtolus, quòd* κρίσις ἀνίλεως *exſpectanda ſit* τῷ μὴ ποιήσαντι ἔλεος*?* Ἀνίλεως κρίσις qvid ſit, certiùs diſcere non poſſumus, qvàm æſtimata vocis, ἀνίλεως, origine. ἵλεως idem eſt qvod ἵλαος, propitius, ab ἱλάω, qvod *Euſtathius* dictum vult, qvaſi ἵεμαι λάειν, id eſt, ἐφίεμαι καὶ ὁρμῶ ἐπιβλέπειν, qvod ii, qui propitii ſunt, libenter aſpiciant eos, qvi precibus aliqvid petitum accedunt. Ἀνίλεως, contra, is eſt, qui non patitur ſibi à qvoquam perſvaderi, ut ſit ἵλεως, id eſt, pronus & propenſus ad reſpiciendum afflictiorem, & ad audiendum ejus preces; qvalis fuit iniqvus ille judex, de quo Chriſtus Lucæ 18. v. 1. 2. ſeq. Qvocirca ἀνίλεως κρίσις eſt judicium, nullâ lenitate, nullâ æqvitate temperatum; jus rigidiſſimum. Talis eſt κρίσις legis Moſaicæ: Hæc enim jus ſuum rigidiſſimè perſeqvitur, nec qvicqvam de ſuo jure remittit; ſed omnes & ſingulos in re ullâ, etiam minimâ, delinqventes morti & condemnationi æternæ adjudicat Deut: 27. v. 26. Hoc vero jus ſubiturus, & hoc judicium exſpectaturus eſt, qui immitis eſt, nec didicit afflictiori parcere, & pauperes leniter tractare, & decenti eos honore afficere. Qvâ de re Chriſtus deditâ operâ diſſerit Matth: 18. v. 28. ſeq.

Tertiò qværitur: *Quid ſit* κατακαυχᾶσθαι ἔλεος κρίσεως? Verbum κατακαυχᾶσθαι, qvo utitur Apoſtolus, emphaticum eſt. Utitur eo tùm *Paulus* Rom. 11. v. 18, tùm hoc loco *D. Iacobus*, ut & cap. 3. v. 14, ac ſignificat gloriari adverſus aliqvem, inſultare alicui, & ut ad originem vocis propiùs accedamus, cervices attollere, & caput, veluti re feliciter & glorioſè geſtâ, exerere: nam radix eſt αὐχὴν, cervix. *Quæritur jam quo ſenſu miſericordia dicatur gloriari adverſus judicium?* Non conſentiunt Interpretes. Varietatem ſententiarum operoſè, ſed, more ſuo, confusè perſeqvitur *Lorinus*: qvâ qvi delectatur, dictum auctorem adire poterit. Ego eò libentius omitto, qvò minus rei bonæ hic invenire licet. *Duæ* ſunt *ſententiæ*, qvæ ad mentem divini ſcriptoris propiùs accedere videntur. *Prior ſententia eſt Gregorii homil: 13 in Evangel: & Bedæ, qui aſſertionem Apoſtoli de divinâ interpretantur miſericordia, hoc ſenſu: Miſericordiam Dei ſuperare Dei juſtitiam & judicium: quia Dei proprium eſt miſereri & parcere.* Dei autem imitatores ſunt, qui ſuam pauperibus probant benivolentiam, nec προσωπολῆπται ſunt. Qvam etiam interpretationem probant *Iuſtinianus* & *Lucas Oſiander*. Expoſitio quidem in ſe pia eſt & ſana; ſed inſtituto Apoſtoli minus accommoda. Nam contextus ſatis docet, Apoſtolo ſermonem eſſe de miſericordia, quam homo homini exhibet: qvâ de re jam dicemus. *Poſterior ſententia eſt Damaſceni lib. 2 parall: cap. 16. Catharini, Salmeronis, Lorini, Eſtii, Cornelii à Lapide, Tirini, Piſcatoris, Paræi, Flacii, Interpretum Belgicorum*, qvi verba Apoſtoli de miſericordia humana explicant. Et verè: Nam hæc expoſitio velut fluit ex ipſa ſententiarum antitheſi, hîc traditâ. Nam veluti judicium rigidum hunc opprimet, qui neſcit miſereri aliorum; ita ei, qvi miſericordiam erga proximum exercet, non erit damnatio; ſed is poteſt glori-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ari & exultim ludere, ut qvi damnationem evaſerit. Hic vero non ſine cauſa qnæſiveris: *Quodnam ſit illud judicium, adverſus quod miſericordia gloriari poterit?* Pontificii, *Lorinus*, *Eſtius*, *Menochius*, de divino explicant, contenduntq; quod miſericordia pauperi probata, opponat ſe judicio Dei, & adverſus illud quodammodo glorietur: quia gratiam veluti extorqvebit, qva homo miſericors ſeveritatem judicii evadet. Quæ eſt periculoſa aſſertio, adverſa *Davidi*, adverſa *Chriſto*, adverſa *Paulo*. Davidis vox eſt Pſalm: 143. v. 1. *Ne congrediaris judicio cum ſervo tuo: Nam non eſſet juſtus coram te ullus vivens.* Chriſti monitio eſt Lucæ 17. v. 10. 11. *Qum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus:* Pauli clara ſententia eſt gloriationi diſertè oppoſita Rom. 3, 27. *Vbi igitur gloriatio? excluſa eſt. Per quam legem? Operum? Non: ſed per legem fidei.* Et Rom: 4. v. 2. *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet quod glorietur: at non apud Deum.* Culpandus itaq, merito eſt *Oecumenius*, qvi ſuo in hunc locum commentario ait: *Si in Idololatris miſericordia erga pauperes poteſt delere peccata, quod è Daniele* cap: 4. *diſcimus: quid non efficiet in fidelibus hominibus.* Qvod ſine maxima in ſangvinem Chriſti contumeliâ vix dici poteſt: Hic enim eſt, qui peccata deleat & tollat Johan. 1. v. 29. 1 Johan. 1. v. 7. Nec *Daniel* cap. 4. v. 24 vim emundandi Idololatram Nebucadneſarem à peccatis adſcribit eleëmoſynæ: tantùm jubet Propheta, ut peccata ſua abrumpat juſtitiâ, hoc eſt, à peccatis ocyſſimè abſtineat, juſtitiam exerceat, pro peccatis juſtitiam colat, alios per vim opprimere deſinat, & contrà, beneficium erga pauperes exerceat. Quæ etiam Rabbi Schelemonis expoſitio eſt. Nec enim פרק ſemper redimere, ſed etiam abrumpere ſignificat Exod. 32. verſu 2. Zachar: 11. verſu 16. Cum itaq; non poſſit ullus hominum ullo ſucceſſu ſe judicio Dei opponere; videndum ſupereſt, *quodnam ſit illud judicium, cui miſericordia, proximo exhibita, inſultare poterit?* Judicium intelligitur Diaboli, peccati, mortis, accuſantis cordis. Deus n. promiſit fore ſe miſericordib⁹ miſericordem. Notæ ſunt hæ promiſſiones. Mat. 5. v. 7: *Beati miſericordes, quoniam ipſis tribuetur miſericordia.* Lucæ 6. v. 37: *Abſolvite & abſolvemini.* Mat. 18. v. 35: *Vt vos remiſeritis hominibus, ita & pater ille cœleſtis faciet vobis.* Quibus & ſimilibus promiſſionib⁹ ſe erigere & ſuſtentare poterit homo, ubi à Diabolo, morte, peccato, ſuomet corde accuſatur. Qvâ enim fumus in alios facilitate, eâdem futurus eſt in nos benignitate Deus, propter Jeſum ſolicitè & juſtâ devotione invocatus, teſte *Chriſto* Matt. 7. v. 12. 1 Joh. 3. v. 14. 18. 19. 20.

Doctrina. Benigni ſimus in proximum noſtrum, etiam pauperrimum & afflictiſſimum. Duri ſi fuerimus in proximum, durum viciſſim & difficilem experiemur Deum. Senſit id ſuo malo *Adonibeſech* Jud. 1. v. 6. 7: ſenſit dives epulo Lucæ 16. v. 20. ſeq: ſentient omnes & ſinguli, qui jus ſuum rigidiùs urgent & perſeqvuntur Matt. 18. v. 28. 29. ſeq: Sin in proximum fuerimus benigni & faciles, Deo gaudebimus propitio & favente. Revocat hanc, pauperibus & afflictis præſtitam facilitatem Deo in mentem & memoriam *Iob*, jam variâ afflictione preſſus, *Iob* 31. v. 13. 14. ſeq. Spondet etiam Deus, velle ſe benignitatis meminiſſe, ubi morbo affligimur, & cum morte luctamur Pſalm: 41. v. 1. 2. 3. 4. Quin & promittit *Ieſus*, ſe prædicaturum in cenſorio illo die mimiſericordiam & benignitatem, erga pauperes & afflictos exercitam Matt. 25.

Sic fuit prior capitis pars; cui poſteriorem, *de vana jactantia fidei, ab operibus bonis abjunctæ*, jam ſubjungemus.

PARÆNESIS VI. Quâ fides, operibus vacua, non vera & viva, ſed vana & mortua fides eſſe demonſtratur, à v. 14. uſq; ad finem capitis.

V. 14. Τὶ τὸ ὄφελος ἀδελφοί μου, ἐὰν πίστιν λέγῃ τις ἔχειν, ἔργα δὲ μὴ ἔχῃ, μὴ δύναται ἡ πίστις σῶσαι αὐτόν;

V. 14. Quæ utilitas, fratres mei, ſi fidem dicat aliquis habere ſe, opera vero non habeat: Num poteſt fides illa eum ſalvare?

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus?* Diſſeruit D. Jacobus priore hujus capitis parte, de προσωποληψία, eamq; cum fide Jeſu Chriſti conſiſtere non poſſe prolixè oſtendit: jam docere aggreditur, qvod non ſit vera & viva fides, quæ non eſt ferax bonorum operum. Belliſſimè autem cohæret hæc παραίνεσις cum doctrinâ præcedaneâ. Dictum enim fuit verſu 12, ita loqvendum, ita faciendum eſſe, tanquam per legem libertatis judicandis. Hinc ne qvis falsò concludat, licere Chriſtianis pro arbitratu vivere, & qvicqvid libet licere, qvaſi omni lege & obedientiæ nexu eſſent ſoluti; ſubjungit Apoſtolus præſentem παραίνεσιν, qvâ fficaciſſimè commonſtrat, qvòd non vera & viva, ſed ficta & mortua fides ſit, qvæ operibus vacua eſt.

Secundò qværitur: *Quid imprimis permoverit Apoſtolum, ut diſſertationem adeo prolixam de fide, operibus vacuâ, inſtitueret?* Tres hac de re invenio ſententias. *Prima eſt Interpretum Pontificiorum, Lorini, Eſtii, Cornelii à Lapide, Tirini, qui hac D. Iacobi doctrinâ, qua fides operibus vacua impugnatur, refutari volunt doctrinam Simonis Magi, qui ævo Apoſtolico docebat hominem ſolâ fide juſtificari: & addebat, ſufficere ad ſalutem fidem in Chriſtum, ſi vita vel maxime ſpurca ac impura eſſet.* In quem finem citatur à dictis autoribus *Irenæus* lib. 1 cap. 1. & 20. & *Theodoretus* lib. de hæret: fab. Ego certe neq; apud *Irenæum*, qui de Simone Mago & ejus doctrina ex profeſſo agit lib. 1. cap. 20, neq; apud *Auguſtinum*, qui dogmata Simonis Magi enumeravit, lib: de hæreſib. c. 1, neq; apud *Epiphanium*, qvi in Panario hæreſ: 21 monſtroſas Simonis Magi aſſertiones, promit, neq; apud *Euſebium*, qui in vita & dogmatibus Simonis Magi referendis multus eſt lib: 2. hiſt: Eccleſ: c. 13 invenio, qvod accuſetur, tanqvam qvi juſtitiam & ſalutem ſoli fidei adſcribat. Paulina extra controverſiam aſſertio eſt, hominem fide, ſine operibus, juſtificari & ſalvari Rom: 3. v 28. Gal. 2 v. 16 Eph: 2. v. 8. 9. Hanc itaq; ſententiam quando Simoni Mago affingunt adverſarii, aliud non agunt, quàm ut rudioribus perſuadeant, *Lutherum* ſuâ de juſtifica-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

catione doctrinâ, idem cum Simone Mago docere. Qvod diſertè ajunt Interpretes Pontificii, qvi ſcripſere in Epiſtolam Jacobi, *Paëzius*, *Lorinus*, *Cornelius à Lapide*, *Eſtius*, *Iuſtinianus*, *Tirinus*, ſed mendaciſſimè. Nam qvanti æſtimēt bona opera Lutherani, teſtis eſt Apologia Auguſtanæ Confeſſionis, uſa his verbis: *Cùm de tali fide loquamur, quæ non eſt otioſa cogitatio, ſed quæ à morte liberat, & novam vitam in cordibus parit, & eſt opus Spiritus Sancti, non ſtat cum peccato mortali: ſed tantiſper dum adeſt, bonos fructus parit.* *Secunda ſententia eſt Auguſtini, qui libro de fide & operibus* cap. 14. *docet, Pſeudo-Apoſtolorum quosdam aſſeruiſſe, ad ſalutem obtinendam ſolam ſufficere fidem: quia Paulus dixerat, juſtificari hominem fide ſine operibus legis.* Accedit huic ſententiæ *Paëzius*, *Tirinus*, *Corneiius à Lapide*, alii, qui, ſeqvuti Auguſtinum, contendunt, Petrum, Jacobum, Johannem concinnâſſe ſuas epiſtolas, ut hunc errorem confutarent. Ut vero nos, qui audimus Lutherani, ſpectaculum ſimus mundo; audaciſiſſimè contendit *Cornelius à Lapide*, qvòd non ovum ovo ſimilibus ſit, qvàm nos priſcis iſtis hæreticis, qvippe qvi docemus, fidem ad ſalutem ſufficere, qvâ qvisq; fidelis credit Chriſtum pro ſe eſſe mortuum, pro peccatis ſuis ſatisfeciſſe, gratiam & gloriam ſibi meruiſſe. In qva ſententia duo noto. *Vnum; affici gravi injuriâ Auguſtinum.* Nec enim D. Auguſtinus urget veram fidem non ſufficere ad ſalutem; ſed in eo oſtendendo laborat, qvòd non ſit vera fides, qvæ à ſanctioris vitæ ſtudio abjuncta eſt. Evincunt id qvam manifeſtiſſimè Auguſtini verba, qvæ integrè deſcripta ita habent. *Cùm dicit Apoſtolus* [Paulus] *arbitrari ſe hominem juſtificari per fidem ſine operib. legis: non hoc agit, ut perceptâ ac profeſſâ fide, opera juſtitiæ contemnantur, ſed ut ſciat ſe quisq; per fidem poſſe juſtificari, etiamſi legis opera non præceſſerint. Seqvuntur enim juſtificatum, non præcedunt juſtificandum. Quoniam ergo hæc opinio tùm fuerat exorta, aliæ Epiſtolæ Apoſtolicæ, Petri, Iohannis, Iacobi, Iudæ contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer adſtruant, fidem ſine operibus nihil prodeſſe: ſicut etiam ipſe Paulus non quamlibet fidem, quâ in Deum creditur, ſed eam ſalubrem, planeq; Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: Et fides, inquit, per dilectionem operatur. Vnde illam fidem, quæ ſufficere ad ſalutem quibusdam videtur, ita nihil prodeſſeſſe aſſeverat, ut dicat:* Si *habeam omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam nihil ſum.* *Auguſtinus* itaq; non negat. fidem Evangelicam, hoc eſt, veram & vivam fidem ſufficere ad ſalutem; ſed aſſertio Auguſtini eſt, non qvamvis fidem ſufficere ad ſalutem, hoc eſt, eam non ſufficere, qvæ non eſt efficax per charitatem Gal: 5. v. 6. *Alterum; non Pſeudo-Apoſtolorum, ſed verorum Apoſtolorum certam & invictam aſſertionem eſſe, veram & vivam fidem; quam D. Auguſtinus vocat fidem ſalubrem ac planè Evangelicam, ſufficere ad ſalutem.* Pauli enim indubitata aſſertio eſt Eph: 2. v. 8. 9. Τῇ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι διὰ τῆς πίστεως, καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ὑμῶν, Θεοῦ τὸ δῶρον. Οὐκ ἐξ ἔργων, ἵνα μὴ τις καυχήσηται. *Tertia ſententia eſt Flacii, Hemmingii, Piſcatoris, Hunnii, Bezæ, Paræi, Interpretum Belgicorum, & omnium tùm Calvinianorum, tùm Lutheranorum, qui dicunt permotum eſſe ad ſcribendum D. Iacobum falsâ & fanaticâ hypocritarum opinione, qui cum impiè & impure viverent, fidem tamen jactabant, & ſe ſalutem conſeqvuturos gloriabantur.* Quam eſſe vaniſſimam gloria-

tio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

tionem, evidentiſſimè & efficaciſſimè evincit D. Jacobus, ut qui monſtret, qvod vera & viva fides, non ſit ſterilis, ſed ferax bonorum operum. Cui ſententiæ ultrò accedimus. Ex hiſtoria namq; Teſtamenti Novi quàm manifeſtiſſimum eſt, doctrinâ Evangelii, de gratuitâ peccatotum remiſſione, ad effrenem peccandi licentiam abuſos fuiſſe homines. Querela hæc eſt *Chriſti* Matt. 7. v. 21 ſeq: *Pauli* Rom: 6. v. 1. 2. ſeq. *Iacobi* hoc loco; *Petri* 2. Epiſt. cap. 2. v. 18. ſeq: Et hac occaſioue inſtituiſſe D. Jacobum hanc diſſertationem de fide, operibus vacuâ, qvæ ſeqvuntur certò evincent.

Tertiò qværitur: *Quid nomine fidei hîc intelligatur, quæ, ab operibus abjuncta, nequit hominem ſalvare?* Graviſſima hîc nobis à Pontificiis parata eſt adverſaria; ut qui fervidè urgeant, ſermonem eſſe Divo Jacobo de vera fide, & non de umbrâ fidei. Fides enim, ait *Cornelius à Lapide*, fidem veram, & non umbram fidei ſignificat, & talem habuit Abraham, quem hîc citat D. Jacobus v. 21. Et in hanc ſententiam adducitur ab adverſa parte *Auguſtinus* lib. de fide & operibus, cap. 14. *Nazianzenus* orat: 27, *Chryſoſtomus* homil. 2. in Geneſin, *Cyrillus* lib. 10 in Johannem cap. 18, *Hieronymus* in cap. 5. ad Galat: & alii. Non diſputabo quâ fide adverſarii Patres allegent: de re ipſa paulo diductiùs agemus. Vera & viva fides, non tantum verbi divini notitia eſt Romanor. 10. v. 14, nec tantùm eſt firmus aſſenſus, qvo perſuaſi ſumus, nihil contiri verbo divino, quod non ſit longè certiſſimum Ebr. 11. v. 1. Rom. 4. v. 19, Jac. 1. v. 6; ſed inprimis eſt indubitata cordis fiducia, quâ certo ſtatuimus, Deum velle nobis, quantumvis peccatorbus maximis, peccata propter Chriſtum remittere, juſtitiam Chriſti imputare, vitam æternam donare 1 Tim: 1. v. 15. 16. Gal: 2. v. 20. Rom. 8. v. 38. 39. 1. Johan. 5. v. 13. 14. Hæc fides, jam deſcripta, viva fides eſt: nam hac juſtus vivit Rom. 1. v. 17. Nec eſt otioſa hæc fides, ſed δι᾽ ἀγάπης ἐνεργουμένη Galat: 5. v. 6. Cujus ſumma etiam eſt utilitas: tùm quia corde creditur ad juſtitiam Rom: 10. v. 10. tùm quia hâc filii Dei ſumus Joh. 1. v. 12 & remiſſionem peccatorum habemus Gal. 1. v. 7; hac deniq; ſalus & vita æterna obtinetur 1 Pet: 1. v. 9. A qvâ fide, verâ & vivâ, à Paulo commendatâ, qvàm maximè abit fides, de qvâ D. Jacobus hîc agit. Etenim forma & anima veræ fidei, à D. Paulo operoſe deprædicatæ, eſt fiducia immota cordis, in mortem, obedientiam, meritum Chriſti. Sed verò fides, de qua diſſerit D Jacobus, externa tantùm fidei profeſſio eſt. Quod ex univerſo diſſertationis Jacobeæ contextu, quàm manifeſtiſſimum eſt. Hæc enim ſunt D. Jacobi verba, quibus ſtatum quæſtionis velut figit & format: *Quid prodeſt, fratres, ſi quis dicat fidem habere ſe, & opera non habeat? num poteſt hæc fides ſalvare ipſū?* Ubi obſervari jubemus curioſiùs verba Apoſtoli: Nec enim ait; *ſi quis fidem habeat:* ſed, *ſi quis dicat ſe habere fidem:* id eſt, jactet fidem, jactet ſe fide juſtum eſſe, ac proinde ſe opera nihil curare. Innuit igitur ac indicat, ſe diſputare contra eos, qui non habent veram fidem, ſed illam falsò jactant: vera ſiqvidem fides eſt ἐνεργουμένη δι᾽ ἀγάπης Galat: 5. v. 6. *Bellarminus lib. 1 de Iuſtificat: cap. 15. reponit, notaſſe Apoſtolum jactantiam improborum, qui de ſola fide gloriantur, ita ut loci ſententia ſit: Si quis fidem habere ſe dicat, id eſt, ſi quis fretus ſolâ fide, eam jactet, & in ea ſe acquieſcere dicat, ſciat talem fidem ipſi nihil profutu-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

futuram. Quod enim Apoſtolus indicare eâ phraſi noluerit, fidem non inveniri in iis, qui non ſunt feraces operum, perſpicuum eſſe cenſet, è verbis ſeqventibus: *Nunquid fides poterit ſalvare illum.* *Duo* reponimus. *Vnum*; *jactantiam fidei non eſſe fidem.* Adverſarius itaq; ſe ſuo reſponſo conſtringit. *Alterum*; *gloriari omnino licere ſola fide, tanquam quæ omnino ſalvet.* Nam quâ quæſo veritate affirmare licebit, qvod vera fides, qvæ eſt immota in meritum, obedientiam, paſſionem Chriſti, fiducia, non poſſit ſalvare, abjuncta ab operibus? Nonne in Evangelio dicitur: Fides tua te ſalvavit Matth. 9. v. 22. Marc: 5. v. 34? Nonne in Epiſtolis Paulinis ſcriptum eſt: Juſtificatur homo fide, ſine operibus Rom: 3 v. 28. Gratiâ ſalvati eſtis per fidem, ſine operibus Eph: 2. v 8. 9. Firmat aſſertionem noſtram D. Jacobus, quando verſu qui proxime ſequitur inſtituit fidei, de quâ agit, & charitatis, collationem, ſed ita attemperatam, ut clarè teſtetur, non conferre ſe veram fidem & charitatem, ſed vanam fidei jactantiam & charitatem, in lingvâ & labiis ſitam. Et quis adeo depuduit, dicere ut præſumat, veram fidem, à D. Jacobo commendatam, communem eſſe piis cum malignis ſpiritibus? qvippe quâ ſumus filii Dei, Johannis 1. verſu 12. Sed de hac re diſſeretur deditâ operâ in ipsâ Epiſtolæ explicatione. *Verum-enimverò præter Interpretes antea citatos, Bellarminus lib. 1 de juſtificatione cap 15, tribus inprimis argumentis, è textu Iacobæo petitis, evincere conatur, Iacobo de vera fide ſermonem eſſe, Primò, quia Iacobus eam abſolute fidem vocat* v. 14. *Quod nomen in literis ſacris ſemper veram fidem ſignificare ſolet. Secundò, quia Iacobus agit de tali fide, qualis fuit Abrahami* v. 20 21; *quæ certè fuit vera fides. Tertiò, quia ſermo eſt de fide, quæ apta eſt juſtificare* v 24: *quod ſolius veræ fidei eſt officium.* Duo poſteriora argumenta ſuis quæq; locis juſtâ diligentiâ excutiemus, eorum vanitatem clarè oſtenſuri: De primo autem argumento, ex hoc verſu deſumpto, hic agemus. *Vrget Bellarminus, quòd Apoſtolus fidem, de quâ agit, abſolutè fidem vocet: quâ voce vera fides indicatur.* Fallitur: Nam fides, quam impugnat Jacobus, non abſolutè vocatur fides; ſed *fides, quam quis dicit ſe habere* v. 14. *fides ſine operibus* v. 14. *fides mortua* v. 20. 26.

Qvartò qværitur: *An ex hoc D. Iacobi loco, diſtinctio Pontificiorum in fidem informem & formatam certò colligatur?* Operoſiſſimi ſunt in hac diſtinctione fidei adſtruendâ, præter *Doctores ſcholaſticos* in lib. 3. ſent. diſtinct. 23, *Pererius* in cap. 15 Geneſ. *Bellarminus* lib 1 de juſtific. cap. 14. & 15, *Gregorius de Valentia* tom: 3. diſp. 1. qvæſt: 4. punct. 3. 4. pag. 245. 246. ſeq. *Stapletonus* lib. 8. de juſtific. cap. 32, *Piſtorius* in Hodæg. pag 219 ſeq. & Interpretes, *Paëzius, Lorinus, Iuſtinianus, Eſtius*, alii. *Fides informis ipſis eſt fides, quæ à charitate ſejuncta eſt: At Fides formata Pontificiis dicitur ea, quæ à charitate, tanquam formâ, perficitur.* Ne vero neſciat Lector, cur hanc fidei, in *informem & formatam diſtinctionem* tanto ſtudio adverſarii propugnent: huc tendunt univerſo conatu, fidem ſolam non juſtificare, ſed univerſam juſtificandi vim & valentiam à charitate mutuari. Præſenti autem Jacobi loco aſſertionem ſuperſtruunt. *Hîc enim, inquit Eſtius, apertiſſimè monſtrat D. Iacobus fidem non ſemper cum operibus eſſe conjunctam, ideoq; diſtinctionem illam fidei informis & formatæ, quam Catholici tradunt, & ſectarii inſectantur eſſe verbo Dei conſentaneam.* Quin & addit, *adeo apertum & evidentem eſſe hunc locum, ut propter eum Martinus Lutherus ali-*

quan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

quando cenſuerit hanc Epiſtolam reſecandam eſſe è Catalogo ſcripturarum. Cui adverſariorum doctrinæ fallaci ut occurramus, *tria* reponenda cenſemus. *Primum* eſt; admittere nos faciles, qvòd qvædam fides poſſit abjungi à fide, & cæteris virtutibus, ac bonis operibus: videlicet fides hiſtorica & miraculoſa. Teſtis ejus rei eſt *Chriſtus* Matth.7.v.22.23. & *Paulus* 1. Cor.13 v.1.2, & hoc loco *D. Iacobus*. *Secundum* eſt; Fidem juſtificantem nexu adeo individuo cum charitate & cæteris virtutibus cohærere, ut neutiqvam ſeparari poſſint. Docet id hoc loco evidentiſſimè *D.Iacobus*: docet *Paulus* Galat:5.v.6: docet *Chriſtus* Johan.15.v.1.2.3. Matth.25.v.34, Lucæ 7.v.42.43: docet *Iohannes* 1 Ep.5. v.1.2.ſeq. *Tertium* eſt: Falli *Eſtium*, qvi vult Lutherum expunxiſſe epiſtolam Jacobæam è numero ſcripturarum Canonicarum, quòd in eâ doceatur, fidem à charitate & cæteris virtutibus ſeparari poſſe. Diſerta enim Lutheri verba ſunt in cap.15.Gen: *Scimus quod fides nunquam eſt ſola; ſed adfert ſecum charitatem, & alia multiplicia dona: ſed non ideo confundendæ res, & quod ſolius fidei eſt, aliis tribuendum.* Quod adeo manifeſtè verum eſt, ut ne qvidem Bellarminus l.1, de juſtific: cap.14. id negare aut velit aut audeat.

Quintò qværitur: *Quo ſenſu & quâ veritate dicat D.Iacobus de fide, operibus vacuâ: μὴ δύναται ἡ πίστις σῶσαι αὐτὸν: Num poteſt illa fides ſalvare ipſum?* Interrogatio hæc efficaſiſſimè negat; id quod è toto contextu maniſeſtiſſimum eſt, ut qvi huc tendat; quòd fallatur, qui ſe ſalvari poſſe credunt fide, ſterili bonorum operum. Τὸ σῶσαι autem, ſeu *ſalvare* qvid ſit, facilè conſtabit, ubi intelligimus, qvæ ſint illa mala, è qvibus verâ fide eluctamur & tuti præſtamur. Peccatum & mors ſunt duo maxima mala, à qvibus nemo non allaborat ut eripiatur & liberetur. Ab his autem malis, omnium maximis, ut liberemur & ſalvi præſtemur, vera fide opus eſt. Nam fide purificantur corda à peccatis Actor.15. v.9, & qui credit in filium non videbit mortem Johan.5 v.24. Quæ duo commoda, quia vera fides præſtat, inde eſt quod fidei adſcribatur in ſcripturis ſalus. Notum eſt hoc Spiritus S. effatum: *Gratia ſalvati eſtis per fidem ſine operibus* Eph 2.v.8.9. *Quæ aſſertio ſalutem tribuens fidei, ſine operibus conſideratæ, quomodo conciliari poſſit cum aſſertione Iacobæâ quâ negatur quod fides, quæ eſt ſine operibus, quemquam ſalvare poſſit, operæ pretium eſt ut monſtretur.* *Paulus* quoties fidei, citra opera conſideratæ, ſalutem adſcribit, toties fidem intelligit, quæ non tantùm eſt notitia verbi divini Rom:10 v.14. nec tantùm eſt firmus aſſenſus, quo perſuaſi ſumus, nihil contineri verbo divino, quod non ſit longè certiſſimum Ebr:11 v.1. Rom: 4. v.18. Jac:1. v.6: ſed quæ inprimis eſt indubitata cordis fiducia, quâ certò ſtatuimus, Deum velle nobis, quantumvis peccatoribus maximis, peccata propter Chriſtum remittere, juſtitiam Chriſti imputare, vitam æternam donare 1 Tim: 1.v.16. Galat:2.v.20. Roman 8. v.38.39. 1 Johan.5.v.13.14. Hæc fides, quâ homines χωρὶς ἔργων, & juſtificari Rom:3. v. 28, & ſalvari Eph:2. v.8.9, docet Paulus, vera & viva fides eſt. At D.Jacobum non de verâ. & vivâ. & juſtificante fide loqui, plurima ſunt quæ certò doceant: Etenim Divo Jacobo ſermo eſt de vanâ fidei jactantiâ v.14; de fide, quæ non niſi in lingva & labiis hæret v.15.16; de fide, quæ nec utilis eſt, nec ſervare poteſt v.14; de fide, quæ καθ᾽ ἑαυτὴν mortua eſt v.17;

de fi-

de fide, quæ in ipſos etiam Dæmones cadit v. 19; de fide, quæ iſto ſenſu fides eſt, quo corpus mortuum corpus eſt v. 26. Quas non eſſe veræ, & vivæ, & juſtificantis, ſed fictæ & vanæ fidei circumloqvutiones, manifeſtius eſt, quàm ut ullâ vel ſpecie veri negari poſſit. Quæ *Bellarminus*, *Valentia*, & *Interpretes Pontificii*, qui in Jacobum commentati ſunt, objectant, ea ſuis locis refutabimus; quanquam magnâ parte vaniora ſint, quàm ut digna ſint, quæ afferantur, nedum operoſiùs refutentur. Ut itaq; concludamus; *Iacobus hos redarguit, qui jactabant fidem, hoc eſt fidei Chriſtianæ externam profeſſionem*, cùm impuram tamen vitam viverent, flagitiis mancipati. Nec enim fieri poteſt, ut vita ſcelerata & vera fides ſimul conſiſtant, docente *Chriſto* Matth. 7. v. 20. 21 ſeq. *Paulo* 1 Cor. 6. v. 9. 10. 15. Galat: 5. v. 19. 20. 21. *Petro* 2 Epiſt. 2. v. 21,

Doctrina. Viderint qui licet impuram vivant vitam, tamen ſe fide donatos credunt, ac regni cœleſtis hæredes ſe eſſe ſtatuunt, ne ſeipſos vanâ fidei umbrâ deludant. Fidem qui jactat, mancipium peccati, fidem falsò jactat. Nec enim fieri poteſt, ut in Chriſtum vere credat, cohæres Chriſti ſuo tempore futurus, qui peccatis nuntium non remittit, nec in operum bonorum ſtudio fervidus eſt. Docet id *Chriſtus* Matth. 7. v. 20. 21. ſeq. & 25. v. 34 ſeq. Joh. 15. v. 1. 2. 3. ſeq. urget *Paulus* 1. Cor. 6. v 9. 10. ſeq. Gal. 5. v. 19. ſeq. inculcat *Petrus* 2. Epiſt. 2. v. 21.

V. 15. Ἐὰν ἢ ἀδελφὸς ἢ ἀδελφὴ γυμνοὶ ὑπάρχωσι, καὶ λειπόμενοι ὦσι τῆς ἐφημέρου τροφῆς.

V. 15. Quod ſi frater aut ſoror nudi fuerint, & indigeant quotidiano victu.

V. 16. Εἴπῃ δέ τις αὐτοῖς ἐξ ὑμῶν, ὑπάγετε ἐν εἰρήνῃ, θερμαίνεσθε, καὶ χορτάζεσθε, μὴ δῶτε δὲ αὐτοῖς τὰ ἐπιτήδεια τοῦ σώματος, τί τὸ ὄφελος.

V. 16. Dicat autem eis aliquis veſtrum: Ite in pace, caleſcite, & ſaturamini: non dederitis autem eis, quæ ſunt neceſſaria corpori: qvæ erit utilitas?

V. 17. Οὕτω καὶ ἡ πίστις ἐὰν μὴ ἔργα ἔχῃ, νεκρά ἐστι καθ' ἑαυτήν.

V. 17. Ita qvoq; fides, ſi opera non habeat, mortua eſt in ſemetipſa.

HIc primò quæritur: *Quis ſit nexus & cohærentia orationis Apoſtolicæ, & qui adductorum verſuum, ad inſtitutum Apoſtoli accommodatorum, genuinus ſenſus?* Dixerat Apoſtolus verſu proximè præcedente, qvod fides, ab opere ſejuncta, etiam verbis operosè jactata & prædicata, nulli ſit uſui, nec apta, quæ hominem ſalvet: nec enim talis fides eſt vera & viva fides. Adſtructurus Apoſtolus aſſertionem, promit hic primum argumentum, deſumptum à mutuâ collatione caritatis, in labiis tantùm hærentis, nec opere declaratæ, & fidei, verbis jactatæ, ſed ſanctis operibus haud oſtenſæ, hoc ſenſu: Veluti qui charitatem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

nunquam non ore crepat, & de propenſiſſimo in proximum affectuglorioſè declamitat, & blandiſſimis verbis hominem pauperem & afflictum compellat, nec tamen ubi res exigit, commodis proximi conſulit, is charitatem nequiter mentitur: ita qui fidem jactant, ſteriles bonorum operum, deſtituuntur verâ fide, & vano fidei ſimulacro ſe oblectant. Nam Deus qui dixit: *Filioli, ne diligamus verbis & lingvâ, ſed opere & veritate* 1 Johan. 3. v. 18: idem ille ſeriò præcepit, *ut lux noſtra, quæ eſt fides noſtra, ita luceat coram hominibus, ut videant ope a noſtra bona, & gloriam tribuant Patri cœleſti* Matth. 5. v. 16 Quocirca veluti bona dicta non proſunt egenti, ubi non ea elargiris in egenum, quibus corpus nudum veſtiat, famem propulſet: Ita nec fides, deſtituta operibus, prodeſt credenti. Non itaq; confertur vera charitas cum verâ & vivâ fide, ſed collatio inſtituitur inter vanam falſæ fidei, & fictæ charitatis jactantiam: quarum nullus eſt uſus. Liquet hoc quam manifeſtiſſimè ex ipſis Apoſtoli verbis. Nam de fide dixit Apoſtolus verſu præcedente: *Si quis dicat ſe habere fidem:* De charitate autem hoc verſu ait: *Si quis dicat egeno: ito, caleſcito, ſaturator, nec dederit quicquam.* Quæ D. Jacobi verba evidentiſſimè evincunt, σύγκρισιν inſtitui, non inter veram fidem & veram charitatem; ſed inter vanæ fidei & vanæ charitatis jactantiam.

Secundò quæritur: *Quid nomine fratris & ſororis hîc intelligatur?* Non tàm intelligitur frater & ſoror cognatione naturę, & ſangvinis, qvàm fidei, ita ut frater hîc ſit vir Chriſtianus, & ſoror, mulier Chriſtiana. Nam omnes illos, qui ejusdem nobiſcum religionis ſunt, quàm maxime noſtros eſſe fratres & ſorores teſtis eſt Chriſtus Matth. 12. v 47. 48 49. 50. Cæterùm licet omnibus benefacere tenemur Matth: 5. v 44 45.; attamen maximé his obligati ſumus, qui eundem nobiſcum colunt Deum, eandem nobiſcum profitentur fidem, monitore *Chriſto* Matt: 10. v. 42. & *Paulo* Galat: 6. v. 10.

Tertiò qvęritur: *Qui cenſendi ſint eſſe nudi?* Druſius commonet l. IX. præteritorum, notis in hunc locum pag 366, *nudos* intelligi, non qui ſine omni veſtitu ſunt, ſed qui malè veſtiti ſunt, aut qui neceſſario veſtitu deſtituti ſunt. Sic Paulus 1 Cor. 4. v. 11. *Eſurimus. nudi ſumus:* non qvòd ſine omni veſte fuerit, ſed quòd male veſtitus fuerit. Luculenter interpretationem adſtruit, quod eſt Job 22. v. 6. *Nudos veſtibus ſpolias.* Certè qui nullas plane veſtes habet, is ſpoliari non poteſt. Amos 2. v. 16. *Miles nudus fugit*: hoc eſt, amiſſis armis aliisqve diſciplinæ militaris inſtrumentis. Conſimili modo nudus ſæpè dicitur, cui deſunt indumenta ad rem præſentem neceſſaria. Nudus luget, qui non habet veſtes lugubres, ſaccum, centonem, cilicium Eſa: 10. v. 2. Mich: 1. v. 8. Saul nudus prophetat 1 Sam. 19. v 24, hoc eſt, ſine veſte propheticâ. Quæ eſt Druſii diſſertatio. Utiliùs monetur, nomine *nuditatis* & *famis* omnes intelligi calamitates, quibus vita humana obnoxia eſt, & quæ alienâ ope ſublevari poſſunt Job 30. v. 25. Pſal. 41. v 1. 2. ſeq Matth 25. v 35. 36. ſeq. Lucæ 15. v. 14. ſeq. Duobus enim eget vitæ humanæ corporalis ſuſtentatio, videlicet victu & amictu. Unde hæc D. Pauli monitio 1 Tim. 6. v. 8. *Habentes* διατροφὰς καὶ σκεπάσματα, *alimenta & veſtimenta, hæc nobis ſatis e unt* Quocirca Jac b Gen. 28 v. 20. ſpondet ſe fore aſſiduū Dei cultorem, ſi veſtimenta & alimenta ſuppeditet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Qvartò quæritur : *Quid per ἐφήμερον τροφὴν hîc intelligatur?* Dimenſum quotidianum eſt. Comici, Alexis & Antiphanes, vocârunt τροφὴν καθ᾽ ἡμέραν: Græci interpretes Dan. 1, 5. τὸ τῆς ἡμέρας καθ᾽ ἡμέραν: qui id habent & acquieſcunt, Græcis καθημερόβιοι dicuntur. Chriſtus, qvod Jacobus vocat ἐφήμερον τροφὴν, ἄρτον ἐπιούσιον appellat Matt. 6. v. 11.

Qvintò qværitur : *Quid ſibi velit loqvutio, ὑπάγετε ἐν εἰρήνῃ?* Loqvendi forma, ὕπαγε ἐν εἰρήνῃ, ut hoc loco, aut ὕπαγε εἰς εἰρήνην, ut Marc. 5. v. 33, aut πορεύου εἰς εἰρήνην, ut Luc. 7. v. 50. & 8. v. 48, trita eſt loqvendi & precandi forma, qvâ cuipiam omnem proſperitatem & felicitatem vovemus. Sic *Ioſeph* qværit de pace ſui patris Gen. 43. v. 27, & *Moſes* ac *Iethro*, mutuò quærunt de pace Exod. 18 v. 7, id eſt uterq; de alterius incolumitate. Sic *Eliſæus* dicit ad Sunamitidem 2. Reg. 4. v. 26. *Num pax tibi, viro, & filio? Pauperem* itaq; *in pace ire jubet*, qui pauperi precatur ut vivat, valeat, ſalvus ac incolumis ſit.

Sextò qværitur : *Quid intelligatur hoc voto: θερμαίνεσθε, χορτάζεσθε?* Θερμαίνεσθαι, vi nativâ vocis, eſt caleſcere, calefieri. Hîc vero agitur de calore, qui corpori nudo è veſtitu conciliatur : Veſtis namq; frigus arcet à nudo corpore, quod contegit. Nec nova eſt hoc ſenſu hæc verbi θερμαίνεσθαι uſurpatio, nam apud Jobum cap. 31. v. 20. calefieri eſt veſtiri. Verba Jobi ſunt, juxta Græcam 70 Interpretum verſionem : ἀπὸ κουρᾶς ἀμνῶν μου ἐθερμάνθησαν οἱ ὦμοι γυμνῶν: *de tonſura agnorum meorum calefacti ſunt humeri pauperum.* Χορτάζεσθαι vero propriè eſt gramine ſaturari : hinc laxiore ſignificato, ali, nutriri, ſaginari, ſatiari. Nam χόρτος proprie gramen eſt, ampliore vero ſignificatu eſt πᾶν βρῶμα. Cæterùm *ſaturandi* verbum non ſemper exceſſum ſignificat, in vitio poſitum, annotante *Lorino*: ſed ſufficientiam, quâ fami & ſiti liberaliter ſatisfiat, veluti videre eſt Matt. 14. v. 20. Marc. 6. v. 42. Luc: 6. v. 21. & 16. v. 21. Phil. 4. v. 12. Verborum itaq; adductorum ſumma & ſenſus eſt : *Hoc optamus, hoc precamur vobis pauperculis, nudis & famelicis, ut ſint vobis veſtes, quibus corpus nudum contegatur; affatìm etiam vobis ſuppetat cibus & potus, quibus famem & ſitim propulſetis.* Blanda verba, ſed quæ non proſunt, cum rem non habeant comitem, veluti jam dicemus.

Septimò qvęritur: *Quâ veritate dicatur, quod blanda verba, quibus afflictiores compellantur, non ſint uſui, ſi τὰ ἐπιτήδεια τοῦ σώματος non dentur?* Jubetnè Dei Spiritus ut afflictos ſolemur Job 29. v. 13. Eſa. 40. v. 1? Iſta certè conſolatio placet & probatur Deo, ſi vel maximè pauperior & afflictior es, quàm ut pauperi ope tua ſubvenire poſſis Matth. 10. v. 42. Quæ ergo mens Apoſtoli, negantis, humanum alloquium, quo compellamus pauperes, prodeſſe quicquam, non accedente ope? Apoſtolus noſter alloquitur divites, quibus juvandi copia ſuppetit. Nam ait: Δῶτε τὰ ἐπιτήδεια. Non vult Dei Spiritus, ut ita juvemus, ut ipſi penuriâ laboremus 2. Cor. 8. v. 13: ſed hoc urget, ut qui abundant, alios prompto animo & liberali manu juvent, 1. Johann. 3, v. 17. Nam

blan-

blandum divitis alloqvium, non accedente ope, qvâ tenuitas pauperis ſublevatur, non eſt vera, ſed falſa charitas, quæ nec habenti eam, nec egenti prodeſt. Quando itaq; Apoſtolus ait: τί τὸ ὄφελος; hoc vult: qvod qui blandè alloqvitur pauperem, nec beneficio ullo eundem afficit, is veluti alloquio iſto non prodeſt pauperi, ita nec à Deo, tanquam qvi benefic⁹ ſit, ullam remunerationem polliceri ſibi poterit. Antequam hinc abeam⁹, monemus, voce τὰ ἐπιτήδεια, plurali numero ſignificari ea, quæ ad victum neceſſaria ſunt, & commoda: Et eſt vocabulum apud hiſtoricos, inprimis *Thucydidem*, *Xenophontem*, *Herodianum*, alios, maximè uſitatum. Primitivum eſt ὁ καὶ ἡ ἐπιτήδειος, idoneus, habilis. Unde apud ſcriptorem noſtrum τὰ ἐπιτήδεια τοῦ σώματος ſunt, qvæ pauperi tegendo & alendo neceſſaria ſunt, ſeu, qvod ait *Horatius*, qvibus doleat natura negatis: *Paulus* vocat alimenta & tegumenta 1. Tim. 6. v. 8.

Octavò qværitur: *Quid ſit fidem, operibus vacuam*, καθ' ἑαυτὴν νεκρὰν εἶναι? Duas hic invenio ſententias. Prior ſententia eſt *Bellarmini lib. 2 de juſtific: Paëzii, Lorini, Eſtii, Juſtiniani, Cornelii à Lapide*, Interpretum Jacobi, ut & reliqvorum ſcriptorum Pontificiorum, *qvibus cùm certum ſit, ſermonem eſſe Apoſtolo de vera fide; volunt, fidem à charitate & bonis operibus ſeparatam, dici mortuam, non eo ſenſu, quo homo dicitur mortuus, qui poſt mortem non eſt: ſed eâ acceptione, quâ corpus dicitur mortuum, quod quidem poſt mortem eſt, ſed non vivit: Vita enim*, inqvit *Bellarminus, non eſt de eſſentia fidei, quemadmodum eſt de eſſentia hominis: ſed per metaphoram dicitur fides viva cum operatur, mortua cum non operatur.* Si itaq; mentem Pontificiorum rectè capio, fides qvidem, de qvâ agit D. Jacobus, vera fides eſt; ſed vocatur *mortua fides*, quia ſine caritate non eſt actuoſa. Nam mortuum dicitur omne qvod actuoſum non eſt: quo ſenſu corpus Abrahami, non quia mortuum, ſed quia ineptum ad gignendum, vocatur σῶμα νενεκρωμένον Rom: 4. v. 19. Ebr. 11. v. 12. Quæ ſententiæ Jacobeæ interpretatio extremè falſa eſt. Qvâ enim vel ſpecie veri dicemus, fidem veram & juſtificantem, ſine operibus mortuam eſſe? hoc eſt, non eſſe actuoſam, operoſam. Nihilne vera fides præſtare poteſt, abſq; operibus conſiderata, & ab his ſejuncta? Nonne fides, χωρὶς ἔργων, juſtificat Rom. 3. v. 28? Nonne fides ſine operibus ſalvat Matt. 9. v. 22. Marc: 5. v. 33 Eph. 2. verſib. 8. 9? Et quis conceſſerit, qvòd caritas & opera vitam fidei & agendi virtutem conferant? Impugnatur iſta aſſertio à ſcripturâ velut deditâ operâ. Notum eſt hoc elogium, fidei à Propheta Habacuch cap. 2. v. 4 & à Paulo Rom. 1. v. 17. Ebr. 10 v. 38 tributum: *Juſtus è fide ſua vivet.* Et ne quis credat, qvòd fides operibus & caritati debeat vim & virtutem operandi: contrarium docet & tuetur D. *Paulus* ad Gal: 5. v. 6, qvando ait, qvòd fides ſit ἐνεργουμένη δι' ἀγάπης. Non ignoro, *Bellarminum*, *Stapletonum*, *Piſtorium*, urgere in loco Paulino paſſivam ſignificationem, hoc ſenſu; Fidem reddi actuoſam per charitatem, ita ut fides mutuetur univerſam efficaciam à charitate: ſed falluntur. Nam fides dicitur ἐνεργουμένη δι' ἀγάπης, quia generat veram dilectionem, & illi perfectionem & conſummationem largitur. Quam interpretationem propugnat; tùm Græca vox ἐνεργουμένη, qvippe quæ in N. T. activam ubiq; obtinet ſigni-

ficationem, veluti videre eſt Rom. 7. v. 5. 2. Cor. 1. v. 6. & 4. v. 12. Eph. 3. v. 20. Col. 1. v. 29. 1. Theſſ. 2. v. 13. 2. Theſ. 2. v. 7. Jac. 5. v. 16: tùm phraſis Græca: Si enim vox ἐνεργουμένη, uſurparetur ab Apoſtolo ſignificatione paſſivâ, dicendum eſſet ἐνεργουμένη παρ' ἀγάπης: tùm deniq; rei ipſius natura: fides enim prior eſt charitate, qvippe qvæ eſt omnium virtutum & actionum, qvæ Deo probabuntur & placebunt, fundus & fundamentum; juxta illud Pauli Ebr. 11, 6. χωρὶς πίστεως ἀδύνατον εὐαρεστῆσαι. Nec præteriri debet, qvòd Apoſtolus dicat, *Fidem* καθ' ἑαυτὴν *mortuam eſſe, ſi opera non habeat.* Qvocirca fidem hîc non æſtimat Apoſtolus ab actu externo, ſed à ſemetipſa; ſiqvidem diſertè dicat, qvòd fides, de qvâ agit, in ſe mortua ſit, ſi opera non habeat. Eluſio mera eſt, & putida λογομαχία: fidem hîc non vocari mortuam, eo ſenſu, quo homo, è cujus corpore anima migravit, vocatur mortuus; ſed eâ acceptione quâ corpus, deſtitutum vivificante Spiritu, corpus vocatur. Nam in quamcunq; formam ſe vertant adverſarii, ſuis, quas comminiſcuntur, diſtinctiunculis: manet hoc indubitatò certum, fidem, de quâ hîc agit Apoſtolus, non eſſe veram fidem. Si enim fides, qvam hîc ſub cenſuram vocat D. Jacobus, alio ſenſu non eſt fides, quàm quo corpus, ex quô anima exceſſit, dicitur corpus, qvod urget *Bellarminus, Menochius, Tirinus, Eſtius*; certè non eſt vera fides. Nec enim corpus, deſtitutum animâ vivificante, verum corpus eſt, ſed cadaver, indignum veri corporis nomine. Poſterior ſententia eſt *Flacii, Calvini, Hemmingii, Paræi, Bullingeri, Piſcatoris,* & cæterorum Interpretum, tàm *Calvinianorum* qvàm *Lutheranorum, qui contendunt, hoc velle Iacobum: fidem, hoc eſt, fidei externam profeſſionem, mortuam fidem eſſe, id eſt fallacem profeſſionem fidei eſſe, ſi opera non adſint. Nam qvi ex animo religionem Chriſtianam profitetur, hic certe profeſſionem opere ornat, idq; ut illuſtri documento probet; quod fides ſeu fidei profeſſio externa ſit ſincera & vera, non verò vana & ficta.* Cui expoſitioni non poſſumus non accedere: tùm quia non licet verba Apoſtoli explicare, de verâ & juſtificante fide: nec enim vera & juſtificans fides eſt mortua fides: tùm quia Apoſtolo ſermonem eſſe de fidei externâ profeſſione, oſtendendâ opere externô, ſi ſeria & viva, non autem fucata & mortua cenſeri debet, manifeſtiſſimum eſt è verſ. 14. & 18. tùm deniq; quia ſcripturæ clariſſima aſſertio eſt, qvòd nihili ſit externa fidei profeſſio, ſed planè vana & mortua, ubi non comitantur opera: fuſè hoc docente ſervatore Chriſto Matth. 7. v. 21. ſeq.

Doctrina. Improbat quam maximè Deus jactantiam fidei, qvam charitas & bona opera non comitantur. In qvam ſententiam lege, quæ diductè diſſerit Jeſus Matth. 7. v. 21. 22. ſeq. Nec ignota eſt Servatoris parabola, de duobus filiis, quorum alter dicebat ſe iturum in vineam, nec ibat; alter verò negabat iturum ſe, ſed tamen ivit, Matth. 21. v. 28. 29. ſeq.

V. 18. Ἀλλ' ἐρεῖ τις· Σὺ πίστιν ἔχεις, κἀγὼ ἔργα ἔχω. δεῖξόν μοι τὴν πίστιν σου ἐκ τῶν ἔργων

V. 18. Sed dicet qvis: Tu fidem habes, & ego opera habeo. Oſtende mihi fidem tuam ex operi-

γων σου, κἀγὼ δείξω σοι ἐκ τῶν ἔργων τὴν πίστιν μου.

ribus tuis, & ego oſtendam tibi ex operibus meis fidem meam

HIc primò quæritur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia?* Diſſentiunt Interpretes. *Eraſmus vult occupationem eſſe, quaſi, ut oſtendat Iacobus, nec fidem abſq; operibus, nec opera ſine fide quicquam valere, inducat hic duos colloquentes, quorum alter, fretus fide, negligat opera; alter, nimium æſtimans opera, his fidat, neglectâ fide: Iacobus autem, utriusq; ſermonem refellens, dicat: Neutrum, quod alteruter habet, ſufficit ad ſalutem: non ſunt ſeparanda opera à fide, nec fides ab operibus: jungi debent, ut proſint ad ſalutem.* Non probo: tùm quia trium perſonarum quæ colloqvuntur, veſtigium in oratione Apoſtolicâ comparet nullum: tùm quia nulla hic diſputatio eſt de operibus ſine fide: tùm quia falſum eſt, veram fidem ſine operibus non ſufficere ad ſalutem: id enim qui dicit, Paulo adverſatur Eph. 2. v. 8. 9. *Hugo, Thomas Anglicus, & qui hos ſequuntur Lorinus & Eſtius, irriſionem eſſe volunt, quâ homo fidelis, ferax bonorum operum, huic inſultat, qui fidem jactat, ſterilem bonorum operum.* Cornelius à Lapide cenſet, hanc irriſionem videri indignam gravitate Apoſtolicâ, & modeſtiâ Jacobi. An itaq; minus gravis fuit *Elias*, qui Baalaitas irriſit 1 Reg. 18. v. 27? Abitne Deus ab illâ, quæ ipſum decet, gravitate, impium quando ridet Pſal: 37. v. 13. Prov: 1. v. 26? Hoc itaq; telo non expugnatur interpretatio. Validiùs pugnaveris, ſi ex ipſo orationis habitu argumentum duxeris: Nam ſi quæ dicuntur hoc verſu, ironica ſunt: ironia etiam inſit oportet verbis, verſu proximo ſubjunctis: Nam continuatur oratio cœpta hoc verſu. At verſu iſto 19 nullam eſſe ironiam, vel hæc verba, *Rectè dicis*, clarè oſtendunt. *Probo itaq; Paræum, Piſcatorem, Cornelium à Lapide, Interpretes Belgicos, qui volunt novum eſſe argumentum, ordine ſecundum, alloquio figuratum, quo fides, abjuncta ab operibus, refutatur,* ductum à proprio veræ & ſinceræ fidei effectu, qui eſt, id re præſtare, qvod verbis glorioſè jactatur, hoc ſenſu: *Merito dicat aliquis pius & verè fidelis homini hypocritæ, fidem ſuam verbis glorioſiùs jactanti: Tu tuam prædicas fidem, & de eâ te jactitas: Ego verò tacitus do operam piis factis. Vt vero certus ſim de tua fide, eam oſtende & declara bonis operibus: meæ viciſſim fidei integritatem ac ſinceritatem ex operibus meis tibi probabo.* Cui interpretationi eò libentius accedimus, quò propiùs accedit ad inſtitutum Apoſtoli, & verbis ipſius exactiùs reſpondet.

Secundò quæritur: *Quo ſenſu dicat Apoſtolus: Tu habes fidem? Piſcator, Paræus, Interpretes Belgici, hoc non niſi per conceſſionem dictum volunt: non quòd habeat fidem, ſed mimeſi quadam, hoc ſenſu: Eſto, ſit ita ut dicis, te ſcilicet habere fidem.* Non probo: Nam hominem illum, quem alloquitur Apoſtolus, fide quavis penitùs carere qui dixerit, adverſabitur *Iacobo*, qui tantum abeſt neget, hominem qvem refutat, omni carere fide, ut laudet, quòd fidem habeat, v. 19. At vero negat *D. Iacobus*, quòd illam habeat fidem, quæ eſt ſalvifica fides. Nam fides, quâ inſoleſcit hypocrita, quem caſtigat Apoſtolus, non niſi hiſtorica fides eſt, conſiſtens in nudâ Dei & rerum divinarum notitiâ, aſſenſu & profeſſione, quæ communis eſt ipſi cum Dæmonibus, v. 19. Ultro itaq; dat *Iacobus*, hypocritam iſtum habere fidem hiſtoricam, ſeu externam fidei profeſſionem;

 ſed

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ſed qvam nihili eſſe in conſpectu Dei inde oſtendit, quòd ſe per bona opera non prodat; quod ſemper facere ſolet viva illa & ſalvifica fides.

Tertiò quæritur: *Quid ſibi velint verba: Et ego opera habeo?* Neutiquam hoc vult *Iacobus*, ſufficere ut quisquam probaturus ſe eſſe hominem verè pium & probum, qvòd producat opera, ſed ſine verâ fide: tùm quia hic non diſputat contra vivam & ſalvificam fidem, ſed impugnat vanam fidei jactantiam: tùm qvia extra controverſiam certum eſt, ne hili eſſe opera, quæ à fide verâ & vivâ non fluunt: Nam quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt Rom: 14. v.27. *Paræus, quia videt meminiſſe Apoſtolum operum, ſine ullâ fidei mentione, ne excludi videatur fides, absq; quâ nihili ſunt opera, nomine operum intelligi vult fidem operantem: ſive per Synechdochen unius pro altero: ſive per metonymiam effectus pro causâ: Opera enim ſunt fidei juſtificantis effectus.* Ego veluti durum eſſe credo tropum, opera interpretari fidem operantem: ita ſimplicior erit interpretatio, & verbis Apoſtoli exactiùs reſpondens, ſi fidem interpretemur jactabundam fidei profeſſionem, operibus caſſam: cui opponuntur opera bona, quibus homo verè pius, ſine inſolenti deprædicatione, ſedulò operam dat. Firmat expoſitionem ſervator Jeſus parabolâ de duobus filiis, quorum alter paratè dixit iturum ſe in vineam paternam, nec ivit; alter vero licet negaret iturum ſe, tamen ivit Matth 21. v.28. ſeq: *Vter, inquit Ieſus, fecit, quod voluit pater?* Quem credo eſſe ſimpliciſſimam verborum interpretationem & ſenſum, ſcopo Apoſtoli conformem. Senſus ergo erit: Tu fidem inſolenter jactas: Ego vero piis factis tacitus vaco.

Qvartò quæritur: *Quid ſit, fidem ex operibus oſtendere?* Recte monet præter Flacium in Clavi, pag. 1081. 1082, Cornelius à Lapide, qvòd τὸ δεῖξαι ſeu oſtendere, non tantùm in ſcriptura ſignificet rem ſpectandam proponere, ſed & re ipſâ exhibere, dare, donare, largiri. Sic Pſal. 71: *Oſtendiſti mihi anguſtias multas*, id eſt, experiri feciſti. Pſal: 60: *oſtendiſti populo tuo dura*. 2 Tim: 4. v.14. Alexander, faber ærarius, multa mihi oſtendit mala. Contrà, de rerum bonarum communicatione, idem uſurpatur verbum Johan. 10. v.32. *Multa bona opera oſtendi vobis à patre*, id eſt, præſtiti vobis multa beneficia, à patre impetrata. Pſalm: 4: *Quis oſtendet nobis bonum?* id eſt, dabit aut communicat nobis bonum. Cum ergo ait Jacobus: *Oſtende mihi fidem ex operibus*: exigit, non tantùm ut illa oculis videnda ſubjiciatur, ſed & re ipſâ communicetur, & commodum ac utilitatem aliquam conferat, vel eleemoſynas impertiendo, vel adjuvando, vel conſulendo, vel aliis qvibusq; modis, commodando, quod non abs re monet *Cornelius à Lapide*.

Qvintò qværitur: *Quomodo explicanda ſint verba: Oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego oſtendam tibi ex operibus meis fidem meam? Et quid de variante hîc lectione ſtatuere conveniat?* Senſus verborum non eſt in obſcuro. Huc tendunt omnia, ut monſtretur diſcrimen inter veram & falſam fidei profeſſionem. *Tu fidem*, inqvit Apoſtolus, *crebrò jactas & inſolentiùs: Si ſeria eſt, ſi ſincera eſt, jubeo ut eam piis factis, & homine Chriſtiano dignis operibus teſtere. Quod niſi feceris, apparebit te fidem falsò profiteri. Et ne conqueri poſſis, iniquam eſſe conditionem, quam tibi propono, & quam abs te poſtulo: en ego meam fidem, quam in hunc usq; diem non glorioſè jactavi; ſed Deo potiùs tacitus probare ſtudui,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ſtudui, eidem examini ſubjicio, paratus illam oſtendere è ſuis fructibus, hoc eſt, bonis operibus. Quam eſſe genuinam Apoſtoli mentem, à *Piſcatore, Paræo*, & *Interpretibus Belgicis* indicatam, haud ambigo. Ad *variantem lectionem* quod attinet, ea eſt *triplex. Prima eſt vulgatæ verſionis, quæ legit: Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus.* Nec eſt purum putum vulgati Interpretis figmentum: Monet enim *Robertus Stephanus* quædam exemplaria legere: δεῖξόν μοι τὴν πίστιν σου χωρὶς ἔργων. Sententiæ huic accedit *Druſius* lib. 9. præteritorum pag. 366. *Secunda lectio eſt Exemplaris Veronenſis, quæ habet:* δεῖξόν μοι τὴν πίστιν σου: *ſine ullo additamento, de operibus, quæ adſint, aut abſint.* Et eadem lectio extat in *Oecumenio. Tertia in Exemplaribus Græcis vulgatiſſima eſt, his concepta verbis:* δεῖξόν μοι τὴν πίστιν σου ἐκ τῶν ἔργων σου? Quam meritò præferimus & probamus: non tàm quia in omnibus propè exemplaribus invenitur, quàm quia eam cohærentia textus, & Apoſtoli inſtitutum, neceſſario exigit. Nam ut Apoſtolus vani jactatoris fidei inſolentiam retundat & compeſcat, jubet ut operibus fidem faciat profeſſioni fidei: Nec enim fidem Chriſtianam ex animo profiteri cenſebitur, qui vitam profeſſioni contrariam vivit.

Sextò quæritur: *An opera veram fidem certo demonſtrent, ita ut quicunq; exteriùs ſtudioſus eſt bonorum operum, verâ fide indubiè præditus ſit?* Movent hanc quæſtionem *Eſtius* & *Paræus*, & ſolvunt. Dubitandi cauſa eſt, quòd nimis multi hypocritæ inveniantur, qvi opera edant, in ſpeciem laudatiſſima: quâ de re lege differentem Chriſtum Matth. 6. v. 1. 2. ſeq. & 7. v. 21. 22. & Paulum 2. Tim: 3. v. 5. Quâ ergo veritate jubet Jacobus, ut fidei ſinceritas ex operibus demonſtretur? *Paræi* reſponſio eſt, diſtingvendum eſſe inter opera apparenter bona, judicio hominum, & inter opera verè bona judicio Dei: Illa ſunt omnia opera, à Deo præcepta, quæ charitas in Eccleſia ex fide fluere judicat: & ſic Jacobus vult fidem operibus oſtendi. At opera verè bona ſunt ea tantùm, quæ à Deo præcepta, ex fide fiunt, hoc fine, ut Deus glorificetur. Quocirca opera hypocritarum moralia vel miraculoſa, non ſunt vere bona opera, quia non fiunt ex fide juſtificante, nec ad gloriam Dei, ſed ad oſtentationem coram hominibus Matth. 6. v. 5. vel ad meritum Lucæ 18. v. 11. Concludit *Paræus*, opera ſemper arguere fidem, judicio hominum, ſed non judicio Dei. Homo enim adſpicit quæ ſunt præ oculis: at Jehova adſpicit quæ ſunt in corde 1 Sam 16. v. 7. In quâ reſponſione, tanqvam ſatis probâ, acqvieſco. Qvæſtio enim eſt, qvomodo homo homini ſinceritatem fidei probare poſſit.

Doctrina. Non eſt certior & ſolidior ratio monſtrandi ſinceritatem fidei, qvàm per bona opera. Convincit hoc argumento Chriſtus Phariſæum vanæ jactantiæ Lucæ 10. v. 29. 30. ſeq. Hac via incedet Chriſtus in extremo die, convicturus homines, qvod fidem falsò jactarant Matth. 7. v. 20. ſeq. & 25. v. 41. 42. ſeqq. Pareamus itaq; *D. Petro*, jubenti, ut vocationem & electionem noſtram bonis operibus ſtabilem reddamus 2. Pet: 1. v. 10, & memores ſimus moniti Chriſti, quod arbor bona ſemper ferax ſit boni fructus, mala mali, Matth: 7. v. 16. ſeqq.

V. 19. Σὺ πιστεύεις, ὅτι ὁ Θεὸς | **V. 19. Tu credis, qvòd Deus**

ς εἷς ἐστι. καλῶς ποιεῖς· καὶ τὰ δαιμόνια πιστεύουσι, καὶ φρίσσουσι.

us ſit unus. Rectè facis: Dæmonia etiam credunt & horreſcũt.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus?* Tertium eſt argumentum, quo Apoſtolus fidem, quæ notitiam Dei & voluntatis divinæ glorioſiùs jactat, abjunctam à bonorum operum ſtudio, confutat, deſumptum à paritate fidei talium hominum & Dæmoniorum. Senſus eſt: *Glorioſè jactas te myſteria divina probè intelligere, ac inter alia credere, Deum eſſe unum, in lege monſtratum* Deut. 6. v. 4, *in Evangelio annunciatum* Marc: 12. verſib. 29. 32. Johan: 17. v. 3, *ac proinde negare te, ac damnare commentitiam illam Deorum multitudinem, à Gentilibus nequiſſimo ſtudio introductam: in quo nemo non te probat, & fidem ac confeſſionem illam laudat. At quod ex hac fide, quæ nudâ abſolvitur notitiâ, aſſenſu & externa profeſſione, promittis tibi vitam & ſalutem æternam, in eo graviſſime delinquis. Nam hæc fides tibi cum Diabolis communis eſt, qui æternùm pereunt.*

Secundò quæritur: *Quid ſit credere Deum eſſe unum?* Qui credit Deum eſſe unum, ille plurima Deo tribuit. Solenne Dei in ſcripturis elogium eſt, qvòd ſit unus. Notum eſt illud Moſaicum Deuter: 6. v. 4: *Audi Iſraël, Iehova Deus noſter, Iehova unus eſt.* Nec ignota eſt hæc *Pauli* aſſertio 1. Tim. 2. verſ. 5. *Vnus eſt Deus.* Deum autem qvando unum prædicamus, hoc volumus, *Dominum & Deum noſtrum, talem ac tantum Dominum eſſe, ut ſolus ſit, ſine ſocio ſit, ſupremus & altiſſimus ſit: qui parem non agnoſcat ullum, multò minus admittat ſuperiorem, à quo, ſive quà eſſentiam, ſive quà ſcientiam & voluntatem, ſive quà actionem dependeat; ſed qui à ſeipſo totum id ſit quod eſt, & divinum in omnia imperium exerceat: Nec præter ipſum alius quiſpiam ſit aut eſſe poſſit, qui Deus ſit, imo qui ſolus omnia ſit, adeo ut ſine ipſo nihil quidquam ſit, aut ad momentum ſubſiſtere poſſit.* Cui eſſentiæ divinæ unitati ſingulari, jam explicatæ, ſerviunt firmandæ hæc divinarum ſcripturarum effata Deut: 32. v. 39: *Videte nunc me, me ipſum, & nullum Deum mecum, me morte afficere & vita reſtituere, frangere me & ſanare, nec eſſe qui è manu mea eripiat.* Pſal: 86. v. 10: *Magnus es atq; mirificus, tu Deus ſolus es.* 1 Corinth 8. verſu 6: *Nobis eſt unus Deus pater ille, à quo omnia & nos in ipſo.* Deuter: 10. verſu 17. *Iehova Deus noſter, is eſt Deus Deorum, & Dominus Dominorum, Deus fortiſſimus, potentiſſimus, maximus, ſummeq; formidabilis.* Eſa: 44. v. 6. 8. *Sic ait Iehova, Rex Iſraëlis, vindex ejus, Iehova exercituum: Ego primus & ego ultimus, ac præter me nullus Deus. Ne paveatis neq; timeatis. An eſt Deus præter me? Vtiq; nulla eſt rupes, nullam novi.* Eſa 45. verſ. 5. 6. 7. *Ego Iehova, & nullus præterea, præter me nullus Deus, accingo te, quanquam ignores me, ut cognoſcant gentes ab ortu ſolis, & ab occaſu ejus, nullum eſſe præter me, me Iehovam eſſe & nullum præterea: formantem lucem & creantem tenebras, facientem pacem, & creantem malum: me Iehovam facere omnia iſta.* Quæ, & ejus generes alia ſcripturarum dicta, docent, qvot & qvanta comprehendantur ſingulari iſtâ unitate, à qvâ Deus in codice ſacro commendatur.

Tertiò qværitur: *Quid ſibi velint verba:* καλῶς ποιεῖς: *quibus commendatur ejus hominis fides, qui credit Deum eſſe unum?* Abſolutè non probare

Apo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Apoſtolum dictis verbis fidem, quæ hîc deſcribitur, ex iis quæ proximè adduntur hoc ipſo verſu, qvàm manifeſtiſſimum eſt: Nam monſtrat, quòd nihil habeat hæc fides, quo emineat ſupra fidem malignorum ſpirituum. Hoc indicare tantùm vult *D. Iacobus*, hominem iſtum contra quem diſputat, in eo mereri laudem, quod indubitatò ſtatuit Deum eſſe unum, improbatâ commentitiâ illâ Deorum multitudine, à gentilibus confictâ. Nam id ut credamus, Deus ipſe diſertè jubet Deut: 6. v. 4. Quocirca hic credendi actus non poterit non eſſe bonus, tùm quia in ſe eſt res maxima; nam qui hoc credit, is credit, Deum, cœli & terræ conditorem, omnia gubernare ſuâ providentiâ, omnia ſine ipſo in nihilum recidere: tùm quia à Deo ipſo præſcriptus eſt & imperatus. At errat, monitore Apoſtolo, qui credit, ſe hac fide ſalvum fore: Hoc enim quàm falſiſſimum eſſe, vel inde liqvere poteſt, qvod hæc fides ſit iſti homini cum Dæmoniis communis: veluti poſt docebitur.

Qvartò qværitur: *Quæ & qualis ſit Dæmonum fides?* Diſertè docet *D. Iacobus* Diabolos credere. Qvalis verò ſit hæc fides, paucis indicandũ eſt. Abſcindo otioſiſſimas Doctorũ Pontificiorum diſputationes, qualis ſit ille fidei habitus, qui in Diabolis invenitur. Iſtis qui delectatur argutiis, adeat *Thomam, Magiſtrum ſententiarum, Alenſem, Gregorium de Valentia, Vasqvezium, Suarezium*, & alios Thomæ commentatores, ut & interpretes Jacobi Pontificios, *Catharinum, Salmeronem, Paëzium, Iuſtinianum, Lorinum, Cornelium à Lapide, Tirinum, Menochium*. Noſtra commentatio ſe continebit intra terminos ſcriptutæ, quæ clarè docet, Diabolos divina myſteria longè plurima noviſſe. In Evangelio legimus, Diabolos & noviſſe & confeſſos fuiſſe, qvòd Jeſus eſſet veri Dei proprius filius, & qvòd ejus genuinum officium eſſet, ut opera Diaboli deſtrueret: Hæc enim totidem verbis tradita inveniuntur Marc: 5. v. 7. Matth: 8 v. 29. Nec ignoraverunt maligni ſpiritus, Apoſtolos eſſe ſervos Chriſti, & doctrinam, qvam profitebantur, unicè ſalutarem doctrinam eſſe. Quæ eſt ipſiſſima malignorum ſpirituum, de Apoſtolis & ipſorum doctrinâ, confeſſio Act. 16. v. 17. & 19. v. 15. Hæc autem malignorum ſpirituum fides, qvâ norunt myſteria fidei, eaq; longe veriſſima eſſe ſtatuunt, tantum abeſt ipſis ſit ſaluti, ut contrà majori cedat condemnationi. Nam cum agnitæ Dei voluntati maligni ſpiritus ſe non ſubmittant, nec ex immensâ Dei bonitate ullam ſalutis ſpem concipiant, nec omnipotente Dei virtute, ſatis notâ, in obſeqvium Dei ullo modo flectantur; hinc eſt, qvòd D. Jacobus de Diabolis dicat: τὰ δαιμόνια πιστεύουσι καὶ φρίσσουσι. Ubi premenda eſt emphaſis verbi φρίσσειν. Nam Græci, ſignificaturi metum vehementiſſimum, eumq; ſubitaneum, quo qvis corripitur, uſurpare ſolent verbum φρίσσειν: nam hoc ſenſu invenies hanc vocem apud *Plutarchum* & alios: qvò etiam ducit radix vocis. Nam φρὶξ eſt fremitus & horror maris ac fluctuum. Docere vult Apoſtolus, qvòd ea ſit natura fidei Dæmonum, ut quò plura noverunt de myſteriis divinis, eò majora metuant tormenta: tantum abeſt, fides, qvam habent, ſpem ſalutis ingeneret. Quâ de re vide qvæ tradita inveniuntur Matth. 8. v. 29. 2. Petr. 2. v. 4. Judæ v. 6. Apoc. 20. v. 10.

Qvintò qværitur: *An ex hac collatione fidei hominis, non habentis opera, & fidei Dæmonum, certò colligatur, non eſſe D. Iacobo ſermonem de vera fide, qua-*

lem Paulus, agens de juſtificatione Rom: 3 *deſcripſit?* Sudes eſt hoc argumentū D. Jacobi in oculis adverſæ partis. Dicere non audent, quòd fides vera, tantopere in ſcripturis commendata, & abſq; quâ nemo Deo placere poteſt Ebr. 11, 6, communis ſit fidelibus hominibus cum malignis ſpiritibus, æternùm perituris. Vertunt itaq; ſe in varias formas, ut claræ veritati tenebras offundant. *Maxime ſpecioſa eſt Bellarmini lib. 1 de juſtific. cap: 15 reſponſio, fidem hominum improborum, partim convenire cum fide Dæmonum, partim ab ea diſſidere. Convenit in eo, quod utraq; eſt vera & recta fides ex parte objecti, & tamen utraq; infructuoſa. Et hoc modo comparat Apoſtolus Iacobus fidem hominum improborum cum fide Dæmonum. Differunt autem fides hominum malorum & fides Dæmonum, quòd hominum fides libera eſt, captivante nimirum piâ voluntate intellectum in obſequium Chriſti: Fides vero Dæmonum eſt coacta & extorta ab ipſa rerum evidentiâ. Quod inſinuavit Iacobus dicens: Dæmones credunt & contremiſcunt.* Hæc *Bellarminus:* in cujus reſponſo pluſcula occurrunt, digna quæ ſeveriùs caſtigentur. *Primò,* eluſio mera eſt; *Fidem Dæmonum, ab objecto æſtimatam, veram fidem eſſe.* Quæro an fidei veritas ab objecto unicè æſtimanda ſit? Certè fides ideo vera & ſincera cenſeri non poteſt, quia verſatur circa ea omnia, quæ Deus propoſuit credenda. Modus etiam requiritur, qvo vera fides objectum, qvod Deus præſcripſit credendum, apprehendit. Nam veluti Deus in verbo ſuo monuit, quænam ſint quæ à nobis velit credi: ita etiam docuit, quo modo velit ea ipſa à nobis credi. Sive in illo, ſive in iſto erretur, ſinceritas fidei perit & exſpirat. Eſto, Diaboli fides, non minus verſatur circa verum fidei objectum, qvàm hominis maximè fidelis: attamen non eo modo hic occupatur, quo fides hominis verè fidelis. Adeſſe utrobiq; poteſt notitia & aſſenſus: fiducia tamen illa, qvæ in homine verè fideli invenitur, in Diabolo deſideratur: Nam Dæmones credunt, & tremūt, teſte Jacobo. Hæc autem fiducia ubi abeſt, fides vera non adeſt, qvippe quæ in ſcripturis diſertè vocatur θάρσος, ſeu confidentia Joh. 16. verſu ultimo, Matth: 9. v. 22; πληροφορία ſeu firma perſuaſio Rom: 4. v. 21; πεποίθησις ſeu indubitata fiducia 2 Cor. 3. v. 4. Eph. 3, v. 12. Phil. 3. v. 4. *Deindè minùs verum eſt, quod fides Diaboli, ab objecto æſtimata, vera ac ſincera fides ſit.* Nam ſive reſpicis *objectum fidei adæquatum,* ſive *princeps ac proximum;* fides Dæmonum neutiqvam vera fides eſt. Etenim *adæquatum fidei objectum* eſt qvicqvid Deus in verbo ſuo revelavit Actor: 24. v. 14. Rom: 10. v. 17. 1 Theſ: 2. verſu 13. Ubi certè deficit fides Dæmonum. Nec enim fertur in promiſſiones de miſericordiâ Dei, concedente *Bellarmino,* & approbante D. *Iacobo.* Nam quia Diaboli non fidunt promiſſionibus divinis, de Dei miſericordia, inde eſt qvod ita credant, ut contremiſcant. *Proprium* vero *& proximum fidei objectum,* eſt ipſe Chriſtus, quatenus pro illo ipſo, qui credit, mortuus, paſſus, & reſuſcitatus eſt. Qualem fidem in Diabolo fruſtra qvæſiveris. Nec enim dicere poteſt: *Chriſtus dilexit me, & tradidit ſe ipſum pro me* Gal: 2. v. 20; *Chriſtus miſertus eſt mei* 1 Timoth: 1. v. 16: *planè perſuaſum eſt mihi, nihil poſſe ſeparare nos à charitate illâ Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu* Rom: 8. v. 38. 39. Quocirca minus verè dicitur, quòd Diaboli fides ſit vera fides, ſive ab objecto fidei adæquato, ſive ab objecto fidei proprio & proximo, fides æſtimetur. *Tertiò fallit Bellarminus, dum ait, in eo*

con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

conſiſtere differentiam fidei Dæmonum & hominum, impiè & impurè viventium, quod illa ſit coacta & extorta ab ipsâ rerum evidentiâ; hæc autem ſit libera, captivante piâ voluntate intellectum, in obſequium fidei. Qvâ enim vel veri ſpecie dixeris, qvòd in hominibus impiis & impuram vitam viventibus, pia voluntas flectat intellectum in obſeqvium fidei? An in hominibus ſive palàm malis, ſive hypocritis, pia voluntas eſt? Anne hominum vere piorum elogium eſt, quòd captivam velut teneant rationem in obſequium Chriſti 2 Cor. 10. v.5? Et ſi vel maximè in eo differt fides Dæmonum à fide hominum, opera bona negligentium, quòd hæc ſit libera, illa autem coacta; hinc tamen nihil exſculpere poterunt adverſarii, commodaturum cauſæ. Hæc enim eſt princeps qvæſtio, de qvâ hîc diſputatur: *An fides hîc tributa hypocritis & Dæmonibus, vera fides ſit?* Merito id negatur; quia horrorem incutit credenti, ſeu ipſum omnibus artubus tremere facit: qvod repugnat veræ fidei. Hæc enim liberat hominem omni metu, juxta dicta: *Iuſtificati fide, pacem habemus apud Deum* Rom 5. v. 1. *Nihil condemnationis in his, qui ſunt in Chriſto Ieſu* Rom. 8. v. 1. Antequam verſum hunc concludam, moneo; tantam eſſe hic manifeſtæ veritatis vim, ut confeſſionem vel invitis adverſariis extorqueat. Nam *Bellarminus loco adducto fatetur, hanc hypocritarum & Dæmonum fidem, infructuoſam fidem eſſe.* Sed an vera fides eſt infructuoſa? Negat id *Paulus* Eph. 2. v. 8. 9. negat *Petrus* 1 Pet. 1. v. 9. Nam & ille & iſte ſalutem fidei adſcribit. *Cornelius à Lapide contendit ſuo in hunc locum Commentario, fidem, de quâ hîc agitur, non niſi inanem cognitionem eſſe, ac inertem ac ſocordem credulitatem, quâ credis Deum juſſiſſe, ut hæc & illa facias, quæ tamen facere & operari non vis.* Verùm hæccinè eſt vera fides? Tantum abeſt ſcriptura agnoſcat eam fidem eſſe veram fidem, qvæ eſt ſterilis bonorum operum, ut contrà doceat, qvòd arbor bona ſit ferax boni fructus Matth. 7. v. 17; & quòd qui fide eſt inſitus Chriſto, optatos ſanctitatis fructus producat Johan. 15. v. 1. 2. ſeq.; & quòd vera fides ſit ἐνεργουμένη δι᾽ ἀγάπης Gal. 5. v. 6; quòd deniq; fides, quæ non habet opera, καθ᾽ ἑαυτὴν mortua fides ſit Jac. 2. v. 17.

Doctrina. Non ſufficit ut dicaris verè fidelis, vitam æternam poſt hanc vitam certò aditurus, quòd credas Deum unum eſſe, omnium conditorem, omnium conſervatorem, univerſorum judicem. Hæc fides tibi cum Diabolo communis eſt; ut qui hoc, & multò plura, de Deo & divinis rebus norit Matth. 8. v. 29. Marc. 5. v. 7. Actor. 16. v. 17. & 19. v. 15. Neceſſe eſt eò progrediare, ut dicere poſſis cum *Paulo* Gal. 2. v. 20. *Vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem filii Dei: qui dilexit ME, & tradidit ſeipſum pro ME.* Rom. 8. v. 16. *Ipſe Spiritus teſtatur unà cum ſpiritu noſtro NOS eſſe filios Dei.* Rom. 8. v. 31. 32: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui ſane proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum.* Hæc fiducia, quâ optima quæq; de divinâ bonitate nobis promittimus, nihil morati Diaboli, peccati, mortis, inferni inſultus; certa eſt veræ ac victricis fidei nota 1. Cor. 15. v. 55. 56. 57. Contrà, ubi trepidatio eſt, ubi fuga Dei eſt, ubi deſperatio eſt; ibi non vera & viva fides, ſed Dæmonum fides eſt. Nam Dæmones contremiſcunt, ait *Iacobus*. Omnes etiam impii omnibus tremunt artubus, de Deo ubi cogitant, exemplo *Caini*, *Achitophelis*, *Iudæ*. Contrà, omnibus verè fidelibus dictum eſt à *Paulo* Roman. 8. v. 15. *Non ac-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

cepiſtis ſpiritum ſervitutis rurſum ad metum, ſed ſpiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba Pater.

V. 20. Θέλεις δὲ γνῶναι, ὦ ἄνθρωπε κενὲ, ὅτι ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστιν;

V. 20. Vis autem ſcire, ô homo inanis, quòd fides ſine operibus mortua ſit.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus?* Tàm ille, qvàm iſte eſt planiſſimus. Docuit ſuperiùs Apoſtolus tribus rationib⁹, quòd vana fidei jactantia & nuda profeſſio, à ſanctioris vitæ ſtudio ſejuncta, non ſit vera fides; idem jam duobus exemplis evincere aggreditur. Nam hæc verba: θέλεις δὲ γνῶναι: interrogatio eſt docere cupientis: quaſi dicat; *Si cupis adhuc clariùs noſſe, quod fidei externa profeſſio ſine operibus vana ſit; id te exemplis, petitis è ſacro codice, cui te credere ais, clarè docebo* Sic Rom. 13. v. 3. *Vis non timere poteſtatem?* id eſt, ſi cupis ſcire, quomodo id conſequi poſſis, docebo te. Sic Joh. 13. v. 12. *Intelligitis quid fecerim vobis?* quaſi dicat, ſi nondum intelligitis, docebo vos. Quæ eſt *Piſcatoris* hoc loco obſervatio.

Secundò qværitur: *Quid per* κενὸν ἄνθρωπον *hic intelligatur?* Notum eſt, quod κενὸς propriè vanum, inanem; hinc per modificationem tropicam, vacuum, ſignificet. Liquet hinc, contra quos Apoſtolus diſputet; videlicet, contra inanes, vacuos, & vanos fidei ſectatores: qui quoniam fidem non veram, qvippe operum ſterilem, glorioſè jactabant, tanqvam veram & vivam fidem, idcirco Apoſtolus eos vocat homines *vacuos* ſeu *inanes*; alludens proculdubio ad vaſa vacua. Nam veluti inania vaſa, ſi pulſentur, magis ſonorum ſonum & clariorem tinnitum edunt, qvàm quæ optimo quovis liqvore ad ſummum uſq; repleta ſunt: Ita hypocritæ fidem, qvam non habent, verboſiùs jactant & deprædicant, qvàm verè fideles & pii.

Tertiò qværitur: *Impingatnè Apoſtolus in monitum* Chriſti, *jubentis ne dicamus fratri noſtro,* ῥακὰ, Matth. 5. v. 22? Nam *Heſychio*, doctiſſimo Grammatico, ῥακὰ, κενὸς eſt. Et ſeptuaginta Interpretes Judic. 11. v. 3. homines ריקים vertunt ἄνδρας κενοὺς. Sed facilè expeditur hoc dubium. Chriſtus abſolutè & universè non vetat, ne qvisqvam à nobis appelletur tali vocabulo; ſed jubet, ne id fiat ex odio aut impotenti ira. Nam ſi quispiam alium, imprimis eum, in quem habeat imperium & inſpectionem, hoc aut ſimili ſermonis verbere caſtigat, & quidem fraterno corrigendi animò, tantum abeſt facto hoc ſuo peccet, ut prælucentem ſibi habeat exemplo ſuo, tum *Chriſtum* Matth. 23. v. 17. 18. Lucæ 24. v. 25. tum *Paulum* Gal: 3. v. 1. 2. 3.

Qvartò qværitur: *Quo ſenſu fides dicatur ſine operibus mortua?* Quod dubium qvia juſtâ diligentiâ expedivimus & expendimus v. 17. qvæſt. 7, eò lectorem benivolum volumus remiſſum.

Doctrina. Qvamqvam omnem lenitatem adhibendam eſſe moneat Dei Spiritus in fratribus, qui infirmitate humanâ errant, emendandis, & in re-

ctam veritatis viam reducendis Gal: 6. v. 1; hoc tamen non impedit, quò minus aſperiore alloqvio hos compellemus, qvos aut malitiâ errare, aut vitæ turpitudini mancipatos eſſe, aut hypocriſi ac falſa ſanctitatis perſuaſione tumere, animadvertimus. Præit exemplo *Chriſtus* Matth. 23. v. 13. 14. 15. ſeq. Lucæ 24. v. 25: ſeqvutus eſt præeuntem magiſtrum *Paulus* Gal: 1. v. 7. 8. & 3. v. 1. & 5. v. 10. Idem ut faciant, qvotqvot ſinceri verbi divini miniſtri non tàm haberi, quàm vere eſſe voluut, jubet Deus Ezech. 33. v. 1. 2. 3. ſeq.

V. 21. Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ἡμῶν, οὐκ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἀνενέγκας Ισαὰκ τὸν ὑϊὸν αὐτοῦ ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον;

V. 21. Abraham pater noſter, nonné ex operibus juſtificatus eſt, qvum obtuliſſet filium ſuum Iſaacum, ſuper altare?

HIc primò quæritur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus?* Planiſſimùs eſt. Promiſerat Apoſtolus verſu proximè præcedente, planiſſimum facturum ſe, quod fides, vacua operibus, non viva, ſed mortua fides ſit. Evicerat id ſuperiùs pluſculis rationibus longè validiſſimis. Ne verò quidqvam deſit ad ſolidam & maximè perſpicuam inſtitutionem, adjungit *duo exempla*, inſtituto validè adſtruendo ſervitura, *Abrahami* ſcilicet & *Rahabæ*: nam nec illum, nec iſtam, fide, operum ſterili, juſtificatum eſſe oſtendit.

Secundò qværitur: *Quo ſenſu Abraham vocetur eorum, ad quos D. Iacobus ſcribit, pater?* Judæis per totum terrarum orbem ſparſis ſcribit Jacobus c. 1. v. 1: qvorum pater eſt Abraham, tùm ſecundum carnem Joh. 8. v. 39: nam ex Abrahamo deſcenderant: tùm ſecundum promiſſionem, fidem, & Spiritum: juxta hoc Pauli ad Gal. 3. v. 6. 7. *Sicut Abrahamus credidit Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam: ita noſtis eos qui ex fide ſunt, eſſe filios Abrahami.* Et Chriſti vox eſt, qvâ degeneres Abrahami poſteros compellat Joh. 8. v. 39. *Si filii Abrahami eſſetis, opera Abrahami faceretis.*

Tertiò qværitur: *Quâ veritate & quo ſenſu Abraham ex operibus dicatur eſſe juſtificatus?* Qvatuor hic invenio ſententias, ordine explicandas & expendendas. *Prima ſententia eſt Concilii Tridentini Sect 6. cap. 10. Stapletoni tom: 2. oper: lib de juſtif. cap 8. pag. 144 ſeq. Becani in diſput. de juſtific Cathol. cap. 1. Theſ. 2. Coſteri in Enchirid. cap. 6. pag. 228. Piſtorii in Hodæg pag. 228. Bellarmini lib. de juſtific. cap. 18 & Interpretum Iacobi, Paëzii, Lorini, Eſtii, Iuſtiniani, Tirini, Menochii, & reliquorum ſcriptorum Pontificiorum, qui volunt, hoc velle D. Iacobum, quando hominem ex operibus juſtificari docet, quòd homo, qui renovatione interna ex injuſto factus eſt juſtus, continuo bonorum operum exercitio, majore juſtitiâ & ſanctitate augeatur, & ita quidem, ut hoc juſtitiæ augmentum, ſit bonorum operum meritum.* Velle & urgere id D. Jacobum, teſtis inter alios eſt *Tirinus*, cujus hæc ſunt in hunc D. Jacobi locum verba. *Nota per hanc filii ſui immolationem non fuiſſe juſtificatum Acrahamum inchoativè, (nam erat jam ante juſtus) ſed perfectivè, quia de condigno promeritus eſt ſuis operibus, majus incrementum juſtitiæ, quàm ante habuerat.* In qvâ Pontificiorum aſſertione, extremè ſalsâ, quid deſideretur, non meis, ſed nervoſiſſimis *Chemnitii* verbis indicabo exam.

Concil. Trident. pag. 153. Quod hæc opinio, inquit Chemnitius, adverſa quaſi fronte pugnet cum ſcripturæ ſententia, non eſt obſcurum. Neq; enim de principio tantùm converſionis loquitur ſcriptura, quando tradit: Nos gratiâ propter Chriſtum, ſine operibus, juſtificari coram Deo ad vitam æternam: ut illa juſtificatio unius tantũ momenti ſit: poſtea vero per totam vitam, ut ſalutem conſequamur, per & propter opera noſtra juſtificemur. Nam Rom. 4. Paulus probat, Abrahamum fide gratis propter Chriſtum ſine operibus juſtificatum, non in principio tantùm converſionis, ſed tunc etiam cum renovatus per multos annos bonis operibus Deo obediſſet, imputatur ipſi juſtitia ſine operibus, non operanti, ſed credenti. Et cum affirmat Davidem dicere, hanc eſſe beatitudinem hominis cui imputatur juſtitia ſine operibus, certè non poteſt de principio tantum converſionis intelligi: hanc enim dicit juſtificationem eſſe, ut ipſam tandem beatitudinem conſequamur, ut ſcilicet juſtitia nobis imputetur ſine operibus. Rom. 5 extat illuſtris diſtributio. Prima de principio: per Chriſtum habuimus acceſſum fide in hanc gratiam, ut fide juſtificati, pacem habeamus ad Deum. Secunda de medio: in illa ipſa gratia fide ſtamus. Tertia de fine: illâ ipsâ gratiâ fide gloriamur ſpe gloriæ Dei, hoc eſt, ſicut fide habuimus acceſſum in gratiam, ita etiam ſperamus eadem fide & gratia, nos perventuros ad glorificationem. Sicut igitur in principio, ita etiam in medio & fine, fide gratis propter Chriſtum ſine operibus juſtificati, pacem habemus apud Deum. Philip. 3. Paulus eodem modo per diſtributionem tradit doctrinam juſtificationis, quæ fuerit ſua juſtitia coram Deo ad vitam æternam, ſcilicet, primo, cum ex Phariſaiſmo converteretur. Secundo tunc cum ad Philippenſes ſcriberet. Tertio quando occurſurus eſt ad reſurrectionem mortuorum. Non verò dicit aliam fuiſſe ſuam juſtificationem in principio converſionis, & aliam poſtea, cum ex vinculis ſcriberet, vel quando occurſurus eſt ad reſurrectionem mortuorum? Hoc certè non dicit, ſed unam & eandem juſtitiam fidei, ſcilicet in principio, medio & fine deſcribit. Rom. 1. Habacuc non tantum dicit, Juſtus ex fide vivit: ſed ζήσεται vivet: una igitur & eadem eſt juſtificatio, & in principio converſionis & quâ tandem pervenimus ad vitam æternam. Revelatur enim juſtitia Dei in Evangelio, non ex fide in noſtra opera, ſed ex fide in fidem. Act. 15. quæſtio tractatur, an Gentibus proponenda ſit juſtificatio fidei ſine operibus legis? Ne verò ad principium tantùm converſionis hoc reſtringatur, audi quam probationem Petrus afferat. Dicit: Gentibus ſive converſis, ſive convertendis, ita proponendam doctrinam juſtificationis ſine operibus legis, ſicut nos Apoſtoli credimus, nos gratia Domini Ieſu Chriſti ſalvari. Certè verò Apoſtoli tunc non erant in principio converſionis cùm Petrus hanc ſententiam pronũciaret, ſed ad minimum interceſſerant octodecim anni. Et tamen non dicit: Sicut nos credidimus: ſed ſicut credimus nos ſalvari. Et idem accommodat Petrus ad Patres jam defunctos, quod illa ipſa gratia ſine jugo legis ſalvati ſunt. Eandem igitur rationem juſtificationis & ſalutis, Petrus tribuit principio medio & fini. Ita Chriſtus dicit: Qui credit in me habet vitam æternam. Ne vero de principio tantum converſionis hoc intelligaur, conjungit hæc duo Johan. 6. Qui credit in eum habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Ita loquitur Johan. 3. & 5: Qui credit in filium, non judicabitur, non veniet in judicium. Eadem igitur eſt juſtificatio ad vitam æternam, & in principio & poſtea in reſurrectone mortuorum, ne veniamus in judicium. Falſum ergo, & ſcripturis adverſum eſt dogma illud, de differentiâ primæ & ſecundæ juſtificatio-

cationis. Et contumelioſum eſt in ſanctiſsimum meritum Chriſti, aſſerere, ſecundam juſtificationem, quæ in noſtris operibus conſiſtit, majorem, auctiorem & digniorem eſſe apud Deum quàm primam, quæ ſolo Chriſti merito nititur, & quidem non primam, ſed ſecundam juſtificationem mereri vitam æternam. Hæc Chemnitius: cujus cenſuræ, longè accuratiſſimæ, *duo* addimus. *Vnum*; Eò minùs mereri fidem commentitiam vocis δικαιοῦσθαι ſignificationem, de juſtitiæ augmento; quò ab inſtituto Apoſtoli noſtri alienior eſt. Nec enim qvæſtio eſt, probanda à D. Jacobo, quomodo juſtitia alatur & augeſcat: Sed in eo occupatur Apoſtolus, ut evincat, qvòd falsò fidem jactent, qui plane ſteriles ſunt bonorum operum. Cui aſſertioni firmandæ non inſervit, qvod affertur à Pontificiis, de juſtitiâ Abrahami, operibus auctâ. Aliud enim eſt, juſtitiam auctiorem fieri operibus; aliud vero eſt, hunc fidem non habere, qui opera non habet. Non illud, ſed hoc probandum fuit Apoſtolo. Nec animadvertunt adverſarii, qvòd qvam adſtructam volunt doctrinam, inſcii deſtruant. Etenim ſi adductum Abrahami exemplum quadrabit, ſaltem ſenſu eo, qvem verbis Apoſtoli affingunt adverſarii: neceſſariò ſeqvetur, qvòd hi, qvos Jacobus oppugnat, juſti qvidem ſint infuſo juſtitiæ habitu, ſed hoc nomine culpandi, qvòd non more & modo Abrahami juſtitiam divinitùs infuſam exercitio bonorum operum augeant. Quod ne ipſi qvidem admiſerint adverſarii, cùm nec poſſint nec velint, concedere, qvòd hi, qvos oppugnat Apoſtolus, ullo inhærentis juſtitiæ habitu, verè juſti ſint. *Alterum eſt*; *Portentoſam aſſertionem eſſe: Abrahamum promeritum eſſe ſibi ſuis operibus incrementum juſtitiæ, quam ante habuerat.* Nám omne opus meritorium debet eſſe indebitum, id eſt tale, ut id facientes, præſtemus plùsqvàm debeamus: non facientes, non peccemus. Quis vero ullâ veritate de ſe dicere poterit, qvod non obligatus ſit benè uti gratiâ conceſsâ, ita ut non peccet, ſi hîc deficiat. Nota eſt parabola Chriſti de talentis fœnori elocandis Matth. 25. v. 14. 15. ſeq. Quodſi gratiâ divinitus conceſsâ qvàm maximè induſtriè & vigilanter utare, hocné nomine aliqvid mereberis? Vox Chriſti eſt, qvâ hoc ſomnium refellitur Luc. 17. v. 10: *Qvum feceritis omnia, quæ ſunt edicta vobis, dicite: Servi inutiles ſumus: nam quod debuimus facere, fecimus.* Et quis neſcit, Pauli de Abrahamo aſſertionem eſſe, non habere ipſum, unde glorietur Rom. 4. v. 1. 2. ſeq. Fruſtra igitur verbum *juſtificandi* hîc exponitur de augmento juſtitiæ, merito operum acquiſitæ. *Secunda ſententia eſt Piſcatoris & Parei, qui nomine operum, ex quibus Abraham hîc dicitur juſtificatus, intellectam volunt fidem, quæ conjuncta fuit cum bonis operibus, pariendo ſcilicet illa ex ſe, tanquam nativos fructus. Eſt itaq; in voce operum, ſive Metonymia effecti, quippe quâ ex effecto ſignificatur cauſa procreans; quod vult Piſcator: ſive Synechdoche, quod mavult Pareus, ita ut nomine operum ſignificetur fides operibus conſpicua. Senſus eſt, interpretibus Piſcatore & Pareo, Abrahamum juſtificatum eſſe coram Deo fide, operibus conſpicuâ, ſeu cum operibus bonis conjuncta.* Quam expoſitionem tribus de cauſis improbamus. Prima eſt; quia hâc aſſertione impugnatur Moſes Gen. 15. v. 6. & Paulus Roman. 4. v. 1. 2. 3, quibus indubitatò certum eſt, Abrahamum fide, ſine operibus, coram Deo juſtificatum eſſe, & quidem 30 annis antequam filium Iſaacum offerret. Altera eſt, qvia loca è ſcripturis produci non poſſunt ulla, in quibus operum nomine ſignificetur fides operibus actuoſa & conſpicua. Non licet au-

tem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

tem vocum ſignificata urgere, quorum nulla uſpiam in divinis ſcriptoribus cō-parent veſtigia. Tertia eſt; quia huic expoſitioni univerſus contextus validè adverſatur, quippe in quo fides & opera contradiſtinctè ponuntur. Non afferam omnia, quæ textus ſuppeditat argumenta; hoc tantùm jam urgebo, videlicet, D. Jacobum clarè indicare, quid nomine operum velit intellectum, dum, exempli causâ, ſubjungit oblationem Iſaaci, factam per Abrahamum. Hæcné oblatio filii fides cenſenda eſt, per opus conſpicua? Quare etiam Jacobus ita concludit, ut opera fidei contradiſtingvat, inqviens v. 24: *Videtis itaq; ex operibus juſtificari hominem, & non ex fide tantùm.* Legatur Mentzerus tom. 5. Gieſs. diſp. XI. th. 30. ſeq. pag 225, qui hanc *Piſcatoris* ſententiam, planè ſingularem, rationibus benè firmis infirmat. *Tertia ſententia eſt Socinianorum & Arminianorum, qui ut ſpecioſiùs fallant, omne quorumvis operum meritum improbant, ac contendunt, non eſſe ulla opera, etiam præclariſſima, quorum merito coram Deo juſtificemur: quando ſcilicet nemo eſt, qui perfectiſſimè & integerrimè, per totam vitam ea opera faciat, quæ ſive ſub Vetere ſive ſub Novo Teſtamento præſcripta ſunt: id quod tamen omnino requireretur ad hoc, ut per ipſa opera, tanquam ejus rei aliquo modo meritoria, juſtificatio contingeret:* quæ ſunt ipſiſſima *Socini* verba, fragm: de juſtific. pag. 9. Conſentiunt *Arminiani*, qvorum hæc ſunt verba in confeſs. cap. XVIII. Sect. 3. p. 60: *Iuſtitiam non niſi ex purâ Dei gratiâ, & ſolâ in Ieſum Chriſtum fide, (ſed vivâ tamen, & per charitatem operante) abſq; omni operum noſtrorū merito, in judicio Dei conſequimur.* Splendida hæc ſunt, & primo intuitu talia, quæ digniſſima ſint, quæ aſſenſum mereantur. Sed ſi quis porrò quærere perrexerit, quantum operibus in negotio juſtificationis tribuant: hîc ſe ſtatim, qui latebat, angvis prodit. Verbis non meis, ſed adverſæ partis id enunciabo, ne fide minus integrâ hîc agere judicer. *Socinus* 2. Synopſ: juſtific: pag. 17 his utitur verbis: *Paulus cum negat nos ex operibus juſtificari, nomine operum perfectam per totam vitam legis divinæ obſervationem intelligit, nec aliud quidquam dicere vult, niſi nos ex merito ipſorum operum, nequaquam juſtificari coram Deo; non autem ad nos, coram ipſo Deo juſtificandos, nulla noſtra opera requiri. Sunt enim opera, id eſt obedientia, quam Chriſto præſtamus, licet nec efficiens, nec meritoria, tamen cauſa, ut vocant, ſine quâ non juſtificationis coram Deo atq; æternæ ſalutis.* Vides, mi lector, quàm timidè loqvatur de juſtificatione ex operibus Schola Sociniana, ne fraus manifeſtior homines ab hac doctrinâ, animæ extremè peſtilente, alieniores faciat. Nos, ut fucus, qui ingenioſè occultatur, pelluceat, quò hæc omnia tendant, paucis docebo. Vertant ſe in quaslibet formas; huc tamen tendunt omnia, ut id in divino judicio adſcribatur operibus, quod Deus ſoli fidei, ſine operibus, unice voluit adſcriptum. Docebunt id hæc Socini verba, quibus quæ ſua de hoc negotio ſit mens, clarè indicat, not: in dialog. de juſtificat: pag. 65 inquiens: *Deus tum demùm reverà ac plenè juſtum aliquem pronunciat, cùm ſe jam obedientem ipſius præceptis præſtiterit: id quod in ipſo Abrahamo patuit, qui non omnino juſtus eſt à Deo pronunciatus, niſi cum præter alia ſuæ in Deum fiduciæ ejusq; præceptorum obedientiæ ſpecimina, tandem ipſo ita jubente, unigenitum filium ſuum ei immolare non recuſavit. Nam & Deus ipſe ait, tum demum ſe cognoviſſe, quod Abrahamus ipſum timeret, & Iacobus Apoſtolus affirmat, tum impletam fuiſſe ſcripturam, dicentem: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Quæ itaq; & qualia opera *Paulus* velit excluſa è juſtificationis opere; quæ autem & qualia opera D. Jacobus ex adverſo requirat, ad veram coram Deo juſtificationem, ita enunciat doctrinæ Socinianæ celebris propagator & propugnator *Volkelius* lib. 4. de verâ Religione cap. 3. pag. 180: *Lex Moſaica, inquit, olim exigebat à cultoribus perfectam, abſolutam, omnisq; prolapſionis prorſus expertem obedientiam: cui fides in Chriſtum non uno in loco opponitur: quippe quæ divinam gratiam præſupponens, eâ obedientiâ contenta ſit, quam homines divinis promiſsis excitati atque adjuti pro viribus Deo præſtent, non ſolum ut plurimum à peccati labe integros ſeſe conſervantes, ſed etiam in virtute ita ſeſe exercentes, ut quod rectum juſtumq; eſt, ad id perpetuo ardentiq; ſtudio adſpirent. Id autem qui faciunt, ii nullum enorme facinus, præſertim ſcientes prudentes, in ſe admittunt: quod ſi per imprudentiam & humanam fragilitatem alicubi lapſos ſe deprehendant, factum dolent: & ut in poſterum inoffenſo pede in pietatis curſu pergant, ſedulam dant operam. Unde colligitur, Paulum à Iacobo nihil quicquam diſsidere, quanquam ille fidem operibus opponat, & hac à juſtificatione excludat: hic vero illam ſine his mortuam eſſe aſſerat, & hominem ſervare poſſe neget. Paulus enim ea â fide opera removet, quæ perpetuam perfectiſsimamq; per omnem vitæ curſum obedientiam continent. Iacobus vero ea intelligit bona opera, quæ homines ſpe præmiorum divinorum ducti, ex animo omnibusq; viribus perficiunt, ut quamvis omni prolapſione nequaquam careant; habitus tamen vitiorum quidem omnium exuiſſe, omnium autem Chriſtianarum virtutum ſibi comparaſſe, merito dici poſsint.* Quæ de ſententiâ *Socini* & aſſeclarum paulò fuſius adferre volui, & quidem ipſiſſimis adverſariorum verbis, ne cuiqvam ignotum eſſet, qvæ ipſorum de principe hoc religionis Chriſtianæ articulo mens ſit ac ſententia. *Arminianos* verò non improbare Socinianorum de juſtificatione ſententiam, qvàm liqvidiſſimum eſt ex apologia, quam cenſuræ Profeſſorum Leidenſium oppoſuerunt: qvippe in qua inter alia, hæc inveniuntur verba, pag. 114. *Sane ſi quis ea, quæ à Socino dicuntur in hac materia (juſtificatione) ſine gratiâ, ſine odio expendat: is velit nolit confiteri tandem cogetur, eum in ſubſtantiâ rei cum reformatis conſentire, manente ſolum hoc diſcrimine quod obedientiam fidei formam vocet, cum reformatæ Eccleſiæ eam vocent effectum, fructum, fœtum, ſine quo fides eſſe non poteſt. Quantulum hoc eſt? Quis vel cicum interduit?* Nolo minutatim excutere omnes & ſingulos adductæ ſententiæ errores, qui & plurimi & periculoſiſſimi ſunt: id enim futurum eſſet nimis longum, atq; ab inſtituto noſtro alienum: Caſtigabo tantùm loci Jacobæi ingenioſam qvidem, ſed valdè periculoſam corruptelam. Excludi volunt *Sociniani* & *Arminiani* à juſtificationis negotio opera legalia, quæ perpetuam perfectiſſimamq; per omnem vitæ curſum obedientiam continent; admitti verò volunt in negotio & actu juſtificationis opera, è præſcripto Evangelii præſtita, & è fide facta atq; profecta, ita ut licet nemo juſtus eſſe poſſit coram Deo, aut exactiſſimâ illâ Legis obedientia, quæ omne penitus peccatum, etiam leviſſimum, excludit, aut operibus, viribus naturæ præſtitis; tamen verè juſtus ſit homo fidelis coram Deo operibus in Deo factis, & è fide profectis, atq; ex Evangelica ἐπιείκεια æſtimatis. Quæ licet primo intuitu videntur præclara; veritati tamen, in verbo divino clarè revelatæ, extremè adverſantur. Etenim & vox *juſtificandi*, in hac materia à D. Paulo uſurpata, & *diſerta ſcripturarum dicta*, & *evidentiſsima hominum maximè*

fidelium exempla, hanc ſententiam manifeſti erroris certò convincunt. A verbo *juſtificandi* ut ordiar: Paulo Apoſtolo juſtificari non eſt juſtum cenſeri & pronunciari eum, qui quocunq; modo juſtus eſt; ſed qui adeo juſtus eſt, ut judicii divini cenſuram ſuſtinere poſſit, ubi ira Dei revelatur è cœlo adverſus omnē impietatem & injuſtitiam hominum veritatem in injuſtitia detinentium: monitore ipſo Apoſtolo Rom. 1. v. 18. Nec enim hic par eſt ratio hominum judicum, & Dei judicis. Illi enim hominem in jus vocatum, abſolvunt & juſtum cenſent, qvatenùs juſtè egit; non habitâ ratione aliorum flagitiorum, quæ commiſit quidem, ſed ob eadem in jus haud vocatus: Hic vero adeo accuratus cenſor & judex eſt, ut ſi mille proferantur opera bona, ne hili fiant omnia, ſi vel unum opus improbum & flagitioſum admiſceatur. Nam uno opere improbo ac impuro, adeo offenditur Deus, ut reliqua opera, aliàs ſancta & bona, univerſum valorem amittant. Quæ aſſertio, qvanqvam rationi humanæ videatur portentoſum paradoxon: diſertè tamen ab ipſo Dei ſpiritu traditur Ezech. 18. v. 24. & Jac 2. v. 10. Sed ut miſsâ vòcis *juſtificandi* nativâ ſignificatione, in Epiſtola ad Romanos, à Paulo uſurpatâ, quâ vel ſolâ partis adverſæ ſententia penitus ſternitur: adjungimus *diſerta ſcripturarum dicta*, quæ quævis quorumvis opera ab opere & actu juſtificationis diſertè excludunt. E plurimis hæc pauca promimus. Job 15. v. 14. *Quid eſt quod mundus eſſe velit homo? quid juſtificat ſe natus ex muliere?* Rom: 3. v. 10. 11. 12: *Non eſt juſtus ne unus quidem; Non eſt intelligens, non eſt qui requirat Deum. Omnes declinaverunt: omnes ſimul inutiles facti ſunt: non eſt vel unus qui quod bonum eſt faciat.* Rom. 3. v. 19: *Omne os obſtruitur, & ὑπόδικος γένεται πᾶς ὁ κόσμος τῷ Θεῷ.* Quæ ſcripturarum ſacrarum effata, ne *Sociniani* & *Arminiani* ad ſolos homines infideles, & non renatos reſtringenda eſſe objectent: ſubjungendæ ſunt *ſanctiſſimorum quorumq; confeſſiones*, qvæ omnium certiſſimè docere poſſunt, an fideles & renati ex ullis operibus, ſeu ullâ operum ac inhærentis ſanctitatis juſtitiâ à Deo juſtificentur, & coram ejus tribunali tuti conſiſtant, ubi quæritur, quid attendat Deus, hominem vitæ æternæ adjudicaturus, & ab æternâ morte liberaturus. Et ne diductiore exemplorum inductione moleſti ſimus, nominabimus impræſentiarum *Abrahamum*, *Iobum*, *Davidem*, *Paulum*, viros, qui ſanctiſſimos quosq; in mundo homines, ſi non ſuperarunt, ſaltem æqvarunt. *Abrahamo*, in medio pietatis curſu jam conſtituto, has ſententias Dei ſpiritus accommodat, Rom 4. v. 5. 6. *Non operanti, credenti autem in juſtificantem impium, imputatur fides ejus in juſtitiam: ſicut & David dicit: Beatum eſſe virum cui imputat Deus juſtitiam ſine operibus.* *Iob*, quando ab amicis accuſatur ſimulatæ & fictæ pietatis, provocat ad Deum, innocentiæ ſuæ teſtem, inquiens cap. 27. v. 6: *Iuſtitiam meam retineo, nec eam deſeram: non abjiciet eam animus meus unquam.* Et c. 31. v. 6. *Examinet me Deus bilancibus juſtitiæ, & integritatem meam cognoſcat.* At ubi Job à Deo ipſo in jus vocatur, & qværitur an Job cenſeat ſe adeò juſtum, ut confidat ſe vitæ ſuæ innocentiâ & mortem æternam evadere, & vitam æternam conſequi poſſe: hic dat Job victas manus, nec ullam in ſe agnoſcere audet juſtitiam, quâ conſiſtat. Hæc namq; eſt ingenua Jobi confeſſio cap. 9. v. 2. *Quid juſtificabit ſe homo coram Deo? Si volet litigare cum eo, non poterit reſpondere ei ad unum ex mille.* Et cap. 15. v. 14. *Quid eſt quod mundus eſſe velit homo? quid juſtifi-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ſtificat ſe natus ex muliere? Accedimus à Jobo ad *Davidem*, qui quando accuſatur ab inimicis, tanqvam qui malis artibus ſolium regium occupaſſet: non modò non ſubterfugit judicium divinum, ſed etiam ipſe ad tribunal Dei animosâ confidentiâ provocat, inquiens Pſal: 7. v. 9. & 18. v. 21: *Domine judica me ſecũdum juſtitiam meam: ſecundum puritatem manuum mearum retribue mihi.* Sed vero tractus à Deo ad tribunal, & inſtitutâ qvæſtione, an David putet ſe operibus coram Deo conſiſtere poſſe, ita ut ex operibus pronunciari poſſit hæres vitæ æternæ, extra condemnationis periculum conſtitutus: non audet David fidere operum juſtitiæ, ſed illi juſtitiæ diffidens, inquit Pſal: 130. v. 3. 4: *Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine, quis poterit conſiſtere; nam apud te eſt condonatio ut reverenter colaris.* Et Pſal: 143. v. 2: *Ne experiaris judicio cum ſervo tuo: nam non eſt juſtus coram te ullus vivens.* Quid dicemus de Paulo? Habet quidem ἀπρόσκοπον συνείδησιν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους Actor. 24. v. 16, nullius ſibi conſcius 1 Cor. 4. v. 4: huic tamen novæ obedientiæ, ac operum juſtitiæ negat ſe fidere, aut eâ ſe conſiſtere velle, tractum ad tribunal divinum, ut cauſam tueatur ſuam, motâ jam quæſtione de vitâ æternâ obtinendâ & morte æternâ declinandâ: *Nullius*, inqvit, *mihi conſcius ſum*, ἀλλ' οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι 1 Cor. 4. v. 4. *Quarta ſententia eſt Theologorum Lutheranorum, Chemnitii exam. Concil. Trident. pag. 152, Hunnii tom. 2. oper. lat. exam. lib. 1. Bellarm. de ſcript. cap. 18. pag. 119 120, Hutteri in locis communibus art. de juſtific. pag. 436, Mentzeri tom. 5. Gieſenſi diſp. XI. pag. 1523. ſeq: qui dicunt & docent, Iacobum, adſtruentem juſtificationem ex operibus, non agere de eâ juſticatione, quâ à Deo cenſemur juſti, tracti ad tribunal Dei, ut audiamus, vitâ an morte æternâ digni ſimus; ſed diſſerere Apoſtolum de juſtificatione quâ homo homini ſe vere fidelem ac juſtum eſſe oſtendit ac declarat.* Cui aſſertioni accedimus, & fidem ei facimus, tùm è *ſcopo Apoſtoli*, tùm ex *adducto à D. Iacobo Abrahami exemplo*, tùm *ex analogia fidei. Scopus* certè *Apoſtoli* valide firmat aſſertionem, qvi eſt, non diſſerere de juſtificatione, quâ à Deo cenſemur juſti, ſed quo hominibus oſtendimus & declaramus nos eſſe juſtos. Teſtem laudamus ipſum Apoſtolum, cujus hæc fuere verba v. 18: *Quinimo dicat aliquis; Tu fidem habes & ego opera habeo: Oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego oſtendam tibi fidem meam ex operibus meis.* Apoſtolo ergo ſermo eſt, de oſtenſione & demõſtratione fidei ex operibus, quâ ſcilicet homo homini probat & declarat, ſe eſſe verè fidelem & juſtum. *Exemplum* etiam *Abrahami*, à D. Jacobo adductum, ſtatuminat id, quod urgemus. Rectè enim *Chemnitius* ſuo in Concil. Trident. examine pag. 152 air. *Apoſtolus ſumit exemplum Abrahæ, quod ipſe Angelus de approbatione ſeu declaratione interpretatur; cum inquit: Nunc cognovi quod timeas Dominum. Hoc igitur vult Iacobus, obedientiam & bona opera Abrahæ declaraſſe & præbuiſſe teſtimonium, quòd fuerit vere juſtificatus. Iuſtificari enim Iacobo ſignificat juſtum declarari, per externa teſtimonia.* Quæ à *Chemnitio* verè dici teſtatur Paulus Ebr. 11. v. 17, inqviens: *Abraham cum tentaretur, obtulit Iſaacum per fidem.* Huc deniq; *analogia fidei* neceſſariò ducit. Etenim Abrahamum fide juſtificatum eſſe coram Deo, operibus ab opere juſtificationis penitùs excluſis, teſtis exceptione major eſt Paulus Rom. 4. v. 1. 2. ſeq: *Bellarminus lib. 4. de*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

juſtificat: cap. 18, demonſtraturus, quod juſtificari Iacobo non ſit juſtum declarari, promit quatuor argumenta: quæ quoniam deſumpta ſunt ex iis quæ in textu Apoſtolico ſubjunguntur, ſingula ſuis locis caſtigabimus & refellemus. *Arminiani* verò in examine cenſuræ quatuor Profeſſorum Leidenſium pag. 113, eandem cum Pontificiis theſin, propugnaturi, & noſtram ſententiam impugnaturi, videlicet, quòd juſtificatio Jacobo ſit juſtitiæ oſtenſio; *gemino* pugnant *argumento. Prius eſt: neminem adeo vecordem fuiſſe, qui cum Apoſtolo contendere voluerit, an homo juſtificetur, id eſt juſtus declaretur, ex fide tantùm: Fides enim, quatenus fiducia eſt, & diſtincta ab operibus Pietatis, non eſt niſi in corde hominis: Poſterius eſt: quod ne de ipſis quidem operibus cuiquam conſtare poſſit, an bona ſint. Non enim poſſunt eſſe bona, niſi è fide fluant: nemo autem poteſt alteri declarare, quod quæ facit opera è fide fluant.* Nos vero utramq; difficultatem in iis quæ præceſſere expedivimus. Nam oſtendimus v. 14 & 18 fidem hic eſſe externam fidei profeſſionem, non autem immotam cordis in meritum Chriſti fiduciam. Liquere jam ſpero, quo ſenſu Abrahamus ex operibus memoretur juſtificatus.

Quartò quæritur: *An hæc controverſia de juſtificatione ex operibus tanti ſit momenti, ut qui hîc errat, fundamentum religionis Chriſtianæ periculoſiſſimè non tàm labefactet quàm evertat?* Duæ ſe hîc offerunt ſententiæ extremè diſſidentes. Prior eſt *Lutheri*, qui ſua quæ ſit mens his enunciat verbis Tom. 4. Jenenſ: lat pag. 4: *Amiſſo articulo juſtificationis [quæ excludit omnia opera, tàm quæ viribus naturæ, quàm quæ ex dono Dei obeuntur] amiſſa eſt ſimul tota doctrina Chriſtiana. Et quotquot ſunt in mundo, qui eam non tenent, ſunt vel Iudæi, vel Turcæ, vel Papiſtæ, vel hæretici: Quia inter has duas juſtitias, activam legis & paſſivam Chriſti non eſt medium. Qui ergo aberraverit à juſtitia Chriſtianâ, hunc oportet in activam relabi: hoc eſt, oportet eum amiſſo Chriſto ruere in fiduciam operum.* Hæc Lutherus. Poſterior ſententia, priori è diametro oppoſita, *Arminianorum* eſt, qvorum quæ de hac controverſia ſit ſententia, his docent ipſi verbis, examine cenſuræ Profeſſorum Leidenſium cap. 10 pag. 114. 115. *Et ſane*, inqviunt, *ſi quis ea quæ à Socino dicuntur in hac materia, ſine gratia, ſine odio expendat, is velit nolit confiteri tandem cogetur, eum in ſubſtantia rei cum Reformatis conſentire, manente hoc ſolum diſcrimine, quòd obedientiam, fidei formam vocet, cum Reformatæ Eccleſiæ eam vocent effectum, fructum, fœtum, ſine quo fides eſſe non poteſt. Quantulum hoc eſt? Quis vel cicum interduit? Quod ſi quis nihilominus magnũ hiatum eſſe velit, is doceat intelligibiliter, quid illud reale aut formale ſit, quod iſta duo, tàm magno intervallo à ſe ſeparat ac diſtare facit? Comperietur, poſt longos labores & operoſas ambages, recidere in pædagogicam ſubtilitatem, & imaginariam diſtinctionem, qua fides in priori momento naturæ, conſideratur ut apprehendens Chriſtum, quam producens opera, etſi cum operibus tempore, ſaltem quoad propoſitum ſimul ſit. Breviter, redibit, res ad particulam iſtam, quatenus, & ad illud pacis & concordiæ naufragium fiet. Videantur diſputationes quatuor horum Theologorum, quas Synopſin purioris Theologiæ vocant; In labyrintho fictionum & terminorum pædagogicorum te deprehendes, & cum ad rem ſive apicem controverſiæ veniũt, in tenui, & inimaginabili diſtinctionis bivio aut trivio hærebis, ut quid ſibi velint aut quò tendant, intelligere non poſſis. Et quid obſecro aliud eſt iſtud Cenſorum quo dicunt, operibus omnibus obedientiæ & pietatis, imo ipſi fidei, quà opus eſt, opponi fidem*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

dem, quæ inſtrumentum eſt juſtificationis noſtræ, id eſt, ratione effectus illius, qui eſt ex fide tantùm & non ex operibus? Crucem excarnificandis ingeniis figi credit, quisquis iſtas Scholares ſubtilitates audit. Inſanias prius, quàm intelligas; Et in hoc cardine vertitur fidei Calviniſticæ puritas, unde & illud, Fides, fœta bonis operibus, juſtificat ante partum. Acumen hoc ſe non poſſe penetrare, haud illubenter fatentur Remonſtrantes. Simplicitatem amant, & ſubtilitatibus iſtis, quæ nil niſi ὑπέρογκα ματαιότητος *ſunt, longè præferunt. Si idcirco Reformationis titulo, excidere eos neceſſe eſt apud Cenſores, valere eos jubent, & ſibi ſapere. Remonſtrantes uno verbo ſic ſtatuunt. Litem penè totam, quam in hoc capite movent Cenſores, de reſpectibus Metaphyſicis eſſe, quos Fides vera & viva habet ad juſtificationem; de quibus ſtatuere, judicis & domini eſt, non ſubditorum. Enimvero quis, ſine gemitu, ſine ſuſpiriis, ſine lacrymis cogitet, quod nos homunciones miſelli, tardi & negligentes in iis, quæ officii noſtri ſunt accuratè examinandis, & fideliter præſtãdis, tantum ocii & audaciæ nobis ſumamus, ut involemus in partes Domini & judicis noſtri, & quo reſpectu hi aut illi actus noſtri ab illo ſint judicandi in extremo judicio, audeamus definire, & niſi alii conſervi, iſtas definitiones noſtras præter officium & vocationem noſtram à nobis factas, admittant, populum Chriſtianum, peculium Dei & Domini noſtri in partes ſcindere, conſervos cædere, flagellare, ejicere, anathematiſmis & omni genere immiſericordiæ in eos ſævire non vereamur?* Quod paulo diductiùs, ipſiſſimis *Arminianorum* verbis referre volui, ut quàm exigua tantæ rei eos tangat cura, omnibus liquidò conſtare poſſet. *Nobis tanti eſt hæc controverſia, ut perſuaſiſſimi ſimus, quòd, qui opera in juſtificationis opere & actu cum fide conjungit, quàm graviſſimè peccet in gloriam Dei, in ſangvinem Ieſu Chriſti, in gratiam divinam, in conſcientiæ tranquillitatem.* Quod oratione in pauculas contractâ periodos oſtendemus. In *gloriam divinam* graviter hunc peccaturum, qui operibus renatorum juſtificationem adſcribere volet, his docet *D. Paulus* verbis Rom. 4. v. 2: Si *Abraham ex operibus juſtificatus eſt,* ἔχει καύχημα, ἀλλ᾽ οὐ πρὸς θεόν. Quæ Apoſtoli verba, ſi vera ſunt, ut ſunt citra omnem exceptionem longè veriſſima, *gloriæ divinæ* maximè officit, qui in juſtificationis actum opera ſua intrudit, illisq; ſe in judicio divino tutum fore confidit. Etenim qui hic fidit juſtitiæ operum, ſi vel maximè ſanctitate æqvet Abrahamum, exactum illud pietatis exemplar, Deo inſolenter inſultat. Nam quid quæſo aliud eſt, καύχημα ἔχειν πρὸς τὸν Θεὸν, quàm materiem & occaſionem habere cervices inſolentiùs attollendi & ſuperbe gloriandi, tanquam qui Deo minus egeat. Explicationem verborum Paulinorum non confinximus, ſed à Chriſto mutuati ſumus, qui inquit Lucæ 17. v. 7. 8. ſeq: *Quis veſtrum eſt, qui ſi arantem aut paſcentem ſervum habeat, eum ex agro reverſum protinus accumbere jubeat: aut non potius ei dicat: Para quod ego cœnem, & accinctus miniſtra mihi, donec comedero & bibero. Num gratiam habeat ei ſervo, quod imperata fecerit? Non puto. Sic & vos, cùm omnia vobis ad faciendum ordinata feceritis, dicite vos eſſe inutiles ſervos, qui quod facere debueritis, feceritis.* Qvantum itaq; tribuitur in juſtificationis negotio operibus, tantum derogatur gloriæ divinæ. In *pretium* etiam *immẽſum ſangvinis Chriſti* periculoſiſſimè impinget, qui in actu juſtificationis ſuis operibus quicquam tribuerit. Nec enim permittit Jeſus, ut juſtitiam,

am, qvâ coram ipſius tribunali conſiſtemus intrepidi & tuti, partìm ipſius ſangvini, partìm operibus, vi, virtute, ac merito ſangvinis Chriſti, in Deo factis, adſcribamus: ſed contrà urget, quod qui in ſuo opere, etiam maximè laudabili, juſtitiam qværit, qvâ mortem æternam vitet & vitam æternam obtineat, juſtitiam in Chriſto fruſtrà qværat. Vide mihi, qvid uſu venerit *Galatis*, renatis certè & fidelibus: qvippe in qvibus Chriſtus crucifixus fuit, Gal. 3. v. 1; qvi ex auditu fidei Spiritum S. acceperant, Gal. 3. v. 2; qvi etiam in ipſis efficaciter operabatur Gal. 3. v. 5; qvi deniq; in via mandatorum Domini pulchrè currebant Gal. 5 v. 7. Hi volebant, jam juſtificati fide, Circumciſione, Sacramento divinitùs inſtituto, porrò juſtificari. Tantum abeſt Paulus hoc probet, ut diſerta ejus reſponſio ſit; Chriſtum Galatis futurum inutilem, ſi conſummatiſſimæ Chriſti Juſtitiæ qvicqvam aſſuant. Si circumcidamini, inqvit Apoſtolus, χριστὸς ὑμᾶς οὐδὲν ὠφελήσει Gal. 5. v. 2. Et ne quis hoc effugio elabatur: qvod licet juſtitia junctim qværi non poſſit, in ſangvine Chriſti & in Circumciſione, atq; conſimilibus Veteris Teſtamenti ceremoniis, adventu Chriſti antiqvatis; hoc tamen haud obſtet, qvò minus & imputatâ Chriſti juſtitiâ & operibus noſtris, in Deo factis, coram Deo conſiſtamus & juſtificemur: Apoſtolus, prævidens telum, occurrit objectioni motæ, dum qvævis opera ex actu juſtificationis excludit & ejicit, inqviens Gal. 5. v. 4: Κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ χριστοῦ, οἵτινες ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε. E qvâ difficultate ut ſe extricent *Pontificii recentiores & Arminiani*, ſolenne eorum reſponſum eſt; *opera legis eſſe opera, ſolius naturæ viribus, ſine fide & Spiritu S. præſtita: quæſtionem autem eſſe de operibus, virtute Spiritus S. & valore meriti Chriſti in Deo factis. Illa qvidem ab actu juſtificationis excludi volunt; hæc non item.* Cujus reſponſi οὐδενότητα ut commonſtrem: urgeo ſingulare exemplnm Abrahami, qvem Moſes Gen. 15. & Paulus Rom. 4 introducunt, in medio operum bonorum curſu conſtitutum, fide dudum divinitùs donatum, novæ obedientiæ exercitiis illuſtrem. Nam à primâ Abrahami vocatione ex Ur Chaldæorum, uſq; ad hiſtoriam è cap. 15. Gen: citatam à Paulo, pluſculi effluxerunt, omnium conſenſu, anni, non ſine maximis & fidei & obedientiæ documentis. Nam & Deo fide obediverat Ebr. 11. v. 8, & altare Deo exſtruxerat Gen. 12 v. 7, & nomen Dei invocaverat Gen. 13. v. 4. Abrahamum itaq; ſiſtit Paulus Rom: 4. v. 1. 2. 3. non recens renatum, & ad fidem nuperè adductum; ſed in medio velut pietatis curſu verſantem. Qvi qvomodo juſtificatus ſit, antea fide juſtus, docere propoſitum eſt Apoſtolo. Nam ut evincat Paulus, juſtitiam revelari ex fide in fide n Rom: 1. v. 17, & non ex fide in opera: Abrahamum adducit, qvem, juſtum fide, porrò non ex operibus, ſed fide juſtificatum eſſe, docet ac demonſtrat. Hoc poſito, invicta eſt aſſertio, qvam defendimus. Nam ad Abrahamum, renatum, fidelem, & novæ obedientiæ operibus illuſtrem, hæ ab Apoſtolo Paulo accommodantur ſententiæ. Rom: 4. v. 2: *Si ex operibus Abraham juſtificatus eſt, habet unde glorietu: ſed non apud Deum.* Rom. 4. v. 5: *Non operanti, credenti autem in eum, qvi juſtificat impium, fides ejus imputatur ad juſtitiam.* Rom. 4. v. 6: *Beatus eſt, cui Deus imputat juſtitiam ſine operibus.* Qvæ certè probatio, ab exemplo Abrahami deſumpta, adeò manifeſta eſt, ut nullâ Sophiſticâ poſſit eludi. Veluti ergo opera legis, admiſta juſtifica-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ficationis actui & operi, efficiunt ut Chriſtus ſit nobis inutilis Gal.5. v.2: Ita idem facere qvævis qvorumvis renatorum opera, ſi in juſtificationem violenter intruduntur, exemplo Abrahami, typi juſtificandorum, qvàm manifeſtiſſimum eſt Rom.4.v.1.2.ſeq: Venimus ad *Gratiam divinam*; cujus ſe profitetur juratiſſimum hoſtem, qvi ſuis operibus coram Deo juſtificari volet. Nam tantum abeſt, opera & Gratiam in divino juſtificationis opere ſimul conſiſtere poſſe, ut qvi ex operibus juſtificatur, haudqvaqvam ex gratiâ juſtificetur. Nota ſunt hæc divinarum ſcripturarum effata. Roman.4. v.4: *Operanti merces non imputatur* κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ τὸ ὀφείλημα. Tit.3.v.5: *Non ex operibus* τοῖς ἐν δικαιοσύνῃ, *quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvavit nos.* Eph.2.v.8.9: *Gratia ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt: non ex operibus, ne quis glorietur.* Rom.11.v.6: *Quod ſi per gratiam, non jam ex operibus. alioquin gratia non eſt gratia: ſin ex operibus, jam non ex gratiâ: alioquin opus jam non eſt opus.* Quæ certè Spiritus Sancti diſerta dicta evidentiſſimè evincunt, qvòd qvi in juſtificationis negotio operibus ſuis qvicqvam tribuunt, divinam gratiam periculoſiſſimè abnegent. Nec eſt qvòd qvisqvam credat, ea tantùm opera excludi, qvæ viribus naturæ, ſine fide & Spiritus Sancti ope, præſtantur. Etenim *Abrahami*, fide juſti, & Deo ſtudioſiſſimè obedientis Ebr.11.v.8 opera, è gratuitâ juſtificatione penitus excluduntur Rom.4 v.1.2.3.ſeq. *Paulus* etiam, qvi nullius ſibi conſcius eſt, negat ſe ἐν τούτῳ juſtificatum 1 Cor.4.v.4. *Tranquillitatem* deniq; *conſcientiæ* turbari hac ex operibus juſtificatione, exemplis ſanctiſſimorum evideutiſſimè certum eſt. Trepidarunt certè ſanctiſſimi qviq;, qvoties Deus opera ipſorum, etiam optima, ſub judicii ſui cenſuram vocavit: qvippe imperfectiora, qvàm ut accuratius divini judicii examen ſuſtinere poſſent. Qvis neſcit qvanto ſtudio, pariter & ſucceſſu, pietatem & vitæ ſanctimoniam ſectatus ſit *Iob* cap.1.v.8? Qvo non obſtante, langvidior eſt hæc novæ obedientiæ juſtitia & vitæ integritas, qvàm qvæ exacto judicii divini examini ſuſtinendo par ſit. Hæc enim eſt ingenua Jobi confeſſio cap.IX.v.2.3.20.30.31: *Non poteſt inſons apud Deum eſſe homo: cum quo ſi cōtendere vult, non reſpondere poteſt ei ad milleſimam partem. Si juſtum me aſſererem, os meum me condemnaret. Etiamſi me aquâ nivali lavero, meaſq; manus puriſſimè emundavero: in foveam demerget me, & me mea dedecebunt veſtimenta.* Qvid dicemus de *Davide*, viro illo ſecundum cor Dei? Neutiqvam vult ex operibus judicari, in jus à Deo vocatus. Fatetur ultrò, imperfectiora eſſe ſua opera, qvàm ut talia ſint, qvæ divino judicio tutò opponantur. Notæ ſunt hæ Davidis qverulæ voces. Pſal.130.v.9. *Si iniqvitates obſervaveris Domine; Domine, quis ſuſtinebit?* Pſal.143.v.2: *Ne ingrediaris in judicium cum ſervo tuo, qvia non juſtificabitur in conſpectu tuo ullus vivens.* Tacitus prætereo *Eſaiam*, qvi licet integrioris vitæ laude emineret; non tamen audet in judicio divino ſtare operum ſuorum Juſtitiâ, inqviens cap.64.v.5. *Cuncti ſumus immundi, & noſtra juſtitia ſimillima ſunt panno fœdo & abjectiſſimo, cunctiq; cadimus ut folia, peccatis noſtris, venti inſtar, nos auferentibus.* De *Paulo* qvid memorem? Hæc ſunt lætioſa conſcientiæ Paulinæ teſtimonia. 1.Corinth.4.v.4. *Nullius mihi conſcius ſum.* Actor.23.v.1. *Ego bonâ conſcientiâ* πεπολίτευμαι τῷ Θεῷ. Actor.24.v.16.

Ha-

Habeo συνείδησιν ἀπρόσκοπον πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ τοὺς ἀνθρώπους. At tractus Apoſtolus ad divinum tribunal, ſuané opera divino opponit judicio, ut ex operibus juſtificetur? Nodum nemo rectiùs ſolverit ipſo Paulo: cujus hæ ſunt aſſertiones. 1 Cor. 4. v. 4. *Nullius mihi conſcius*, ἀλλ᾽ οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι. Rom. 7. v. 22. 23. 24: *Condelector lege Dei ſecundum interiorem hominem. Video autem legem aliam in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ eſt in membris meis. O me ærumnoſum, quis me eruet, è corpore mortis hujus?* Qvi itaq; conſcientiam ſuam in tuto locare volet contra metum divini judicii, non provocabit ad opera ſua: ſed cordis ac conſcientiæ tranqvillitatem in vulneribus ac conſummatiſſimâ Jeſu Chriſti juſtitiâ unicè qværet, ſeqvutus *Eſaiam* cap. 53. v. 5, *Paulum* Rom. 5. v. 1, 2. Cor. 5. v. 21, *Petrum* 1. Ep 2. v. 24. Falſa itaq; & extremè periculoſa eſt *Arminianorum* aſſertio, qvod hæc de juſtificatione ex operibus doctrina, non usq; adeo magni momenti ſit. Prætermittere verò non poſſum, qvin addam, vel inde liqvere, qvanti periculi res ſit aſſerere juſtificationem ex operibus, qvod ſcilicet qvotqvot hanc unqvam probarunt, propugnarunt, ſive Pontificii, ſive Sociniani, ſive Arminiani, imputatam Chriſti Juſtitiam irriſerint, exploſerint. Etenim *Bellarminus* lib. 2. de juſtificat. cap. 6. 7. ſeq. *Stapletonus* tom 2. oper. l. 7. de juſtificat: cap. 6. 7. pag. 273. ſeq. *Becanus* in manual. controv. lib. 1. cap. 16. pag. 273. ſeq. *Socinus* lib. de ſervatore Chriſto part. 4. cap. 1. 2. 3. 4. *Smalcius* refutat: theſ: Frantz: diſp. 4. pag. 564 565. ſeq. *Arminius* Epiſtolâ ad Hippolitum, *Vorſtius* catalog. errorum Sibrandi, imputatam Chriſti juſtitiam, tanqvam purum putum Lutheranorum commentum exſibilant, damnant. Tibi jam, Chriſtiane Lector, expendendum relinqvo, malisné conſummatiſſimâ Chriſti Juſtitiâ coram tribunali Dei comparere, ut juſtificeris, qvam tua? Ego certè probo has Pauli aſſertiones. Rom. 5. v. 19: *Sicut per unius hominis inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi: ita per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.* 1 Cor. 1. v. 30: *Chriſtus factus eſt nobis à Deo juſtitia.* 2 Cor. 5 v. ult: *Fecit Deus, ut qui nunquam novit peccatum, pro nobis peccatum eſſet, ut nos efficeremur Iuſtitia Dei.* Et hæc de hac controverſia dicta ſunto.

Quintò qværitur: *Quâ veritate dicatur Abrahamum obtuliſſe Iſaacum in ſacrificium? Nec enim obtuliſſe, teſtis eſt Moſes* Gen. 22. v. 11. 12. *teſtatus, id ne fieret, impediviſſe Iehovæ Angelum.* Sed facilis eſt ſolutio. Qvo enim ſenſu juſſerat Deus, ut Iſaacum immolaret Abrahamus, eodem obtuliſſe memorat hîc Jacobus, & Paulus Ebr. 11. v. 17. Non autem alio, qvam tentandi fine & ſenſu, Deus Iſaaci immolationem imperârat Gen. 22. v. 1. Abrahamus itaq; juxta mentem Dei offert filium, dum ſe ad offerendum oſtendit paratiſſimum Gen. 22. verſu 10.

Sextò quæritur: *Cur hæc Abrahami in offerendo filio Iſaaco promptitudo, tantoperè commendetur à Dei ſpiritu?* Nec enim ignotum eſſe poteſt, qvomodo *Iephte, Agamemnon, Codrus, Iphigenia, Hermodius, Ariſtogiton, Leonides, Epaminondas, Lucius Brutus, Decii*, ob conſimile facinus in ſcriptis auctorum celebrétur: qvâ de re legi poſſunt *Cicero* lib. 1. Tuſc. *Serarius* in Judic: cap. 11. 9. 17. *Cornelius à Lapide* hoc loco, alii. Sed in exemplis diſparitas ſumma eſt. Nam qvi ſe, vel filios, vel filias immolarunt, aut morti devoverunt, id fecêre vel coacti,

cti, ad tuendum patriæ ſalutem; vel vanâ famæ & gloriæ cupiditate adducti; vel Deo invito & non mandante. Abraham verò non modò id qvod fecit, liberè fecit & Deo mandante fecit, & voluntate Deo obediendi fecit; ſed imprimis totum hoc fecit, ut toti orbi teſtatum faceret, ſe tanta in Deum fiduciâ recumbere, ut de immẽſa ex Iſaaco poſteritate certus eſſet, ſi vel maximè occumberet manu patris: Hoc enim potiſſimùm commendari in opere immolationis Iſaaci, teſtis eſt Paulus Rom: 4. v.18. & Ebr 11. v.19.

Doctrina. Qvotqvot verè fideles & juſti ſunt, malunt rerum longe chariſſimarum jacturam facere, qvàm Deo non obedire. Teſtis eſt *Abraham* Gen. 22. v.1.2.ſeq: *Moſes* Ebr.11.v.24, *Diſcipuli Chriſti* Matth.19.v.27. Qvo niſi nos qvoq; fuerimus ingenio, verè fideles & juſti non ſumus Lucæ 14. verſib.26. 27. ſeqventibus.

V. 22. Βλέπεις ὅτι ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίστις ἐτελειώθη.

V. 22. Vides qvòd fides cooperata ſit ejus operibus, & ex operibus fides perfecta fuerit.

HIc primò quæritur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus? Illatio eſt ex iis, quæ prolixè tractata fuere.* Hoc egit à v.14, ut oſtenderet, vanam eſſe fidei jactantiam & profeſſionem externam, qvæ conjuncta non habet opera bona: illam & hæc jungenda eſſe urſit & demonſtravit. Qvalis autem ſit fidei & operum conſociatio, jam indicat: Qvòd ſcilicet fides cooperetur operibus, & ex operibus fides perficiatur. Et eſt apoſtrophe ad hypocritam, operoſé jactantem fidem, & impuriùs viventem. Nam verbo βλέπεις, excitare vult vanum fidei jactatorem: Jubet enim ut intuitus opera Abrahami ex iis diſcat, qvòd in hominibus, verè fidelibus, individuus nexus ſit fidei & operum.

Secundò quæritur: *Quo ſenſu dicat Apoſtolus:* ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ? *Tres hìc invenio ſententias. Prima ſententia eſt Interpretum Pontificiorum, Paëzii, Lorini, Cornelii à Lapide, Iuſtiniani, Eſtii, qui fidem* τοῖς ἔργοις συνεργεῖν *volunt, tùm quia fides eſt quaſi fax, oſtendens & ſuadens, quid faciendum, quid fugiendum ſit, ut gehennam vitemus, & cœlum adipiſcamur, ac eo ipſo ad bona opera capeſſenda & mala declinanda impellit* Ebr:11.v.1: *tùm quia ſine fide actiones, quamvis ex ſe laudabiles, Deo placere non poſſunt* Ebr.11.v.6: Sed ſive illo, ſive iſto ſenſu interpretere hanc fidei & operum conjunctam operationem & συνέργειαν, qvàm falſiſſima erit aſſertio, ſi huc tendat, qvod fides & opera mutuas præſtent operas, in juſtificationis negotio, ita ut tàm illa, qvàm hæc, ſint juſtificationis cauſa. Hoc enim qvi dixerit, adverſantem ſibi habet *Paulum*, in ſuâ ad Romanos epiſtolâ c. 1, 2.3.4, ut qvi omnia & infidelium & fidelium opera, ex actu & opere juſtificationis diſertiſſimè excludat, & qvot ex hac aſſertione ſeqvantur abſurda, ea, qvæ præmiſimus verſu proximè præcedente, evidentiſſimè oſtendunt. *Secunda ſententia eſt Piſcatoris & Parei, qui dicunt, fidem operibus cooperatam eſſe, quia fides per tremendum illud opus ſeſe non non otioſam, ſed operantem eſſe declarans, juſtificationem operata eſt.* Qvam in-

terpretationem, planè ſtrabam, ut explicet & firmet *Parœus*, monet, gaudere Jacobum verbis compoſitis, qvæ reſoluta magis perſpicuum reddunt ſenſum. Sic v.6. hujus capitis: οἱ πλούσιοι καταδυναστεύουσιν ὑμῶν, pro δυναστεύουσι καθ' ὑμῶν. Et verſu 13: κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως, pro καυχᾶται ἔλεος κατὰ κρίσεως. Et cap.4.v.11: μὴ καταλαλεῖτε ἀλλήλων, pro μὴ λαλεῖτε κατ' ἀλλήλων: Similem hic eſſe vult tmeſin *Parœus*: Nam ἡ πίστις, ἡ σὺν τοῖς ἔργοις, ἤργει, *nempe* τὴν δικαιοσύνην. Qvi eſt audaculus luſus, ex ipſa loqvendi forma, qva utitur D. Jacobus, ſolidè refutatus. Nam qvi dicit fidem cooperari operibus ad juſtificationem, is mutuam utriusq; agnoſcit operam, ad producendum juſtificationis opus. At qvi docet, qvod fides, qvæ eſt cum operibus, juſtificationem operetur & producat, hic ſoli adſcribit fidei productionem juſtificationis, opere penitùs excluſo. *Parœus* itaq; talem hic fingit verborum juncturam, qvæ verbis Apoſtoli extremè adverſatur. An enim fides poterit dici σύνεργος operum, ſi operum nulla hîc eſt actio, nulla ἐργασία? *Tertia ſententia eſt Mentzeri tom. 5. Geiſenſ. diſp. XI. theſ. 37. 38. ſeq pag. 226. 227. & Gerhardi tom. 3. Locor: Comm: pag. 1527. qui nomine fidei intelligunt externam fidei profeſſionem: quæ quo ſenſu operibus cooperetur, his indicant verbis. Qui fidem Chriſtianam profitetur, & eandem ſimul bonis operibus teſtatam facit; ille verbo pariter & facto, commonſtrat & docet, ſe non ſimulatè, ſed verè in Deum credere, ac proinde vere etiam juſtificatum eſſe. Contrà, qui fidem profitetur in Chriſtum, & tamen impiè vivit, aut externam qvidem vitam laudabiliter tranſigit, non autem fidem profitetur Chriſtianam; de eo certò ſtatuitur, juſtificatum non eſſe. Non igitur aut falſa profeſſio fidei hominem verè fidelem arguit, aut ſola bona opera externa, ſed profeſſionis veritas, & bonorum operum ſinceritas, hominem verè fidelem, & coram Deo juſtum eſſe indicant.* Cui ſententiæ ultrò accedimus; tùm qvia ex univerſo contextu ſuperiùs claré evicimus, non diſputari hîc de modo, qvo coram tribunali Dei homo juſtificetur, ſed in eo unice occupari Apoſtolum, ut monſtret, qvâ ratione homo homini oſtendere poſſit, externam fidei profeſſionem, non eſſe vanam & ſimulatam fidem, ſed veram ac ſinceram: tùm qvia aſſertio, qvod fides & opera mutuas præſtēt operas ad producendum ſalutaris juſtificationis opus, ſcripturæ adverſatur, veluti ex iis qvæ præmiſimus, qvam manifeſtiſſimum eſt.

Tertiò qværitur: *An inde, quod Iacobæa aſſertio ſit, fidem cooperari operibus, rectè concludatur & colligatur, Apoſtolum per juſtificationem hoc in loco non intelligere declarationem, ſed incrementum juſtitiæ?* Ita cenſet *Bellarminus* lib. 4. de juſtificat: cap. 18. inqviens: *Ne ipſi quidem adverſarii dicunt, fidem juſtificare per modum declarationis, neq; id ratio fidei patitur.* Sed facilis eſt reſponſio. Luſus eſt in voce fidei. Etenim nomine fidei, hîc non intelligitur ea fides, qvæ notitiâ, aſſenſu & fiduciâ abſolvitur: hanc enim homo homini oſtendere non poteſt; ſed fides hoc in loco eſt externa fidei profeſſio, qvâ certè homo homini declarare poteſt ſe juſtum eſſe.

Qvartò quæritur: *Quid ſit fidem ex operibus conſummari? Tres invenio diſſentientes expoſitiones. Prima eſt Bellarmini lib. 4. de juſtificat. cap. 18. Paë-*

zii,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

zii, Eſtii, Lorini, Cornelii à Lapide, qui urgent vim vocis ἐτελειώθη, *id eſt, perfecta eſt, finem ſuum nacta eſt, victoriam conſeqvuta, & coronam adepta. Quas accommodaturus ſignificationes Cornelius à Lapide, contendit, Iacobum loqvutione antea adductâ, hoc velle; Opera tribuere fidei perfectionem & conſummationem, quia tribuunt ei meritum vitæ æternæ, nec non augmentum ac perfectionem caritatis, cæterarumq; virtutum.* Quæ eſt extremè falſa explicatio verborum Apoſtolicorum: tùm qvia opera non perficiunt & conſummant fidem, ſed contra fides univerſam perfectionem operibus tribuit Rom. 14. verſu 23. Ebr. 11. v. 4. ſeq: tùm qvia in juſtificationis opere, tantum abeſt operibus deberi primas, ut fides hìc dominetur ſola, operibus, etiam ſanctiſſimorum, omni parte ab hoc opere excluſis Rom. 4. v. 1. 2. 3. 4; tùm deniq;, qvia vitam æternam eſſe operum meritum, mera blaſphemia eſt Rom: 6. v. 23, Luc. 17. v. 7. 8. 9. 10. Rom. 4. v. 1. 2. Matth. 20. v. 10. ſeq. *Secunda ſententia eſt Bezæ, Piſcatoris, Paræi & Interpretum Belgicorum, qui volunt fidem Abrahami ex operibus perfectam eſſe, quia fides Abrahami ex opere oblati Iſaaci declarata fuit integra, ſincera & perfecta fides, juxta vocem Domini* Gen. 22. v. 12: *Nunc cognovi timentem Dei eſſe te.* Cui ſententientiæ vel eo nomine inter alia non accedo, qvod nitatur inuſitatæ vocis τελειοῦσθαι ſignificationi. Volunt n. auctores antea nominati, qvòd τὸ τελειοῦν probatis lingvæ Græcæ ſcriptoribus non tantum ſit perficere, perfectum reddere & abſolutum; ſed etiam declarare & oſtendere perfectum & abſolutum eſſe. Cujus poſterioris ſignificati, nec in ſacris, nec in prophanis ſcriptoribus exempla, qvod ſciam, extant ulla. *Objiciunt Interpretes Belgici hæc Chriſti ad Paulum verba* 2 Cor. 12. v. 9: δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται. Sed verò virtus Dei in infirmitate Paulina, non tam oſtenditur perfecta, qvam verè perficitur. Teſtis eſt Paulus, qvando ſubjungit verſu proximè ſeqvente inqviens: idcirco εὐδοκῶ ἐν ἀσθενείαις· ὅταν γὰρ ἀσθενῶ, τότε δυνατός εἰμι. *Tertia ſententia eſt Mentzeri tom. 5. Gieſenſ. diſp. 11. theſ. 45. & Gerhardi tom. 3 Locorum commun. art. de juſtific. th. 190. pag. 1527: qui cùm per fidem intelligant externam fidei profeſsionem, eam per opera perfici docent*, qvando opera profeſſioni fidei conformia, oſtendunt & declarant, fidem illam non eſſe vanam & inanem, aut in labiis ac lingva tantùm hærere; ſed veram eſſe, integram & ſinceram, ut qvæ tam nobiles & generoſos fructus promat & proferat. In qva ſententia libenter acqvieſcimus: tùm qvia voce fidei hìc intelligi externam fidei profeſſionem aliqvoties evicimus: tum qvia juſtificans illa fides, qvæ eſt indubitata cordis in Chriſtum fiducia, non ab operibus conſummatur, ſed contrà, operum conſummatio, ab hac fide in ſolidum dependet Rom. 14. v. 23. Ebr. 11., 4. ſeq. tùm deniq;, qvia fides, qvæ eſt externa fidei profeſſio, univerſam perfectionem ab operibus mutuatur. Nam externa illa fidei profeſſio, tùm demum ſeria, ſincera & perfecta, ubi qvod homo verbis teſtatur, id opere comprobat. Notum eſt hoc *Chriſti* ad vanos fidei jactatores alloqvium Matth. 7. v. 21: *Non omnes ingredientur in regnum Dei, qui dixerint Domine, Domine, ſed qui fecerint voluntatem patris qui eſt in cœlo.* Nec ignota ſunt cuiqvam *Pauli* monita. 2 Tim. 2. v. 19: *Diſcedat ab Injuſtitia omnis* ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα κυρίου. 2. Tim: 3. v. 5.

3. v. 5: Ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι. Qvis jam negare volet, qvòd Apoſtolus per fidem hìc haudqvicqvam aliud intelligat, qvàm externam fidei profeſſionem, ut qvæ perfectionem, & δύναμιν operibus merito acceptam referat.

Doctrinæ. Deus noſter & ſervator Jeſus à nobis reqvirit, ut & ingenuè ipſum confiteamur. & confeſſionis ſinceritatem bonis operibus teſtatam faciamus. Opera tua, mi homò, Deus non æſtimat, ſi de Deo & Chriſto recte non ſentis, aut de Deo & Chriſto confeſſionem edere trepidas. Docet hoc *Chriſtus* Matth 10.v.32.33, *Paulus* Rom. 10.v.9.10, *Petrus* 1.Pet.3.verſ.15. Quæ tua Confeſſio non æſtimatur à Deo, ſi comitem non habeat vitæ ſanctimoniam, monitore Chriſto Matth.7. v. 21. ſeq. Paulo Rom 2, v.19.20. ſeq. 2. Tim.2. v.19. Jac.2. v.14. ſeq.

V. 23 Καὶ ἐπληρώθη ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα. Ἐπίστευσε δὲ Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην, καὶ φίλος Θεοῦ ἐκλήθη.

V. 23. Et impleta eſt ſcriptura qvæ dicit: Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei in Juſtitiam, & amicus Dei vocatus eſt.

HIc primò qværitur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia?* Dixerat Apoſtolus verſu proximè præcedente, fidem cooperari operibus, & fidem ex operibus perfici: qvod vere dictum eſſe jam oſtendit exemplo Abrahami, quippe qvi filium Iſaacum immolaturus, reipſa oſtendit, veriſſimum eſſe, qvod ſcriptura de eo multo ante teſtata fuerat, nimirum eum crediſſe Deo.

Secundò quæritur: *Quo ſenſu, quâ veritate dicatur impletam eſſe ſcripturam hanc: Credidit Abraham Deo & imputatum eſt ipſi in juſtitiam: filio Iſaaco in ſacrificium oblato? Tres* hic ſe offerunt diſſentientes *ſententiæ. Prima ſententia eſt Lutheri, ſuâ in hanc epiſtolam præfatione, qui cenſet hæc Moſis verba ad operum juſtificationem violenter à Iacobo trahi & torqueri, cùm de ſola Abrahami fide agant, & non de ejus operibus, ipſo etiam Paulo interprete* Rom. 4. verſib. 2.3. Licet vero ultrò demus, adducta è Moſe verba de ſolâ è fide juſtificatione agere; hoc tamen nomine ἀπροσδιονύσως haud accommodari ad eam, de quâ Jacobus agit, juſtificationem, clarè docebimus, tertiam ſententiam allaturi & adſtructuri. *Secunda ſententia eſt Pontificiorum Interpretum, Salmeronis, Paëzii, Lorini, Eſtii, Cornelii à Lapide, qui volunt, Apoſtolum Iacobum adducto è Moſe dicto probare velle, quod fide ſolâ non juſtificemur, ſed quod ad efficiendum juſtificationis opus concurrere oporteat fidem & opera.* Nam licet fides Abrahami imputata eſt Abrahamo ad juſtitiam, anteqvam immolaret Iſaacum: tamen immolatione Abrahami declaratum eſt, ad juſtitiam hominis non ſufficere ſolam fidem, ſed etiam opera reqviri. Nec enim (ajunt) plena fuit juſtitia Abrahami ex fide, anteqvam opera accederent, qvæ juſtitiam, è ſola fide imperfectam, compleverunt. Eadem eſt ſcholæ Socinianæ aſſertio. Hæc enim ſunt *Volkelii* lib. 4. de vera religione cap. 3. pag. 179. verba: *Fides niſi bonorum operum fructibus perficiatur,*

ciatur, juſtificationem perfectam ac ſalutem ſempiternam conciliare hominibus non poteſt: quemadmodum apertiſsimè teſtatur Iacobus cap.2. v.20.21.22.23. Qvæ eſt textus ſacri periculoſiſſima depravatio: & qvidem *duplici nomine. Vno*, qvia fides Abrahami verè perfecta fuit, anteqvam accederent opera. Etenim Abraham, juſtus fide, adeò perfectus eſt hac fidei juſtitia, ut judicio Spiritus Sancti cenſeatur verè beatus Rom.4.v.6.7.8. *Altero*; qvia tantum abeſt verè dicatur, qvod ad condendum perfectum juſtificationis opus, neceſſariò jungi debeat fides & opera, tanqvam συναίτια, ut hoc qvi dicant & doceant, injurii ſint, tùm in *gloriam divinam* Rom:4.v.2, tùm in *gratiam divinam* Rom. 3, 24. Tit 3, 5. Eph.2.v.8.9. Rom.11.v.6, tùm *in ſangvinis Chriſti immenſum pretium* Galat.5. v.4. Rom. 4. v.1.2.3.4, tùm deniq; *tranquillitatem conſcientiæ* turbent Job. 9. verſ. 3. 20. 30.31. Pſal.130, v.3 Pſal.143.v.2. 1Cor.4 v.4. Rom.5. v.1. *Tertia ſententia eſt recentiorum Lutheranorum, Hunnii tom.2. oper.latin: examine lib. 1. Bellarmini de ſcript: cap:18.pag:116.117.118, Mentzeri tom.Gieſ.5. diſp.XI. th.46.47.48. pag. 228.229, Gerhardi tom.3. Locor: Comm: th.190 pag.1527. ſeq. Glaſsii lib.3. Philol. ſacr.pag. 255, qui hunc eſſe contendunt verborum adductorum ſenſum: Cum paratum ſe oſtenderet Abrahamus, ad immolandum, juxta Dei mandatum, filium ſuum Iſaacum, reipſa oſtendit, veriſsimum eſſe, quod de eo ſcriptura multo ante teſtata fuerat, nimirum eum credidiſſe Deo.* Qvam noſtrorum Theologorum ſententiam ut illuſtremus & adſtruamus, hoc modo progredimur. Diligenter obſervanda eſt verborum, è Moſe ab Apoſtolo adductorum, diverſa in ſcripturis accommodatio. Etenim D. *Paulus* è verbis jam adductis infert, Abrahamum ſine operibus juſtificatum. Hæc enim ſunt verba Pauli Roman.4. v.2. 3: *Si Abrahamus ex operibus juſtificatus fuit, habet quod glorietur: at non apud Deum. Quid enim ſcriptura dicit? Credidit Abrahamus Deo, & imputatum eſt ei in juſtitiam.* Paulo autem adverſaretur *Iacobus*, pariter & Moſi, ſi è Moſaicâ illâ aſſertione juſtitiam operum adſtrueret. Nec enim verba Moſis iſtum ſenſum admittunt. Nam non opera, ſed operibus contradiſtinctā fidem, Abrahamo in juſtitiam imputatam eſſe, Moſes Gen.15.v.6 diſertè docet. Qvid ergo vult ſibi *D. Iacobus*, qvi verba Moſaica, qvæ de juſtitiâ fidei unice agunt, interprete *Paulo* Rom.4,2.3.4, ad juſtificationem ex operibus accōmodat? *Iacobus* ipſe univerſam difficultatem expedit, qvando dicto Moſaico, de fide Abrahami, qvæ ipſi in juſtitiam imputata eſt, hæc verba ſciens præmittit: *Et impleta eſt ſcriptura.* Qvo præloqvio innuere vult D. Jacobus, ſe, non more & modo D. Pauli, è verbis Moſaicis adſtruere velle, eam, quæ coram Deo valet juſtificationem, fidei unice adſcribendam, operib⁹ penitus excluſis: ſed argumentari ſe ex eorundem complemento, qvomodo ſc. Abraham reipsâ mōſtraverit verè tributum eſſe ipſi divinitus hoc elogium, qvod Deo crederet. Nam cùm prōptum oſtenderet ſe ad immolandū unigenitum filium Iſaacum, hoc documēto evidentiſſimè oſtendit, qvod ſcriptura non falsò, ſed veriſſimè de ipſo teſtata eſſet, videlicet, credidiſſe ipſum Deo, & hoc ipſum in juſtitiam imputatum eſſe. Qvæ ſententiæ Jacobeæ interpretatio, ne à nobis videatur ingenioſe conficta, paucis adſtruenda eſt. Scriptura hæc: *Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ipſi in juſtitiam:* aut ita impleta eſt, oblato filio Iſaaco, ut Abraham nec crediderit in Deum, nec fides ipſi in juſtitiam imputata ſit, anteqvam filium

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Iſaacum, juſſu divino, immolaret: aut impleta dicitur hæc ſcriptura, Iſaaco fide oblato, qvòd hac filii immolatione, tanqvam illuſtri & indubitato documento, clarè oſtenſum ſit, ſcripturam multo antè teſtatam fuiſſe, credidiſſe Abraham Deo, & ipſi in juſtitiam imputatum fuiſſe: nec enim tertium, qvod ſciam, dari aut nominari poteſt. Prius certè nullâ vel veri ſpecie qvisqvam dixerit, vel ipſo *Eſtio*, ſcriptore Pontificio, eoq; benè docto, fatente: Negari enim non poteſt, qvin Abrahamus crediderit Deo, & fides ipſi in juſtitiam imputata fuerit, tempore benè longo anteqvam Iſaacum immolaret. Hæc namq; ſententia: *Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ipſi in juſtitiam:* deſcripta extat Geneſ. 15. v. 6. At mandatum divinum, de Iſaaco immolando, demùm traditur Gen. 22. v. 1. 2. ſeq: ita ut ſpatium annorum plurimorum intervenerit. Qvocirca verba hæc: *Et impleta eſt Scriptura:* neceſſario explicanda ſunt de documento operis immolati Iſaaci, qvo clarè indicatum fuit, ſcripturam longo ante tempore de Abrahamo verè dixiſſe: *Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ipſi in juſtitiam.* Qvanqvam verò ut plurimum *impleri ſcriptura* dicitur, cùm qvæ prædicta ſunt, eventu ac ipſo opere comprobantur, veluti videre eſt Matth. 26. v. 54. 56. Marc: 14. v. 49. & 15: v. 28. Lucæ 4. v. 21. Act. 1. v. 16: & locis longe plurimis: tamen non eſt planè novum & inſolens in ſcripturis, ſcripturam tùm impleri, qvando rei, antea & traditæ & præſtitæ atq; impletæ veritas, externo aliqvo documento hominbus manifeſtatur. Etenim Act. 13. v. 32. 33. hæc Pſalmi ſecundi verba: *Tu es filius meus, ego hodie genui te:* impleta dicuntur, Chriſto è mortuis reſuſcitato: non certè qvod Chriſtus tum demùm à patre genitus ſit, qvando è mortuis reſurrexit: ſed qvia ſuâ è mortuis reſurrectione potenter oſtendit & declaravit, ſe eſſe unigenitum Dei filium, interprete Paulo Rom. 1. v. 4. Cui interpretationi non invitus accedet, qvi aut verba Moſis & Pauli, aut inſtitutum Apoſtoli ſeriò æſtimare & expendere volet. Dei apud Moſen verba ſunt, animadversâ propenſiſſimâ Abrahami ad immolandum Iſaacum voluntate Geneſ. 22. v. 12. *Nunc novi quod timeas me.* Pauli autem Ebr. 11. v. 17: de eodem immolationis Iſaaci opere aſſertio eſt: *Abrahamus, qvum tentaretur, obtulit Iſaacum per fidem.* Qvis jam dubitare volet, qvin opus immolati Iſaaci, clarum documentum fuerit, & certum teſtimonium fidei Abrahami, qvam Deus tanti æſtimarat, ut longo, anteqvam immolaretur Iſaacus tempore, dixerit ſcriptura: *Credidit Abrahamus Deo & imputatum eſt illi ad juſtitiam.* Huc etiam inevitabili qvadam neceſſitate ducit D. Jacobi inſtitutum & princeps ſcopus. Nec enim propoſitum eſt Apoſtolo docere, qvomodo homo juſtificetur coram Deo, & qva re coram tribunali Dei tutus conſiſtat, huc tractus: in qvo argumento D. Paulus ſuâ ad Romanos epiſtolâ cap. 1. 2. 3. 4. unicè deſudat: ſed huc collimat D. Jacobus univerſo conatu, ut oſtendat, qvòd fidem falsò jactet, qvi fidem ſuam bonis operibus non demonſtrat. Hoc enim velle, hoc unum agere D. Jacobum, teſtis eſt ipſe D. Jacobus hujus capitis v. 18. Et huc aptiſſimè accommodatur exemplum Abrahami, qvi fidei ſuæ veritatem ſtupendo immolati filii opere, divinitùs imperato, toti mundo teſtatiſſimam fecit. Qvam eſſe motæ difficultatis ſolutionem certam, confido. Si qvis rectiora his nôrit, candidus impertiat.

Tertiò quæritur: *Quis ſit genuinus ſenſus verborum è Moſe adductorum:* Cre-

Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt illi in juſtitiam? *Tres* hic invenio *ſententias*, adverſis frontibus pugnantes: qvas ordine expendam. *Prima ſententia eſt Pontificiorum, qvi volunt, fidem, tanquam virtutem perfectiſſimam, Abrahamo in juſtitiam imputatam eſſe.* Citamus, præter alios, *Pererium*, cujus hæc ſunt verba, diſp. 2. in cap. 15 Geneſeos pag. 559. 560: *Fides, quæ imputatur Abrahamo, in juſtitiam, perfectiſſima & præſtantiſſima virtus eſt; tùm qvoad rem creditam, quæ fuit merè ſupernaturalis, videlicet, ipſi, ſenio confecto, ſurrecturam è fœmina, & ſterili natura, & annos pariendi ſupergreſſa, poſteritatem numeroſiſſimam: tùm quoad modum credendi, quia absq; cunctatione firmiſſimè credidit; tùm deniq; quia fides iſta conjuncta fuit cum aliis virtutibus plurimis & præſtantiſſimis, Pietate, Comitate, Modeſtia.* Qvæ eſt aſſertio, doctrinæ Paulinæ ad Romanos 4. v. 1. 2. 3. 4, è diametro oppoſita. Cùm enim Abrahamus juſtificatus ſit tali fide, qvæ omne opꝰ excludat, teſte *Paulo* Rom. 4. v. 2. ſeq.; ruat neceſſe eſt aſſertio Pontificia, Abrahamum juſtificatum eſſe ipſo credendi actu, tanqvam virtute perfectiſſimâ & præſtantiſſimâ. Qvis enim negabit, hunc opere juſtificari, qvi actu credendi, tanqvam virtute perfectiſſimâ, juſtificatur? Omnis namq; actio, à virtute profecta, opus eſt. Nec juſtificare fidem, qvatenus eſt opus, à nobis prodiens, aut qvalitas nobis inhærens: ſed univerſam fidei ad juſtificandum vim, unice pendere à Dei actione & objecto fidei, Chriſto, teſtis eſt ſcriptura Johan. 6. verſ. 29. Rom. 3. v. 24. 25. & 5. v. 19. 1 Cor. 1. v. 30. 2 Cor. 5. v. 21. *Secunda ſententia eſt Socini, qui diſp. de ſervatore Chriſto cap. 11 contendit, Abrahamum credendo, id eſt confidendo Deo, juſtificatum eſſe. Confidentiam autem iſtam interpretatur eodem capite, non tam aſſenſum & fiduciam, quàm obedientiam, quæ divinis præſtatur mandatis. Si enim Abrahamus, inquit Socinus, verè & perfectè juſtificatus fuiſſet coram Deo, quia id, quod promiſerat futurum, credidiſſet* Gen. 15. v. 6, *falsò deinde edictum foret, conſeqvuturum idcirco ipſum eſſe illud promiſſum, quia Dei dicto in re admodum arduâ audiens poſtea fuiſſet* Gen. 22. v. 16. 17. Qvæ eſt doctrinæ Paulinæ, traditæ Rom. 4. v. 1. 2. ſeq., impudens refutatio. Si enim fides, qvâ juſtificamur, confidentia eſt: confidentia autem eſt obedientia, mandatis divinis præſtita: ecqvis non videt, qvod qvi credendo juſtificatur, operando juſtificetur? Qvod Apoſtolus negat Rom. 4. v. 5: *Non operanti ſed credenti in eum qui juſtificat impium, imputatur ſua fides ad juſtitiam.* Et qvæ eſt audacia contendere, qvod obedientiâ, qvam divinis præſtamus mandatis, conſtituamur coram tribunali Dei juſti, cùm diſertiſſima Apoſtoli aſſertio ſit, qvòd unius Chriſti juſtitiâ juſti conſtituamur Rom: 5. v. 19. *Tertia ſententia eſt Theologorum Orthodoxorum, ad unum omnium, qvibus indubitato certum eſt, fidem Abrahami non alio ſenſu imputatam eſſe ipſi in juſtitiam, quam quia fide apprehendebat Ieſum Chriſtum, factum ipſi à Deo in juſtitiam.* Explicationis immotum fundamentum eſt: Abrahamum eodem modo, qvo nos, juſtificamur, juſtificatum eſſe Rom. 4. verſ. 12. 16. 23. 24. Nos autem juſtificamur imputatâ nobis Chriſti Juſtitiâ Rom. 4. v. 23. 24. 25. Rom. 5. v. 19. 1 Cor. 1. v. 30. 2 Cor 5. v. 21.

Quartò qværitur: *Vbi locorum in ſcriptura Abrahamus vocetur Dei Amicus? & an ex honorario hocce elogiô juſtificatio ex operibus certò adſtrui poſſit?* Tria ſunt in ſcripturis tàm Canonicis, quàm Apocryphis loca, præter præſentē Jacobi locum, in qvibus Abraham honoratur ſolenni *amici Dei* appellatione: vide-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

videlicet 2. Chron 20. v. 7. Eſa. 41. v. 8. Dan. 3. v. 35. Judith. 8. v. 22. Singula verò loca, qvi vel attentiſſimâ curâ perviderit, non inveniet vel apicem, qvi ullâ veriſimilitudine eò ducat, Abrahamum ideo juſtificatũ eſſe operib⁹, qvia Dei amicus vocatus eſt. Liqvebit clarè, ſi promamus cauſas, *ob quas Abraham celebretur in ſcriptura Dei amicus. Initio dignatur hunc Deus nomine amici, cui regni ſui arcana committit & revelat.* Amici enim amicis ſecretiſſima qvæq; cordis concredere ſolent, teſte *Chriſto*, ita alloqvuto diſcipulos Johan. 15. v. 15: *Vos dixi amicos, quia omnia quæ audivi à patre meo nota feci vobis.* Qvomodo verò Deus ſecretiſſiima qvæq; Abrahamo, tanqvam amico, committere ac concredere ſolitus fuerit, videre eſt Gen. 18. v. 17. 18. 19. Etenim everſurus Jehova Sodomam, his Abrahamum compellat verbis: *Num celare potero Abrahamum, quæ geſturus ſum? Deinde amicorum nomine hos Deus inſignit, qui in via mandatorum Dei indefeſſo ſtudio ambulant.* Vox enim Chriſti eſt Joh. 15. v. 14: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Abrahamum vero in mandatis divinis implendis prompto animo ſemper occupatiſſimum fuiſſe legere eſt Gen. 12. v. 1. 2 ſeq. & 18. v. 19. & 22. v. 1. 2. ſeq. & Ebr. 11. v. 8. ſeq. *Tertiò hos vocare Deus ſolet amicos ſuos, qui fide Chriſto Ieſu inſiti ſunt.* Notum eſt hoc Chriſti ad diſcipulos alloqvium Joh, 16. v. 27: ὁ πατὴρ φιλεῖ ὑμᾶς, ὅτι ὑμεῖς ἐμὲ πεφιλήκατε, & credidiſtis, qvod ego à Patre exierim. *Quæritur jam, quòd cum plures à Spiritu Sancto recenſeantur cauſæ, ob quas aliquis cenſeri poſsit amicus Dei: quam potiſsimùm hic reſpiciat D. Iacobus?* Ego credo Apoſtolum cauſam intermediam reſpicere, ac docere vellè, Abrahamum, tanqvam ſedulum mandatorum divinorum executorem, annumeratum eſſe amicis Dei: & id tùm inprimis factum eſſe, cùm teſtaretur ſuam promptitudinem in immolando filio: Teſtis enim eſt ſcriptura Gen. 22. v. 16. ſeq., Deum cum Abrahamo, ubi Abrahamus filio non pepercisſet, fœdus novum pepigiſſe, idq; ipſum jurejurando ſanciviſſe, & ſic eum in propriorem amicitiæ gradum recepiſſe. Belliſſimè autem hæc qvadrant ad inſtitutum Apoſtoli, ut qvi hoc probatum dare allaboret, vanam eſſe fidei externam profeſſionem, qvæ à bonorum operum ſtudio ſejuncta eſt. Nec enim qviſqvam aut verè credit, aut Dei amicus eſt, qvi bonis operibus ſedulò non ſtudet.

Doctrinæ. Tu qvi verè fidelis, non tam haberi, qvàm eſſe voles: Deo fidem habe, etîam difficilima & captum rationis longiſſimè excedentia, præſcribenti & jubenti. Fac qvod fecit *Abraham*, qvi certus eſt, non defuturam ſibi, juxta promiſſum divinum, numeroſam poſteritatem, ſi vel maximè occidatur Iſaac Gen. 22. v. 1. 2. 3. Rom. 4. v. 18. 19. ſeq. Imitare *Mariam*, qvæ indubiè ſtatuebat, ſe fore matrem, licet virum non agnoſceret Lucæ 1. v. 31. 32. 33. ſeq. Dic cum *Angelo*: *Non eſt impoſsibile apud Deum ullum verbum* Luc. 1, 37. Dic cum *Davide* Pſal. 33. v. 9: *Domino dicente eſt quicquid eſt: ipſo præcipiente exiſtit.* Dic cum *Paulo* Eph. 3. v. 20: *Deus ſumma cum exſuperantiâ poteſt facere ſuper ea quæ petimus aut cogitamus.* Vide vero, ut tu qvi verè fidelis es, obſeqvio & vitæ ſanctimoniâ teſteris ac probes te Dei eſſe amicum: ſedulò propone tibi imitandum fidelem Abrahamum, Dei amicum. Abraham Deo vocanti paruit, & è patriâ libens exivit, in terris, dum vixit, peregrinus, ſed cœli incola Gen. 12. v. 1. 2. ſeq. Ebr. 11. v. 9. 10. Tu Dei ut ſis amicus, terrena lin-

qve,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

qve, ac omnia qvæ in mundo ſunt, tanqvam fluxa & momentanea, deſpice, ac tuum in cœlis πολίτευμα qvotidiè qvære Phil.3.v.20. Col.3.v.1. Abraham omnia obſeqvio & dilectioni Dei poſtpoſuit, ita ut filius, & unicus, & chariſſimus, ſorderet & planè nihili eſſet ipſi præ Dei amore & cultu Gen.22.v.1 2. ſeq. Eodem te eſſe decet animo & affectu, ſi amicus Dei eſſe voles, memor moniti Chriſti Matth.16.v.24.25.26.

V. 24. ὁρᾶτε τοίνυν, ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος, καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον.

V.24. Videtis igitur, qvod ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum.

Hic primò quæritur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia?* Operoſé docuerat Apoſtolus verſibus tribus qui proximè præceſſerunt, & qvidem Abrahami exemplo, hominem non ſolâ fide, ſed etiam operibus juſtificari. Concluſurus jam D. Jacobus argumentum, ab exemplo Abrahami ductum, aſſertionem generalem ſtatuit, ac hypotheſi Abrahami ad theſin traductâ, infert; hominem, qvi juſtificatur, operibus juſtificari, & non ſolâ fide. Imitari videtur, annotante *Paræo*, argumentandi rationem, à D Paulo ſervatam Rom. 3. v. 28. Sicut enim *Paulus* ex ſuis præmiſſis infert hanc theſin: *Colligimus igitur fide juſtificari hominem ex operibus legis:* Sic *Iacobus* ex iis, qvæ de juſtificatione Abrahami præmiſit, ſtatuit univerſé hanc theſin: *Videtis igitur, ex operibus juſtificari hominem & non ex fide tantum?*

Secundò quæritur: *An è particulari Abrahami exemplo D. Iacobus univerſalem aſſertionem ac theſin ſat tuto ac certo ſtatuat? Nec enim unum exemplum ſat aptum videtur, è quo univerſalis condatur aſſertio.* Verùm ſi hæc inſtantia, è latifundiis Logicorum petita, qvantivis eſſet pretii, & *Paulus* & *Iacobus* non tam accuſaretur, qvàm convinceretur vitioſæ argumentationis. Nam & ille Rom. 4.v.1.2.ſeq. & Iſte hoc capite v.21.ſeq: Abrahami exemplo pugnat, juſtificationis doctrinam propugnaturus. Expedita vero erit univerſa difficultas, ſi dixerimus, Abrahamum proponi, tanqvam exemplar qvoddam juſtificationis, cui qvotqvot juſtificabuntur, ſive gentiles, ſive Judæi, conformabuntur, monitore *Paulo* Rom.4. v.11.12.23.24.

Tertiò qværitur: *Adverſisnè frontibus pugnent* Paulus *&* Iacobus, *doctrinam juſtificationis tradituri, & eandem exemplo Abrahami adſtructuri? Nam Paulus exemplo Abrahami docet, hominem fide, ſine operibus, juſtificari, inquiens* Rom.4.v.2.3.4.5. *Si Abraham ex operibus juſtificatus fuit, habet unde glorietur. At non apud Deum. Quid n. Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo & imputatum eſt illi in juſtitiam. Atqui ei qui operatur merces non imputatur ex gratiâ, ſed ex debito: Ei vero qui non operatur, ſed credit in eum, qui juſtificat impium, imputatur fides ſua ad juſtitiam. At Iacobus, eodem exemplo Abrahami uſus, ita concludit: Videtis igitur quod ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum. Quæ videtur eſſe* ἄσπονδος *pugna, in quâ concilianda Interpretes laborioſè ſudârunt, ſed diverſiſſimâ viâ.* Nihil dicam de *Luthero* & Lutheri ſectatoribus, *Eraſmo*, *Vito Theodoro, Bugenhagio, Centuriatoribus Magdeburgenſibus, Lucâ Oſiandro*,

 addu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

adductis qvæſtione primâ præliminari, qvi epiſtolam Jacobæam è Canone ſacro
ejecerunt, qvod auctor oppugnaret gratuitam juſtificationem, à Paulo in epiſto-
lâ ad Romanos cap 4. exemplo Abrahami adſtructam. Qvi ingenioſiores vi-
deri voluerunt, in hac diſſenſione concilianda, *Pontificii, Sociniani, Arminiani,*
huc confugerunt: Apoſtolum Paulum non quævis opera è negotio juſtificationis exclu-
dere, ſed ea tantùm, quæ fidem Chriſti antecedunt, & ſolis naturæ viribus præſtan-
tur: Iacobum vero non admittere quævis opera ad juſtificationis actum; ſed ea ſola,
quæ è fide verâ & vivâ proficiſcuntur. Qvam conciliationem cur non probemus,
diductè docuimus commentario noſtro ad v.21. qvæſt: 3: qvò Lector remittitur,
ne crebrâ ejuſdem rei repetitione ſomnus obrepat. Veram conciliationem pau-
cis trademus. Nec vox *fidei*, nec vocabulum *juſtificandi*, eodem ſenſu à *Paulo*
& *Iacobo* ſumitur. *Paulus certe, quoties hominem ex fide, citra opera, juſtificari do-*
cet; toties fidem intelligit, quæ non tantùm ſit notitia verbi divini Roman. 10. v. 14.
nec tantùm ſit firmus aſſenſus, quo planè perſuaſi ſumus, nihil contineri verbo divi-
no, quod non ſit longè veriſſimum Hebr. 11. v. 1. Rom. 4. v. 18. Jac. 1. v. 6, *ſed quæ*
inprimis ſit indubitata cordis fiducia, quâ certò ſtatuimus, Deum velle nobis, quan-
tumvis peccatoribus maximis peccata propter filium Ieſum remittere, juſtitiam Chriſti
imputare, & vitâ æternâ beare 1. Tim: 1. v. 15. 16. Galat: 2. v. 20. Rom: 8. v. 38. 39.
1 Johan: 5. v. 13. 14. Hæc autem fides, qvâ hominem χωρὶς ἔργων juſtificari
docet Paulus, viva fides eſt. Nam juſtus ſuâ fide vivet Rom: 1. v. 17. Hæc eti-
am fides non eſt otioſa fides, ſed δι᾽ ἀγάπης ἐνεργουμένη Galat: 5. verſ. 6.
Hujus deniq; fidei maxima eſt utilitas. Nam juſtitia Dei eſt ex fide in fidem
Rom. 1. v. 17: Corde creditur ad juſtitiam Rom: 10. v. 10: Fide habemus acceſ-
ſum ad Deum Rom: 5. v. 1: Fide ſumus filii Dei Joh: 1. v. 12: Fide habemus re-
miſſionem peccatorum Eph 1. v 7: Fidei finis eſt ſalus & vita æterna 1 Petr: 1.
v. 9. *A quâ fide longiſſimè abire fidem, de qua D. Iacobus à 14 verſu, uſq; ad finem*
diſſerit, probatu facilimum eſt. *Nam ſive eſſentiam, ſive proprietates fidei ſpectes,*
differentia hic ſe offert maxima. Etenim *forma & velut anima fidei à D. Paulo in*
juſtificationis opere tantopere commendatæ, immota cordis in mortem, meritum & o-
bedientiam Chriſti fiducia eſt, 1. Tim. 1. v. 15. 16. Galat 2. v. 20. Rom: 8. v. 38.
39. 1. Johan 5. v 13. 14. *Sed vero fides illa, de qua diſſerit Iacobus, & quam ſub*
cenſuram vocat, externa fidei, à Paulo probatæ & prædicatæ, profeſſio eſt, qvod ex
univerſo diſſertationis Jacobeæ contextu adeò planum eſt, ut id nulla veriſimi-
litudine negari poſſit. Diſerta n. Apoſtoli verba ſunt v. 14: *Quid prodeſt fratres*
mei, ſi quis dicat fidem habere ſe, opera vero non habeat? Num poteſt hæc fides ſal-
vare ipſum? Qvicqvid igitur de fide hîc dicitur, totum hoc ad externam fidei
profeſſionem unicè referendum eſt. Nam argumenta qvibus hîc pugnat D. Ja-
cobus, non fidem illam, qvam D. Paulus probat & propugnat, ſed jactatam fi-
dei profeſſionem, ab operum bonorum, inprimis caritatis, ſtudio ſejunctam, tan-
tùm impugnant. De eâ namq; fide D. Jacobus diſſerit, qvæ, ab operibus ſepa-
rata, nec utilis, nec ſalvare poteſt. Qvod qvi retulerit ad fidem, à Paulo pro-
batam & deprædicatam, qvæ eſt immota cordis in Jeſu obedientiam & mor-
tem fiducia, extremæ blaſphemiæ meritiſſimò accuſabitur. Clara enim D. Pau-
li aſſertio eſt Eph. 2 v. 8 9: *Gratia ſervati eſtis per fidem: Non ex operibus, ne quis*
glorietur. Et ut adhuc evidentius pateat, ſermonem non eſſe D. Jacobo de *fide,*

quâ

quâ coram tribunali Dei conſiſtimus tuti ac intrepidi, certi de vitâ æternâ; ſubjungit D. Jacobus hæc verba v. 15. 16: *Quodſi frater aut ſoror nudi fuerint, & indigi victus quotidiani: dicat autem eis aliquis veſtrum: Ite in pace, calefcite & ſaturamini: non dederitis autem eis quæ ſunt neceſſaria corpori: quæ erit utilitas? Ita quoq; fides, ſi opera non habeat, mortua eſt ſecundum ſeipſam.* Qvæ eſt collatio non veræ & vivæ fidei, pariter & ſinceræ caritatis: Sed comparatio eſt vanæ jactantiæ fidei & caritatis, non niſi in lingva hærentis, nec ſe ullo opere prodentis. Et ut pergamus in hac lineâ: *Quis dicere audebit, veram fidem, quâ coram Deo juſtificamur, communem eſſe hominibus cum ſpiritibus æternum damnatis?* Notum eſt hoc Spiritus S. effatum Joh: 1. v. 12: *Quotquot receperunt eum (Chriſtum,) dedit eis ἐξουσίαν, ut fierent filii Dei, nempe iis qui credunt in nomen ejus.* At fides, qvam ad juſtificationem ſufficere negat D. Jacobus, Dæmonum etiam fides eſt v. 19. Nam Diabolus credit Deum eſſe unum v. 19: ſæpe etiam faſſus eſt, Chriſtum eſſe Dei filium Matth. 8. v. 29: Marc: 1. v. 24. & 3. v. 11. & 5. v. 7. Lucæ 4. v. 34. & 8. v. 28. Act. 19. v. 15. Qvæ Dæmonum fides, quia eſt nuda veritatis profeſſio, ſine certâ in gratiam Dei, per Chriſtum partam, fiduciâ: Qvid mirum, qvod Dæmones credant & contremiſcant. Qvod qvàm abeat ab indole veræ & juſtificantis fidei, teſtis eſt *Paulus*, inqviens Roman: 5. v. 1: *Iuſtificati fide pacem habemus apud Deum.* Et ut tandem abſolvamus diſſertationem de diverſâ fidei apud *Paulum & Iacobum* acceptione: Qvâ vel veri ſpecie dicemus, Jacobum loqvi de vera & juſtificante fide, qvippe qvam diſertè vocat fidem in ſe mortuam v. 17. 26. Nec enim qvisqvam ullâ veriſimilitudine dixerit veram fidem, eamq; juſtificantem, à Paulo operoſiſſimè laudatam, mortuam fidem eſſe, qvæ etiam majoris non ſit, ſine operibus, qvàm eſt corpus, vitâ & Spiritu deſtitutum v. 26. Tantum certè abeſt, opera vitam tribuant veræ fidei, ut contrà univerſus valor operum à verâ fide in ſolidum pendeat, teſte *Paulo* Rom 14, 23. Ebr. 11. v. 6. *Apoſtolo itaq; Iacobo non de juſtificante illa fide, conſiſtente in immotâ cordis in obedientiam & meritum Chriſti fiduciâ ſermo eſt, quam Paulus ad juſtificationem unicè requirit; ſed D. Iacobus nomine fidei externam fidei profeſſionem intelligit, quâ hominem coram Deo juſticari, & ad vitam æternam acceptari, Paulus nunquam dixit, nunquam docuit.* Veluti verò aliter Paulus, aliter Jacobus accipit Fidei vocabulum: *Ita nec de unâ & eadem juſtificatione agit Paulus & Iacobus. Paulus namq; de eâ diſſerit juſtificatione, quâ homo, ad tribunal Dei tractus, Deo judice, adeo juſtus pronunciatur, ut extra periculum condemnationis conſtitutus, de vitæ æternæ hæreditate propter Chriſti obedientiam & meritum certiſſimus ſit. De qua juſtificatione non agere D. Iacobum, univerſæ diſſertationis habitus quàm maniſeſtiſſimè oſtendit.* Hunc enim figit ipſe Div. Jacobus ſuæ inſtitutionis ſcopum v. 18: *Oſtende mihi fidem tuam ex operibus, & ego oſtendam tibi fidem meam ex operibus.* Qvæ verba, vel obiter inſpecta, manifeſtè docent, & certò evincunt, non qværere D. Jacobum, qvâ ratione homo coram Deo juſtificetur, aut juſtificari poſſit: Sed eò ſpectare omnia, quæ hoc capite à D. Jacobo ſubjunguntur, ut oſtendatur, quæ ſint illa indicia & documenta, quibus homo homini teſtatum facere poterit, qvod qvam ore promit fidem, non ficta & fucata, ſed vera ac viva fides ſit. Huc referri, qvod de Dæmonum fide traditur, oſtendimus v. 19. Huc etiam tendere oblationem Iſaaci, qvâ ſinceritatem fidei ſuæ teſtatus eſt Abra-

ham, monſtravimus v. 21 22. 23. Ad hanc deniq; metam unicè tendere exemplum *Rababæ*, commentario noſtro in verſum, qui proximè ſubjungetur, clarè monſtrabimus.

Doctrinæ. Vaniſſima eſt fidei profeſſio, qvæ à bonis operibus ſejuncta eſt. Teſtatur id Chriſtus Matth 7. v. 21. 22. ſeq. Evincunt exempla ſanctorum, Abrahami Gen. 22. v. 12. ſeq, Jobi cap. 1. v 8. ſeq., Davidis Pſal. 119. v. 97. 98. ſeq., Zachariæ & Elizabethæ Lucæ 1. v. 6, aliorum.

V. 25 Ὁμοίως δὲ καὶ Ῥαὰβ, ἡ πόρνη, οὐκ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ὑποδεξαμένη τοὺς ἀγγέλους, καὶ ἑτέρᾳ ὁδῷ ἐκβάλλουσα.

V. 25. Similiter autem etiam Rahab meretrix, annon ex operibus juſtificata eſt, cum excepiſſet nuntios illos, & aliâ viâ emiſiſſet.

HIc primò qværitur: *Quis ſit nexus orationis Apoſtolicæ, & qui verborum adductorum verus ſenſus?* Manifeſtiſſimus eſt. Nam affertur alterum exemplum, qvo juſtificatio ex opere adſtruitur. Ubi ſingulari curâ & attentione obſervanda venit particula ὁμοίως, ab Apoſtolo hìc uſurpata. Hâc namq; docere vult D. Jacobus, qvod qvæ de juſtificatione Abrahami notanda monuit, hìc haud negligenda ſint. Qvocirca veluti *Abraham*, juſtus coram Deo fide ſine operibus, non tàm nudâ fidei profeſſione, qvàm operibus agnitus & declaratus eſt coram hominibns juſtus: Ita & *Rahab*, ſolâ fide coram Deo juſta, non è nuda fidei profeſſione, ſed potiſſimum ex opere receptorum hoſpitio nuntiorum, & aliâ viâ emiſſorum, agnita & declarata eſt coram hominibus juſta. Hunc enim eſſe verborum adductorum ſenſum genuinum, qvæſtione tertiâ docebimus.

Secundò qværitur: *Quo ſenſu Rahab ab Apoſtolo vocetur* πόρνη? Doctè & diductè tractavere hanc qvæſtionem *Serarius Ieſuvita* in Joſv. cap. 2. qvæſt. 3. pag. 282, 283. ſeq & *Spanheimius* part. 1. dubior: Evangel: dubio 25. pag. 204. ſeq. Strictim ut promamus qvæ auctores nominati in plurimas diduxere paginas, *duæ* ſe hìc offerunt *ſententiæ*. *Prior ſententia eſt Rabbinorum pluſculorum, ut & recentiorum Chriſtianorum, Lyrani, Vatabli, Ariæ Montani in cap. 2 Ioſvæ, Tiselmanni in cap. 1. Matt, qui Rahabam non meretricem, ſed hoſpitam fuiſſe contendũt: (1) quia Ebræum Zonah non tantùm meretricem, ſed etiam hoſpitam ſignificat: (2) quia haud decebat, ut exploratores Iſraelitici, ad fœminam, quæ quæſtum corpore faceret, diverterent; (3) deniq; quia extremè abſurdum, proſtibulum nubere principi; quod etiam ne fieret lege divinâ cautum fuit* Deut. 23. v. 17. Levit: 21, 7. *Rahab vero Salmoni principi in tribu Iuda copulata legitur* Matth: 1. v. 5. Qvæ argumenta non ſtringunt. Non *primum:* Nam Zonah ſcriptoribus ſacris non eſt hoſpita, ſed proſtibulum, à radice Zanah ſcortatus, fornicatus fuit: qvo etiam ſenſu accipitur Gen. 34. v 31. Gen. 38. v. 15. Levit. 21. v. 7. Deut: 23. v. 18. & locis prope innumeris. Non *ſecundum.* Nam aut neſciverunt proſtituti pudoris fœminam fuiſſe, aut ſi vel maximè ſciverunt, ad eam non diverterunt, ut cum eâ peccarent, ſed ut ex urbe commodior & tutior eſſet exitus, ſiqvidem domus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

qvam incolebat, parieti mœnium impoſita erat Joſv. 2. v. 15. Non *tertium*: Nam eodem jure concluſeris, non licuiſſe Salmoni eam ducere, qvod eſſet Gētilis: Hoc enim ne fieret lege divinâ cautum fuit Exod 34. v. 16. Deut: 7. v. 3. Veluti vero non impediebat conjugium idololatria, veri Dei ſincero cultu jam commutata; ita nec infamis vita obeſſe potuit ſalutari pœnitentia laudabiliter expiata. *Poſterior ſententia eſt Clementis Romani, Irenæi, Origenis, Ephraim Syri, Nazianzeni, Chryſoſtomi & Interpretum recentiorum prope omnium, quibus Rahab non tam hoſpita ſeu cauponaria eſt quam meretrix:* Huc ducit nativa vocis τῆς πόρνης ſignificatio. Eſt enim à περνάω vendo, ita ut πόρνη ſit fœmina, quæ corpus ſuum proſtituit & vendit, ſeu fœmina quæ quæſtum corpore facit, meretrix, ſcortum, proſtibulum. Quocirca cùm non tantùm *Iacobus* hoc loco, ſed etiam *Paulus* Ebr. 11. v. 31. *Rahabam* vocet τὴν πόρνην; nemo dubitare poteſt, quin proſtituti pudoris fœmina fuerit, quæſtum faciens corpore.

Tertiò qværitur: *Quo ſenſu Rahab ex operibus memoretur juſtificata?* Certè Rahab operibus coram Deo juſtificata non fuit, ita ut ob ſuſceptos hoſpitio peregrinos, & fune per feneſtram dimiſſos incolumes, deſignata ſit hæres vitæ æternæ, & digna habita, quæ ab æternis libera eſſet pœnis: Sed juſtificata dicitur ex operibus Rahab, quia fide coram Deo juſta, non tàm externa fidei profeſſione, quàm opere exceptorum hoſpitio exploratorum, agnita, declarata & oſtenſa eſt juſta. Quod verè dici pluſcula ſunt quæ certò evincant Primo urgemus voculam ὁμοίως: quippe quâ indicatur, Rahabam, fœminam gentilem, eodem juſtificatam eſſe modo, quo juſtificatus fuit Abraham, Judæorum pater. Abrahamum autem operibus coram Deo non eſſe juſtificatum, clarè condocet Paulus Rom: 4. v. 1. 2. ſeq:, & quæ præmiſimus de Abrahami juſtificatione certò evincunt. Quæ itaq; hic dicuntur de juſtificatione Rahabæ ex operibus, aliter ſi explicentur, quam de externâ fidei profeſſione, operibus declaratâ & demonſtratâ, abeunt ab exemplo Abrahami antea adducto. Deinde ducit huc ipſa hiſtoria Rahabæ, deſcripta Joſv: 2. Nam iſthic loci non proponitur juſtificans Rahabæ fides, qvâ coram Deo juſta, vitam conſeqvuta eſt æternam: Sed traditur externa fidei profeſſio, annotata v. 9. 10. 11, & opera commemorātur, quibus oſtendit ſe non ſimulatè, ſed ex animo id ſenſiſſe, quod profeſſa fuit, dum videlicet exploratores hoſpitio exceptos, v. 1. abſcondidit v. 6. & fune per feneſtram incolumes dimiſit v. 15. Tertio: teſtis eſt exceptione omni major Paulus Ebr 11. v. 31. Rahabam non operibus ſuis, ſed fide mortem & damnationem evaſiſſe, hoc eſt, juſtificatam fuiſſe. Apoſtoli verba ſunt: Πίστει Ῥαὰβ ἡ πόρνη οὐ συναπώλετο τοῖς ἀπειθήσασι. Quarto: Univerſus diſſertationis Jacobeæ habitus evincit, nec *Abrahami*, nec *Rahabæ* exemplum alio fine adduci, quàm ut oſtendatur, externam fidei profeſſionem, non eſſe certum documentum, quo homo homini ſinceritatem fidei oſtendere poterit; opera neceſſariò conjungenda eſſe, more & modo quo tùm Abraham, tùm Rahab fidei ſinceritatem oſtendit. Et ut concludamus: Si ſermo eſſet de vera coram Deo juſtificationis causâ, qvâ qvis hæres pronunciatur vitæ æternæ, qvis auderet dicere, tàm nobile ſcortum per unicum illud ſervatorum exploratorum factum, juſtificatum ſervatumq; eſſe? Sanè Jacobus iſtâ aſſertione ſeipſum expugnaret, quip-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

pe qui hujus cap. v. 10 affirmaverat, quod qvi unicum legis mandatum vel ſemel violavit, totius legis reatu teneatur.

Qvartò qværitur: *Quæ ſint illuſtria illa facta, à quibus hîc commendatur Rahab?* Duo hîc annotantur facta, ſatis præclara. Prius Rahabæ factum, ab Apoſtolo commendatum, his enunciatur verbis: ὑποδεξαμένη τοὺς ἀγγέλους. Nomine ἀγγέλων qvi hîc ſignificentur, ex hiſtoria Joſvæ qvam certiſſimum eſt. Licet enim hac appellatione inſigniantur freqventiſſime in N. T. Spiritus cœleſtes: hoc tamen in loco ſunt nuntii, emiſſi à Joſva, ut terram Cananæam, & inprimis Jerichuntem, explorarent, veluti videre eſt Joſvæ 2. v. 1. 2. ſeq: Ὑποδέχεσθαι vero non tantum hoc loco, ſed etiam apud *Plutarchum*, *Demoſthenem*, & *Platonem* eſt familiariter excipere, hoſpitio excipere. Planiſſimè explicat Paulus Ebr: 11. v. 31. inqviens: Πίστει Ῥαὰβ ἡ πόρνη οὐ συναπώλετο τοῖς ἀπειθήσασι, δεξαμένη τοὺς κατασκόπους μετ' εἰρήνης. Poſterius Rahabæ factum, qvo ſuam teſtata fuit fidem, ita enunciat Jacobus: Καὶ ἑτέρα ὁδῷ ἐκβάλλουσα. Verbum ἐκβάλλειν, propriè eſt ejicere, expellere, in exilium ejicere, violenter pellere; veluti è lectione *Plutarchi*, *Demoſthenis*, notius eſt, qvàm ut diductiore probatione ſit opus. At hoc in loco, non ſignificat contumelioſam ἐκβολὴν ſeu expulſionem, ſed ſubitaneam liberationem, annotante Lorino. Nam teſtis eſt Joſva cap. 2. v. 15. exploratores fune per feneſtram dimiſſos eſſe ſalvos, monſtratâ viâ, per qvam inqviſitores, ex urbe miſſos, fallerent. Quæ certè Rahabæ opera digniſſima ſunt, quæ commendētur. Nam Rahab & populum Dei ſuomet populo præfert, & exploratores ut præſtet incolumes, tàm ſe, quàm univerſam ſuam familiam præſentiſſimo vitæ periculo exponit.

Qvintò qværitur: *An Rahab vere fidelis fuerit, antequam exploratores hoſpitio exciperet? & unde hæc generata fides?* Ventilat hanc quæſtionem *Juſtinianus* & *Cornelius à Lapide*. Ego rei planæ diutulè immorari nolo. Fidelem fuiſſe anteqvam hoſpites Iſraëliticos hoſpitio exciperet, teſtis diſertus eſt Div. Paulus Ebr: 11. v. 31. & clarè docet Joſva cap. 2. v. 9. 10. 11. Nec diſſimulat ipſa Rahab, unde hæc nata ſit fides, teſtata, excitatam illā fidem eſſe è famâ illâ illuſtri de ſtupendis operibus, à populo Iſraëlitico geſtis, iisq; talibus, quæ conſuetum naturæ ordinem ſuperarent Joſv. 2. v. 10. 11.

Sextò qværitur: *An Rahab hac hoſpitalitate vitam æternam promeruerit?* Lorinus improbat Abulenſem, qui quæſt: 41. in cap. 1. Joſvæ concedit Rahabam meruiſſe bona temporalia, negat vero meruiſſe vitam æternam. Sed Lorino, infelici propugnatori meriti, opponimus *Chriſtum* Luc. 17. v. 7. 8. 9. 10. & *Paulum* Rom: 6. v. 23 febrile illud meriti ſomnium validiſſimè oppugnantes.

Doctrina. Qui verè fidelis eſt, quicquid ipſi carum eſt, divinæ voluntati poſtponit. Teſtis eſt *Abraham* Gen: 22. v. 1. 2. ſeq. teſtis eſt *Rahab* Joſv: 2. v. 1. 3. ſeq. teſtes ſunt *Apoſtoli* Actor. 5. v. 28. 29. Rom: 8. v. 35. ſeq. Eodem & nos ut ſimus ingenio, modò verè fideles eſſe velimus, jubet Jeſus Matth: 16. v. 24. 25. Luc: 14. v. 25. 26. ſeqventibus.

V. 26. Ὥσ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

V. 26. Ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος νεκρόν ἐστι: οὕτω καὶ ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστι.

V. 26. Sicut enim corpus ſine Spiritu mortuum eſt: ita & Fides ſine operibus mortua est.

HIc primò qværitur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia?* Planiſſima eſt. Concluſio enim eſt totius diſſertationis, de vanitate externæ profeſſionis fidei, à bonis operibus ſejunctæ. Nam tanti eſt, & eſſe debet externa fidei profeſſio, abjuncta ab operibus bonis, qvanti eſt corpus Spiritu caſſum. Veluti vero corpus, deſtitutum Spiritu, non eſt corpus, ſed truncus, & vana veri corporis umbra: Ita externa fidei profeſſio, qvæ comitem non habet vitæ integritatem & ſanctimoniam, non eſt vera fides, ſed picta, ficta & mortua fides eſt. Hunc enim eſſe genuinum præſentis loci ſenſum, qvæ ſubjungemus, clarè & certò docebunt.

Secundò quæritur: *Quid nomine πνεύματος hîc intelligatur? & qui verborum horum: corpus χωρὶς πνεύματος mortuum eſt: verus ſenſus ſit?* Duas hic invenio *ſententias. Prior ſententia eſt Cajetani, Paræi, Mentzeri, Gerhardi, Corneli à Lapide, Interpretum Belgicorum, qui nomine πνεύματος intellectam volunt reſpirationem ſeu halitum vitalem, fomitem animæ & vitæ indicium, hoc ſenſu: quod quemadmodum verè colligimus corpus mortuum eſſe, ubi animal non reſpirat: Ita certo ſtatuere poſſumus, fidem non eſſe vivam, ſed mortuam, ubi laudabiles virtutum actiones non profert. Poſterior ſententia eſt Paëzii, Lorini, Iuſtiniani, Eſtii, Piſcatoris, Flacii, Druſii, qui πνεῦμα animam ſeu ſpiritum, aut, ut planius eloquar, ſubſtantiam quæ corpus vivificat, interpretantur, ac hunc verborum Apoſtoli ſenſum eſſe credunt: Quemadmodum corpus, anima caſſum, putre cadaver eſt: Ita fides, ſterilis operum, mortua fides eſt, quippe quæ nihil boni operis producit, vel ad Dei gloriam, vel ad eam habentis ſalutem, vel ad proximi utilitatem.* Cui poſteriori ſententiæ accedo: tùm qvia πνεῦμα in literis ſacris ſubſtantiam eam utplurimum ſignificat, qvæ vitam corpori tribuit, uti videre eſt Luc. 23. v. 46. Actor: 7. v. 59. & locis longe plurimis: tùm qvia ſpiratio & reſpiratio, Græcis ſcriptoribus non tàm πνεῦμα, quàm πνοὴ & ἀναπνόη dicitur; tùm deniq;, qvia ubi ea ſubſtantia, qvæ ſpiritus ſeu anima dicitur, abiit ſeu è corpore migravit, relinqvitur corpus νεκρὸν; cùm vivum eſſe poſſit ad tempus corpus, reſpiratione ſuſpenſâ & qvieſcente.

Tertiò qværitur: *Quid nomine fidei, quæ abſq; operibus dicitur mortua, intelligatur? Duæ* hic ſe offerunt diſſentientes *ſententiæ. Prior eſt Pontificiorum omnium & ſingulorum, qui nomine fidei veram fidem deſignari volunt.* Qvam ſententiam noſtri Theologi oppugnant, argumento efficaciſſimo, qvod textus ſubminiſtrat, hoc ſcilicet: qvòd mortua fides non ſit vera fides. Vim valentiſſimi argumenti ut hebetent Pontificii *Salmeron, Paëzius, Iuſtinianus, Lorinus, Cornelius à Lapide, Eſtius*, alii, reponunt; *non comparare Apoſtolum fidem mortuam cum homine mortuo, ſed cum corpore mortuo. Si Apoſtolus compararet*, inqviunt, *fidem*

fidem mortuam cum homine mortuo, quantivis pretii foret noſtrum argumentum. Sic enim hic emergeret ſenſus: quod veluti homo mortuus non eſt homo, ſed cadaver hominis; ita fides mortua non ſit vera fides, ſed quoddam fidei cadaver. At non comparat D. Iacobus fidem mortuam cum homine mortuo, ſed corpore mortuo. Sicut ergo corpus mortuum, verè & propriè corpus eſt; ita fides mortua verè & propriè eſt fides. Ego vero non tàm miror, qvàm ſtupeo, homines doctos, in re ſeriâ & ſanctâ adeò pueriliter ludere. Ecqvis enim neſcit, νεκρὸν σῶμα cadaver eſſe? Alia vero eſt corporis, alia cadaveris forma. Qvod ſi fides, de qvâ agit D. Jacobus, non alio ſenſu eſt fides, qvàm qvo corpus mortuum eſt corpus, nihil certè habet præter externam fidei larvam. Nam in cadavere oculus, auris, reliqva membra, non niſi nomine tenus id ſunt, qvod vocantur: juxta illud quod eſt Pſalm: 115 v. 5. 6. 7. de idolis: *Os eſt eis, ſed non loqvuntur, oculi ſunt eis, ſed non vident: Aures ſunt eis, ſed non audiunt: naſus eſt eis, ſed non odorantur; manus ſunt eis, ſed non palpant; pedes ſunt eis, ſed non ambulant: non mutiunt gutture ſuo.* Dic jam qva veritate dicere liceat, mortuum corpus eſſe verum corpus; aut mortuam fidem eſſe veram fidem; cùm nec illud veri corporis munia obire; nec iſta veræ fidei partes ſuſtinere poſſit? Sed qvo ſenſu *mortua fides* dicatur fides, fuſé docuimus hujus capitis v. 17. qvæſt. 7, nec cenſemus qvæ inibi dicta & adducta ſunt, hic cnm tædio Lectoris iteranda eſſe. Hoc tantùm addo, ſimilitudinem, à D. Jacobo adductam, analogiæ fidei extremè adverſaturam, ſi fidei nomine intelligatur vera & juſtificans fides. Nec enim opera id ſunt veræ & juſtificãti fidei, qvod eſt ſpiritus ſeu anima corpori: ſed contrà, fides id præſtat operib⁹, qvod anima corpori. Nam virtus & valentia fidei haud dependet ab operibus, verùm univerſus operum valor à juſtificante fide in ſolidum dependet, teſte ſcriptura Rom. 14. v. 23. Ebr. 11. v. 4. ſeq: Siſto: nam qvo ſenſu fides ex operibus conſummationem ſuam mutuari dicatur, diductè docuimus capitis hujus v. 22. quæſt: 4, quò Lector remittitur. *Poſterior ſententia eſt noſtrorum Theologorum, quibus fides, quæ ſine operibus dicitur mortua, externa fidei profeſſio eſt.* Nam veluti juſtificans illa fides univerſum valorem tribuit operibus, adeò ut qvicqvid non eſt ex fide, peccatum ſit Rom: 14. v. 23: ita externa fidei profeſſio univerſam perfectionem in ſolidum debet operibus. Qvod fusè docuimus commentario ad verſum hujus capitis 22, qvæſt: 4: Ibi namq; deditâ operâ monſtravimus, qvænam ſit illa fides, de qva Apoſtolus hæc refert: ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίστις ἐτελειώθη.

Qvartò qværitur: *An ex hac Apoſtoli Iacobi ſimilitudine adſtrui poſſit Pontificia diſtinctio, inter fidem informem & formatam?* Ait ſuo in hæc verba Apoſtoli commentario *Eſtius*, inqviens: *Fides informis eſt Apoſtolo velut corpus inanime: & fides formata velut corpus animatum.* Verum qvid de diſtinctione fidei in formatam & informem ſtatuere conveniat, prolixè docuimus verſu hujus capitis 14, qvæſt: 4, nec iteramus.

Doctrina. Qvi inſoleſcunt Chriſtianæ fidei profeſſione, & hac ſe jactant, vitam impuram viventes; hi ſunt ſimilimi corpori mortuo, qvod licet externam corporis formam præ ſe fert, tamen putidum cadaver eſt. Abominationi es Deo tuo, qui Chriſtianæ religionis te profiteris ſectatorem, vitam vivens à vitâ

tui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

tui Chriſti alieniſſimam. Nota eſt vox Chriſti, qvâ compellat vanos fidei jactatores Matth.7.v.23: *Certè nunquam novi vos: abſcedite à me omnes qui operam datis iniquitati.* Nota eſt qverela *Pauli* Rom: 2. v.23. 24: *Qui de lege gloriaris, per legis transgreſſionem Deum afficis contumelia. Nam Dei nomen propter vos blaſphematur inter gentes.* Qvi itaq; non tàm haberi, qvàm eſſe vult Chriſtianus, profeſſionem Chriſtianam ſanctimoniâ vitæ decenter ornabit, memor moniti ſalvatoris *Chriſti* Matth.5. v.13.14. ſeq: *Pauli* Rom: 6. v.1.2.3, ſeq: *Petri* 1 Epiſt: 2. v.11.12. ſeqventibus.

Et hæc de Capite ſecundo dicta ſunto.

CAPUT TERTIUM.

Argumentum & partitio Capitis.

NOn ignoro, omnes propè Interpretes dividere *Caput tertium* in *tres admonitiones:* quarum *Prima* ipſis eſt *de cavendâ arrogantiâ in corripiendis fratribus* v.1.2. *Secunda* de *frenandâ lingvâ* à verſu 3.uſq; ad verſum 13. *Tertia* de *manſuetudine præſtanda & cavenda invidia & rixis* à verſu 13. uſq; ad finem capitis. Verum qui nexum orationis Apoſtolicæ paulo diligentius æſtimare volet, non invitus fatebitur, non niſi unam tradi hoc capite adhortationem, & ad eam omnia & ſingula veluti ad ſcopum referri. Etenim unicè urget Apoſtolus, ut qvotqvot non tàm haberi, qvàm eſſe volunt religioſi, caveant ſibi ab intempeſtivâ cenſurâ, & licentioſo in alios animadvertendi magiſterio. Hanc enim ſtatuit ipſe Apoſtolus theſin v. 1. inqvens: *Ne ſitis multi magiſtri fratres mei.* Hunc vero in theſi adſtruendâ ſervat ductum, ut *primò* afferat *tria argumenta*, eaq; ponderoſiſſima, qvibus animos avocat à rigidiore illâ in alios animadvertendi cenſurâ. *Primum* dehortationis *argumentum deſumit à pernicioſo temerariæ cenſuræ effectu*, docens v. 1, graviſſimum judicium ſubituros, qvi aliena dicta & facta immiti cenſurâ caſtigant. *Secundum argumentum petit & promit à frenatæ lingvæ commodo*, commonens, qvòd vir perfectus ſit, qui lingvæ moderari didicit, v.2. Sed qvoniam videri poſſet παράδοξον hunc perfectum eſſe, & totum corpus regere poſſe, qvi lingvam compeſcere & frenare novit: effatum illud ſuum duabus ſimilitudinibus illuſtrat: alterâ ab equis v.3, alterâ à navibus deſumptâ v. 4. *Tertium argumentum, quô hortatur Apoſtolus ad moderamen lingvæ, promitur ab intemperantis lingvæ noxio effectu*, qvòd ſcilicet ſimillima ſit igni, qui pollet ſubitaneâ perdendi vi & facultate v. 6, eâq; tali, quæ vix domari poteſt v.7.8. Expeditis argumentis, quibus Apoſtolus ad lingvæ moderamen hortabatur: ſubjungit deinde geminum prætextum & inſtantiam, qvâ Patroni dicacioris lingvæ pugnare ac factum ſuum tueri ſolebant. *Prior prætextus* traditur v.9.10: cujus ſenſus eſt, nihil impedire, qvò minùs qvis lingvâ ſuâ Deum dignè & decenter celebret, utut in hominum vitam & facta ſeveriùs & importuniùs lingvâ ſæviat. Qvod fieri non poſſe oſtendit Apoſtolus argumento ducto ab abſurdo. Nam contra naturam eſt, ex eodem ore benedictionem & maledictionem, qvaſi calidum & frigidum, ſimul efflare v.10, 11. Et hoc illu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ſtrat geminâ ſimilitudine: alterâ ex fonte, qvi ex eodem foramine non poteſt fundere aqvam dulcem & amaram, v.11; alterâ à ficu, quæ ſimul ficus & oleas, & vite, qvæ ſimul uvas & ficus proferre non poteſt, deſumptâ v.12. *Alter prætextus & ἔνστασις patronorum petulantis lingvæ hic eſt:* indicium eſſe magni ingenii, & ſeriò urgentis munus concreditum, alios lingvâ flagellare, & raræ cujusdam ſapientiæ & ſagacitatis non vulgare documentum eſſe, qvorumvis mores ſibi habere cognitos, & in nemine non invenire, qvod ſit dignum ſeveriore caſtigatione: contrà, lentitudinem eſſe, publico bono extreme noxiam, ſemper non fervere, ſemper alios officii dicaciùs non commonere. Verùm qvàm longè abſint hi homines à verâ ſapientiâ, Chriſtiano homine dignâ, Apoſtolus commonet v.13.& 14; adductis *tribus argumentis*, qvibus evidenter evincit, qvod ſeverius hoc & importunius in alios animadvertendi magiſterium, non ſit vera ſapientia, à Deo probata: qvorum *primum* deſumitur à definitione veræ ſapientiæ, qvippe qvæ cœlitus deſcendit v.15; *ſecundum* petitur ab effectis moroſæ iſtius importunorum cenſorum ſapientiæ v.16, qvæ ſunt lites & contentiones & omne opus pravum. *Tertium* deniq; & ultimum argumentum, qvô probatum dat Apoſtolus moroſam illam iniqvorum cenſorum ſapientiam, non eſſe veram ſapientiam, deſumit ab effectis veræ ſapientiæ, qvæ enumerantur ſeptem, oppoſita moroſæ iſti importunorum cenſorum ſapientiæ v.17. Concluſurus tandem Apoſtolus v.18 diſſertationem illam de licentioſo in alios animadvertendi magiſterio, appoſitè monet, ſe haud velle omnes reprehenſiones ſublatas: id tantum urgere ſe, ne cenſuræ ex animo maligno & contentioſo proficiſcantur. Qvæ eſt capitis hujus ſummaria comprehenſio, & pauló accuratior, qvod ſpero, ἀνάλυσις, qvam eſt aut Piſcatoriana, aut Paræana.

PARÆNESIS VII.

De cavendâ iniqvâ & intempeſtivâ cenſurâ, & licentioſo in alios animadvertendi magiſterio à verſu I: uſq; ad finem Capitis.

V. 1. ΜΗ πολλοὶ διδάσκαλοι γένεσθε, ἀδελφοί μου, εἰδότες ὅτι μεῖζον κρίμα ληψόμεθα.

V. 1. NE ſitis multi magiſtri, fratres mei, ſcientes fore, ut gravius judicium auferamus.

HIc primò qværitur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia?* Pauciſſimi ſunt qvi de nexu orationis Apoſtolicæ hic ſolliciti ſint, rati, eum fruſtrà qværi. *Eſtius* cenſet Apoſtolum reſpicere ad id, qvod breviter præceperat 1. cap. v.19. 26. de lingvâ frenandâ, & aliis repetitum verbis, amplificatione qvadam lingvæ intemperantis noxam vehementius exaggerare. Ego vero judico nullam eſſe neceſſitatem, ut nexum orationis è capite primo advocemus, certi, quod quæ

proxi-

Proximo capite, hoc eſt ſecundo, dicta fuerunt, miniſtrarint Apoſtolo occaſionem tractandi de iniqvâ in alios cenſurâ. Poſtqvam enim D. Jacobus fuſè refutaſſet vanam fidei jactantiam, non ignarus nimis frequens vitium eſſe apud eos qvi fidem vanè jactant, in alienam fidem & vitam ſeverè inqvirere, ſibimet vero pluſculum indulgere: avocare aggreditur homines à licentioſo illo in alios animadvertendi ſtudio.

Secundò quæritur: *Quis ſit horum verborum ſenſus*: Μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γένεσθε? *Quatuor* hic invenio diſſentientes *ſententias. Prima ſententia eſt Auguſtini prologo in lib. 1. retract: & Bedæ ac Salmeronis hoc loco, qui volunt, revocatum velle Lectori in mentem Apoſtolum, non niſi unum eſſe Rabbi ſeu Magiſtrum ac Doctorem,* Chriſtum Matth. 23. v. 8, *ac proinde cavendum eſſe, ne plures ſint magiſtri, id eſt, tales Doctores, qui afferant doctrinam, ab unici Magiſtri Chriſti doctrinâ diſſentientem.* Non probo: Nam quæ ſubjungit Apoſtolus argumenta clarè demonſtrant, qvod hos caſtiget, non qui doctrinam, Chriſti doctrinæ adverſam aſſerebant, ſed qui cenſendi magiſterium in alios importuniùs exercebant. *Secunda ſententia eſt Thomæ Anglici, non improbante Cornelio à Lapide, contendentis, vetare Apoſtolum, ne plures ſint unius loci & urbis Epiſcopi.* Nugæ. Nec enim eſt apex in univerſo Apoſtoli contextu, qui huc ducat. Et an dicemus, monitionem hanc ſolis ſcriptam Eccleſiæ Doctoribus? Qvæ ſeqvuntur, certò oſtendunt, caſtigare Apoſtolum magiſterium intemperantis lingvæ, in alios iniquè exercitum. *Tertia ſententia eſt Iuſtiniani, Eſtii, Cornelii à Lapide, qui putant prohibere Apoſtolum, ne docendi munus quivis appetat aut ambitioſe affectet: nec diſſentire videtur Lutherus, Lucas Oſiander, Druſius.* Qvanqvam verò facilis dem, peccari graviter, ſi qvis auſu privato in munus docendi ſe ingerat Ebræor. 5. v. 4: attamen orationis Apoſtolicæ habitus huc non ducit. Nam rationē redditurus Apoſtolus, cur ab hoc magiſterio abſtinere oporteat, hanc affert, qvia gravius judicium imminet iſtis magiſtris. Qvod certè de Doctoribus, qui publico in Eccleſia funguntur officio verè non dicitur: ut qui pœnas graviſſimas meritò metuant, ſi aliena vitia non caſtigent Ezech: 33. v. 1. 2. 3. ſeq: Nec uſpiam improbat Dei ſpiritus, qvod pluſculi ſint, qui hoc unum ſtudeant, ut apti ſint ſuo tempore, qui alios doceant. Moſes Num: 11. v. 29. Paulus 1 Cor. 14. v. 1. cupiunt omnes prophetare: nec prohibet Paulus Epiſcopatum appetere, ſed laudat 1. Tim. 3. v. 1. *Quarta ſententia eſt Flacii, Bezæ, Hemmingii, Piſcatoris, Paræi, Interpretum Belgicorum, qui nomine* διδασκάλων *intelligunt eos, qui in alios jus cenſorium ſibi ſumunt.* Qvam probamus. Cùm enim rationes omnes, qvæ ſubjunguntur, petulantis lingvæ incommoda contineant; nemo non facilè videt, qvòd hi nomine διδασκάλων hîc veniant intelligendi, qui aliena dicta & facta ſub cenſuram vocare ſolent, ac interim id manticæ, qvod à tergo eſt, non vident Matth. 7. v. 1. Lucæ 6. v. 37. Juſto ſubtiliora ſunt, qui hîc promit *Heinſius* pag. 590. ratus, quod πολὺς διδάσκαλος hoc in loco ſit ὁ μέγας διδάσκαλος, ita ut hoc nomen, cum expreſſâ magnitudine adductum, ad ſupremi Doctoris contumeliam abeat, Matth. 23. v. 8. Contextus certè monſtrat, qvòd Apoſtolus in importunos alienæ vitæ ac fidei caſtigatores calamum ſtringat; cujus generis Cenſores & Magiſtros nimis multos eſſe docet, qvando in-

inqvit: Μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε. Verborum itaq; D. Jacobi ſenſus eſt: Ne in alienam fidem, in alienam vitam & mores magiſterium importunè nobis arrogemus. Magiſtratui certè, & Eccleſiaſtico Ezech: 33. v. 1. 2. ſeqvent: 1 Cor. 5. v. 3. 1 Tim: 1. v. 20. Act: 5. v. 1, & Civili Rom: 13. v. 1. 2. 3. ſeq. licet in alienam vitam inqvirere: imò nî fecerit, neglecti officii pœnas dabit. Nec vetamur, fratrem peccantem corripere, licet ad publicum, ſive in Eccleſia, ſive in Republica officium evecti haud ſimus. Monet enim Dei Spiritus, ut alter alterum officii ſui moneat, & in rectam pietatis viam reducat Jac. 5. v. 19. 20. Hortatur verò hic Apoſtolus, ne non reprehendenda reprehẽdamus, aut alio qvam par eſt affectu, proximum errantem caſtigemus, aut deniq; ne cum ipſi, aut iisdem, aut majoribus fortè peccatis teneamur conſtricti, curioſiùs de aliorum erratis minoribus judicemus. Hoc enim potiſſimùm velle Apoſtolum, docent verba, qvæ & hoc & ſeqvente verſu ſubjungit. Et conſentit hæc monitio Apoſtoli cum doctrina Chriſti Matt. 7. v. 3. ſeq. & Pauli Rom: 2. v. 21.

Tertiò qværitur: *Quid ſibi velint verba:* εἰδότες ὅτι μεῖζον κρῖμα ληψόμεθα? Primum argumentum eſt, qvo utitur Apoſtolus, ab intempeſtivâ cenſura dehortaturus, ductum à pernicioſo temerariæ cenſuræ effectu: qvòd ſcilicet homo eò ſeverius judicium metuere habeat, qvò eſt rigidior alienæ vitæ cenſor. *Gemina autem reddi poteſt cauſa, ob quam rigidi iſti cenſores ſeverius judicium metuere debeant. Una* eſt: quia ille veniam vix ſperare poteſt, qui ſuâ cenſurâ ita in alios ſævit, ut nemini parcat. Nam qvalem alii illum in cenſendo experiuntur talem & ipſe Deum experiri debet, teſte *Chriſto* Matth. 18. v. 25. 26. ſeq. *Altera* eſt: quia qvi ducem aliorum ſe profitetur, & in iis ipſe labitur, ob qvæ alios graviter accuſat, is duriùs caſtigandus, qvod licet ipſe cœcus ſit, cœcorum tamen dux eſſe geſtiat Matth: 15. v. 14. Rom: 2. v. 17. 18. ſeq. Argutias, neſcio qvas, venatur *Lorinus* in verbo ληψόμεθα, haud dignas qvæ afferantur aut expendantur.

Doctrina. Ne nimis prompti & parati ſimus ad ſtringendum in alios cẽſuram. Memores noſtræ infirmitatis & exorbitationum qvotidianarum 1. Reg. 8. v. 46. 1. Joh. 1. v. 8. Jac. 3. v. 2, non tàm exagerabimus aliena peccata, qvàm veſte caritatis contegemus 1 Cor. 13. v. 4. 5. Certi eſſe debemus, qvòd qvales in alios fuerimus noſtrâ cenſurâ, tales viciſſim experturi ſimus & homines Matt. 7. v. 1. 2. ſeq. & Deum Matth. 18. v. 25. 26. ſeq. Nec præteriri debet, non raro uſu venire, ut dum alios damnamus, noſmetipſos condemnemus: qvod liqvet exemplo *Davidis* 2 Sam. 12. v. 1. 2. ſeq. & *Achabi* 1 Reg: 20. v. 39. ſeq. Qvodſi ob ea peccata notamus alios, qvæ admiſimus ipſi, judicium gravius metuemus, monente *Chriſto* Matth. 7. verſib. 1. 2. ſeq. & 15. v. 14. & *Paulo* Rom. 2. verſibus 17. 18. ſeqventibus.

V. 2. Πολλὰ γὰρ πταίομεν ἅπαντες. Εἴ τις ἐν λόγῳ οὐ πταίει, οὗτος τέλειος ἀνήρ, δυνατὸς χαλιναγωγῆσαι καὶ ὅλον τὸ σῶμα.

V. 2. In multis enim labimur omnes. Si qvis in ſermone non labitur: hic perfectus eſt vir; ut qvi poſſit velut freno injecto moderari totum corpus.

Hic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

HIc primò quæritur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia? Et quis ſit horum verborum: πολλὰ γὰρ πταίομεν ἅπαντες: genuinus ſenſus?* Cauſa promitur, ob qvam longè graviſſima his metuenda ſit pœna, qvi in alios intempeſtivâ cenſurâ ſæviunt. Diximus verſu, qvi proximè præceſſit, qvòd duplicatâ afficiendi ſunt pœnâ, qui licet ipſi ſint cœci, ſe tamen cœcorum profitentur duces. Docet hoc *Chriſtus* Matth: 7. v. 3. 4. 5. & 15. v. 14, nec non *Paulus* Rom: 2. v. 19. 20. ſeq. Jam vero non eſt mortalium ullus, qui non peccet & ſubinde labatur. Nota ſunt hæc Spiritus Sancti effata. 1. Reg: 8. v. 46: *Nemo eſt qui non peccet.* Rom: 3. v. 23: *Omnes peccaverunt & deſtituunutr gloria Dei.* 1 Johan. 1. v. 8: *Si quis dixerit ſe non habere peccatum, Deum mendacii arguit.* Prov. 24. v. 16: *Septies cadit juſtus.* Eccl. 7. v. 21: *Non eſt homo qui faciat bonum & non peccet.* Qua hominum imbecillitate meritò permoveri debebunt ſuperciliosi iſti alienarum actionum Cenſores, ut paulò mitiùs cum his experiantur, qvos labi contingit. Sic Paulus Gal. 6. v. 1. 2 jubet, ut ſi quis in aliqvod delictum infirmitate humanâ prolapſus fuerit, hunc in Spiritu manſuetudinis inſtruamus, conſiderantes nosmetipſos, ne & ipſi tentemur.

Secundò quæritur: *Annon venialia hîc notentur peccata & leviora?* Ajunt Pontificii Interpretes, *Iuſtinianus*, *Paëzius*, *Eſtius*, & aſſertionem ſuperſtruunt verbo Græco, πταίειν qvo utitur Apoſtolus: Nam πταίειν, inqvit *Eſtius*, eſt labi, impingere, ac minus eſt qvàm cadere. Diſtinctionem *peccati, in veniale & mortale*, quo ſenſu & probemus & improbemus, diximus cap. 2. v. 10. qvæſt. 5: qvo Lectorem remittimus, ne actum agamus. Certè qvi è verbo πταίειν, qvod D. Jacobus hîc uſurpat, occaſionem ſumit extenuandi peccata, qvaſi qvædam naturâ ſuâ ſint venialia, & in ipſum Jacobum, & in exempla ſanctorum, graviſſimè deliqverit. Jacobus utiq; non vult, ut vel ipsa πταίσματα extenuemus: Hæc enim eſt rotunda Apoſtoli noſtri aſſertio cap. 2. v. 10: *Qui univerſam legem ſervat, πταίσει δὲ ἐν ἑνὶ, omnium reus tenetur.* Et qvæ qvæſo foret Apoſtolicæ orationis valentia: Nolite in alios exercere importuniùs cenſuram: nam eò graviùs auferetis judicium: ſiqvidem omnes leviores aberrationes committimus. Nervus argumentationis Apoſtolicæ nimis remiſſus foret, hac admiſſa interpretatione. Validior adhuc erit noſtra aſſertio, ſi *exempla Sanctorum* in ſubſidium vocentur: qvippe ſatis teſtata, qvòd ne qvidem ipſorum ſanctorum lapſus cenſeri debeant leves aberrationes. Notæ ſunt graviſſimæ qverelæ, *Iobi* cap. 9. v. 2. 3, *Davidis* Pſalm. 143. v. 2, *Danielis* cap. 9. verſ. 5. 20. *Pauli* Rom: 7. v. 14. ſeq.

Tertiò quæritur: *An ullus ſit homo, qui ſine omni peccato vitam ſuam unquam transegerit? aut ſaltem fieri poſſit, ut qvisqvam, ſingulari Dei auxilio adjutus, ſine omni labe eſſe queat?* De priore qvæſtionis parte non ſatis conſentiunt ſcriptores Pontificii. Etenim omni peccato actuali caruiſſe cenſet *Gerſon* ſerm: de nativit: Virg: & *Iacobus de Valentia* in Canticum Mariæ, *Ioſephum, Mariæ Sponſum*; *Abulenſis* in cap. 14. Matth & *Catharinus* de prædeſtin. Chriſti, *Iohannem Baptiſtam*; *Hugo Cardinalis* in 1 Johan. 1. *Apoſtolos* poſt acceptum die Pentecoſtes Spiritum Sanctum. Improbat aſſertionem Jeſuvita *Vasquez* 3. part: tom: 2. diſp. 20. cap. 5. ac erroneam vocat: & meritò. Nec enim inveniri in-

ter ſanctos ullum, qui non peccet, teſtis eſt *David* Pſal: 32. v. 6, *Salomon* 1 Reg. 8. v. 46, *Iohannes* 1 Epiſt: 1. v. 8. & hoc loco D. *Iacobus*. Et ne ipſam qvidem *virginem Mariam* excipi, ſecus ac ſentit *Concilium Tridentinum*, Sect. 6. c. 11. & Can: 23, qvàm manifeſtiſſimum eſt è *Mariæ* exorbitationibus, clarè annotatis Luc 2. v. 43. ſeq. Luc. 2. v. 48. ſeq. Joh 2. v. 3. 4, Lucæ 8. v 19. 20. Poſteriorem verò qvæſtionis partem qvod attinet; aſſertio eſt *Concilii Tridentini* Sect: 6. Can. 23, qvòd homo ſpeciali Dei privilegio poſſit vitare omnia peccata. Nec diſſentire videtur *Auguſtinus* lib. 2. de peccatorum meritis cap. 6. & lib de Naturâ & Gratiâ contra Pelagium cap. 59. & 60. Ego otioſam qvæſtionem eſſe judico. Ecqvid enim de eo diſputare convenit, qvod in hac vita non evenire certum eſt? Nec enim ullum hominem, dum vivit, abſq; peccato eſſe poſſe, diſertè docet *Paulus* 1 Cor. 15. v. 50. ſeq.

Quartò qværitur: *Quomodo ad inſtitutum Apoſtoli faciant hæc verba: Si quis in ſermone non labitur hic perfectus vir eſt? Et quâ veritate perfectus dicatur qui didicit frenare lingvam? Et quæ ſit propria verbi* χαλιναγωγεῖν *ſignificatio?* Secundum argumentum eſt, qvo Apoſtolus utitur, ut ab iniqviore cenſura dehortetur, deſumptum à lingvæ continentis commodo, quod eſt tantum, ut perfectus pronuncietur, qvi lingvæ moderari novit. Non immerito autem qvæſiveris, *quo jure, quâ veritate hic dicatur perfectus, qui lingvam compeſcere didicit?* Præmittere oportet, qvid ſit, ἐν λόγῳ οὐ πταίειν? Docuit id doctè, obſervante *Heinſio* ſuis in N. T. exercitationibus pag. 590, *Nyſſenus* περὶ εὐποιΐας inqviens: Haud qvicqvam aliud eſſe, non offendere ſermone, qvàm μὴ λαλεῖν τὰ μάταια, εἰδέναι καιρὸν καὶ μέτρα, καὶ λόγον ἀναγκαῖον, καὶ ἀπόκρισιν εὔστοχον: μὴ λαλεῖν ἀῤῥύθμως, μὴ χαλάζειν τοὺς ἐντυγχάνοντας τῇ σφοδρότητι: *Non loqui vana, ſcire tempus & modum loquendi, ſcire quid ſit dictu neceſſarium, quomodo appoſité ſit reſpondendum, non inſcitè loqui, nec ſermone vehementi percellere eos cum quibus agis Quo autem jure, qui poteſt moderari lingvæ ſuæ, perfectus vir dicatur jam explicandum eſt.* Chriſtus, Servator noſter, teſtis eſt, qvòd ex abundantia cordis os loqvatur Mat. 12. v. 34, & qvod homo è ſermone juſtificandus aut condemnandus ſit Matth. 12. v. 37, & quòd in extremo judicio ratio reddenda ſit, de quovis verbo otioſo Mat. 12. v. 36. Non eſt itaq; qvicqvam, qvod, judice Chriſto, certius perhibeat teſtimonium de hominis perfectione, qvàm moderamen ſermonis. Qvi enim eò perfectionis progreſſus eſt, ut facto teſtetur, didiciſſe ſe, lingvam frenare: hic certè non obſcure docet, qvod à metà perfectionis haud longe abſit. Velle hoc Apoſtolum, ipſe evidentiùs docet, qvàm ut negari poſſit. Nam ubi dixiſſet, qvod vir perfectus ſit, qvi ſermone non labitur; ſubjungit hanc aſſertionis cauſam; qvòd ſcilicet qvi lingvâ non peccat, totum etiam corpus frenô velut injectô regere poſſit. Non diſputabo, ſeqvutus curioſos Interpretes, *Dydimum*, *Bedam*, *Cajetanum*, *Lorinum*, *Cornelium à Lapide*, qvid *per totum corpus* hìc intelligatur. Mihi certum eſt, ſimplicitatem verborum ſeqvuto, nomine *totius corporis* deſignare Apoſtolum propria veri corporis membra: ut ſenſus ſit, qvod qvi lingvæ moderari poteſt, huic etiam facile ſit, cætera corporis membra, oculos, aures, manus, & eorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

rum actiones regere. Etenim cùm nullum corporis membrum ad transgreſſiones proclivius ſit lingvâ, nec ullæ aberrationes minus curentur, qvàm qvæ lingvâ committuntur: certé qvi lingvam regere poteſt, hic etiam reliqva membra facile gubernaturus eſt: Nam qvi poteſt id, qvod eſt difficilimum: qvidni qvod eſt facilius præſtabit? Monet hoc loco *Heinſius*, τὸ χαλιναγωγεῖν de reliqvis humani corporis partibus impropriè, de lingva autem propriè dici, præeunte *Nyſſeno*, cui χαλινὸς tenuiſſima illa lingvæ pellicula eſt, qvæ inferiorem illi jungit maxillam, ut loqvendo lex ponatur & modus. Ad qvam vocis χαλινῦ ſignificationem N.T. ſcriptores reſpexiſſe, vix adducor ut credam.

Quintò qværitur: *An præſens Divi Iacobi locus ſerviat perfectioni hominis adſtruendæ?* Facilè conceſſero, qvòd qvam maximè iſti inſtituto ſervirent Apoſtoli verba, ſi nominari poſſet vel inter ſanctiſſimos unus, qvi lingva nunqvam abuſus eſſet. Talem verò non inveniri teſtis eſt *Eccleſiaſticus* cap.19.v.17 inqviens: *Ecquis eſt, qui non ſit lapſus lingvâ ſuâ.* Et ne huic ſcriptori, tanqvam qvi non ſit indubitatæ fidei, fidem deroges, conſentit D. *Iacobus*, dum ſubjungit v.8: *Lingvam nullus domare poteſt, incoërcibile malum.* Agnovit ſententiæ veritatem *Eſtius*, faſſus, non inveniri qvemqvam, qvi minimas verborum offenſas vitare poſſit. Fruſtra urgeri vocem τελείϐ oſtendimus cap. 1. v.4. qvæſt.4. Nam & is *lingvæ moderamine perfectus* cenſebitur, qvi licet ſubinde lingva, vel invitus, labatur, ſed leviùs; tamen abuſum lingvæ, qvantum in hac mortalitate fieri poteſt, ſtudioſiſſimè cavet.

Doctrina. Qvi ad perfectionem Chriſtianam adſpirant; hi lingvæ ſuæ moderabuntur, & velut freno injecto eam coërcebunt, veluti planiſſimum eſt monitis *Davidis* Pſalm: 15.v.3, *Salomonis* Prov.21.v.23, *Petri* 1 Epiſt.3.v.10.

V.3. Ἰδὲ τῶν ἵππων τὲς χαλινὲς, εἰς τὰ ϛόματα βάλλομεν, πρὸς τὸ πείθεσθαι αὐτὲς ἡμῖν, καὶ τὸ ὅλον τὸ σῶμα αὐτῶν μετάγομεν.

V. 3. Ecce, equis frena in ora injicimus, ut nobis pareant: & totum corpus circumagimus.

HIc qværitur: *Quis ſit & orationis Apoſtolicæ nexus, & adductorum verborum ſenſus?* Qvoniam παράδοξον cuipiam videri poſſet, hunc univerſum corpus regere poſſe, qvi in ſermone non labitur, qvod dictum fuit verſu præcedente: idcirco Divus Jacobus effatum illud ſuum *geminâ ſimilitudine* adſtruit & illuſtrat: alterâ ab *equis*, alterâ à *navibus*, deſumptâ. Qvæ ab *equis* petitur ſimilitudo, hîc traditur: cujus hic eſt ſenſus. Homines, naturâ non abſimiles ſunt petulantibus & exultim ludentibus eqvis, qvi freno & habenis non domiti, præcipiti & inordinato feruntur curſu ac motu. Benè poti, benè paſti eqvi, & ſibi relicti, ſeſſorem excutiunt, nec cuiqvam parent. At eqvi, qvorum ora freno coërcita ſunt, pro libitu tractari poſſunt. Eqvum vero indomitum ut domes non eſt neceſſe, ut ſingula membra conſtringas: ſuffecerit, frenum vel lupatum ſoli ori injici. Maxillas enim ubi duriter ſtrinxeris, & os effrene.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

frene frenaveris, reliqva membra manui frenum regentis ſeſe ſponte accommodabunt. Qvæ ut ad hominem transferamus: lingvam hominis ubi domueris cætera etiam membra verè dixeris domita eſſe. Etenim teſtis eſt Salvator, qvod è lingva domitâ certam ſumere liceat conjecturam, reliqva etiam membra coërcita eſſe Matth. 12 v. 37. Adſtipulatur experientiâ, qvâ conſtat, qvod qvi ſermonem ſpurcum funditat, animum impurum circumferat; qvi lapides loqvitur, cor in pectore geſtet ferreum; qvod deniq;, qvi invenit, qvod in quovis culpet & caſtiget, ambitione & invidiâ ardeat. Contrà, mitis ſermo, mitis animi; purus ſermo, puri cordis; ſermo, qvô non tam accuſamus & exaggeramus, qvàm excuſamus & extenuamus aliorum nævos, optimi & benè præparati pectoris, ac mentis ab omni odio alienæ certum indicium eſt. Hic itaq; univerſum corpus commodè regere poteſt, qvi lingvam frenare didicit.

Doctrinæ. Qverela Dei eſt, homines ſimilimos eſſe mulis & aſinis, in qvibus non eſt intellectus Pſal: 32. v. 8. Bene poti, bene paſtì, more indomitorum animalium recalcitramus, & omni bonorum genere divinitùs impingvati, Deo tergum obvertimus Deut: 32. v. 15. Certus eſſe qvi volet, an miteſcat feroculа natura, & frenata cedat, videat oportet, an lingva ſuô rectè fungatur officio. Qvi enim lingvam frenare poteſt, hic etiam reliqvum corpus decenter regere novit. Hinc ſunt voces illæ ſanctorum, qvibus Deum ſollicitant, de divinæ gratiæ dono in lingvâ frenandâ, nimirum *Davidis* Pſal: 15. v. 3, & 39. v. 2. & 141 v. 3, *Salomonis* Prov. 13. v. 3. & aliorum.

V. 4. Ἰδοὺ, καὶ τὰ πλοῖα τηλικαῦτα, καὶ ὑπὸ σκληρῶν ἀνέμων ἐλαυνόμενα μετάγεται ὑπὸ τοῦ ἐλαχίστου πηδαλίου ὅπου ἂν ἡ ὁρμὴ τοῦ εὐθύνοντος βούληται.

V. 5. Οὕτω καὶ ἡ γλῶσσα μικρὸν μέλος ἐστὶ, καὶ μεγαλαυχεῖ. Ἰδοὺ, ὀλίγον πῦρ ἡλίκην ὕλην ἀνάπτει.

V. 4. Ecce, qvùm naves tantæ ſint, & à ventis ſævis agitentur, circumaguntur à minimo gubernaculo qvocunqve impulſus dirigentis voluerit.

V. 5. Sic & lingva exiguum membrum eſt, & ſeſe magnifice effert. Ecce ignis exiguus qvantam materiam incendit?

HIc primò quæritur: *Quæ ſit præſentis orationis cum precedaneâ connexio? qui ſenſus?* Altera ſimilitudo eſt, qvâ evincit Apoſtolus, qvòd qvi lingvam novit frenare, toti corpori regendo par ſit; deſumpta à navibus. Comparatio autem eſt in tribus, rectè annotante *Piſcatore* & *Paræo*: 1. in magnitudine rerum, qvæ non videntur poſſe regi. 2. In parvitate inſtrumenti, qvo res tantæ reguntur. 3. In magnitudine effectorum, per tam exigua inſtrumenta. Qvod ut accommodemus, ſenſus erit: Veluti triremes ingentis molis, à ſæviſſimis & planè furioſis tempeſtatibus agitatæ & jactatæ, clavo exiguo [ſi cum navibus compares] ad arbitrium dirigentis, qvo libet, impelluntur: ita lingva, ad reliqvum corpus comparata, exiguum membrum, μεγαλαυχεῖ.

Se-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Secundò quæritur: *Quid ſit lingvam μεγαλαυχεῖν?* Diſſentiunt Interpretes. *Vulgatus Interpres* vertit: *Magna exaltat*, hoc eſt, jactat: Nec valde diſſentit *Beza*, aut in priore editione, qvâ cum *Pagnino & Vatablo* μεγαλαυχεῖ reddit, *magna jactat*; aut in poſteriore, qvâ vertit, *magnificè ſe effert*. *Emanuel Sà* vertit, *magnas turbas excitat*. Non probo. Nam ſimilitudinibus, à freno & gubernaculo deſumptis, docere vult Apoſtolus, qvanta ſit lingvæ poteſtas in reliqvum corpus, quæ non oſtenditur ex vitio inanis jactantiæ: quod rectè obſervavit & annotavit, præter *Piſcatorem*, *Eſtius*. Nec in diverſum abit *Heinſius*, ſuis in N. T. exercitationibus, pag. 591. qui μεγαλαυχεῖ interpretatur, πολλὰ καὶ μεγάλα πταίει, magna committit peccata. *Piſcator & Eſtius* interpretantur μεγαλαυχεῖν hoc ſenſu: lingvam, ſi quis ea rectè utatur, efficere res magnas, pertinentes nimirum ad gloriam Dei & hominum ſalutem. Eſſe autem hoc verbum ſic exponendum, de effectis bonis: percipi cenſet Piſcator ex utrâq; ſimilitudine, quâ Apoſtolus ſententiam propoſitam illuſtrat. Etenim utraq; illa effectum qvoddam bonum commemorat: prior quidem obedientiam equi, ad ſeſſoris uſum; poſterior vero gubernationem navis, ad uſum vectorum. Cui ſententiæ abſolutè non accedo, ratus rectiùs ſentire *Pareum*, qui verbum μεγαλαυχεῖν in mediam partem hîc poni contendit, ita ut ſenſus ſit, lingvam magna jactare & efficere, eaq; non tantùm bona, quod indicatur ſimilitudinibus eqvi & navis; ſed etiam mala: Hæc autem qvalia & qvanta ſint, qvæ ſeqvuntur clarè oſtendunt. Ducit huc ipſa vocis originatio. Nam μεγαλαυχεῖν eſt cervices glorioſé erigere, & caput, victoriâ quaſi partâ, attollere: Nam radix eſt αὐχὴν: Unde etiam apud Lucianum τὰ μεγάλαυχα ſunt res, magnæ jactantiæ plenæ. Lingva itaq; μεγαλαυχεῖ dum magna jactat & efficit, bona pariter & mala. Fallitur in eo *Pareus*, qvod τὸ μεγαλαυχεῖν cenſet eſſe verbum D. Jacobo proprium, in textu ſacro nuſpiam inventum. Nam licet non extet in ſcriptis N. T. tamen in verſione 70 Interpretum Græcâ occurrit, rectè obſervante ſuis in N. T. exercitationibus *Heinſio* pag. 591. Citat hæc loca Ezech: 16. v. 50: Καὶ ἐμεγαλαύχουν καὶ ἐποίησαν ἀνομήματα ἐνώπιον μου. Sophon: 3. v. 11: Καὶ οὐκέτι οὐ μὴ προσθῇς μεγαλαυχῆσαι: Quæ dicta non obſcurè oſtendunt, quod licet τὸ μεγαλαυχεῖν propriè verba ſpectet; tamen ad facta quoq; referatur: monente & annotante hîc *Heinſio*.

Tertiò qværitur: *Quomodo faciant ad inſtitutum Apoſtoli hæc verba: Ecce, ignis exiguus, quantam materiem incendit? & qui verborum adductorum ſenſus genuinus?* Tertium argumentum eſt, qvo iniqviorem in alios cenſuram Apoſtolus improbat, deſumptum à noxio lingvæ intemperantis effectu, indicato tribus ſimilibus. Comparatur enim pravitas lingvæ, tùm igni, res opinione citius conſumenti; tùm feris animalibus; tùm veneno lethali. *Prima ſimilitudo* promitur v. 5. & diducitur v. 6. 7; *ſecunda* affertur v. 7; *tertia* adducitur verſu 8. Cæterum ὀλίγον πῦρ eſt paucus ignis, unica ignis ſcintilla. Ὕλη verò, vulgò

mate-

materia, hîc ligna ſignificat, qvæ ignis incendit. Nec nova eſt hæc, ſi non maxi-
mè propria, qvod cenſet *Piſcator*, ὕλης ſignificatio: Nam invenitur paſſim
apud *Homerum* tàm in libris Iliad. quàm Odyſſ. Et apud *Platonem* ὕλη ἄυη,
ſunt ligna arida, & ὕλη καύσιμος ligna ſunt, qvæ comburi apta ſunt. Sen-
ſus eſt: Exiguum ignem, & ſæpe unam ignis ſcintillam, adeò magnum incen-
dium excitare, ut non tantùm domus, ſed etiam integri pagi & urbes in cineres
& favillas triſtiſſimo ſpectaculo convertantur. Quomodo autem Apoſtolus hoc
transferat ad lingvam, dicetur verſu proximè ſeqvente: ibi enim traditur ſimili-
tudinis accommodatio. Nervus comparationis eſt in parvitate ignis & lingvæ,
& magnitudine damni, quod tàm ille, quam iſta dat.

Doctrinæ. Eò accuratius debet eſſe lingvæ regimen, qvò major ejus uti-
litas, ſi eâ rectè utamur; & periculoſius damnum, ubi non coërcetur. Diligen-
ter obſervetur & inculcetur hoc *Salomonis* Prov. 18. v. 21: *Mors & vita ſunt in po-
teſtate lingvæ: prout quisq; amat uti eâ, comedet fructum ejus.*

V. 6. Καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας. Οὕτως ἡ γλῶσσα καθίσταται ἐν τοῖς μέλεσιν ὑμῶν, καὶ σπιλοῦσα ὅλον τὸ σῶμα, καὶ φλογίζουσα τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως, καὶ φλογιζομένη ὑπὸ τῆς γεέννης.

V. 6. Et lingva ignis, & mundus iniqvitatis. Sic lingva conſtituta eſt inter membra noſtra, maculans totum corpus, inflammans rotam nativitatis noſtræ, & inflammata à gehenna.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus?* Uterq; ma-
nifeſtiſſimus eſt. Continetur hîc apodoſis ſimilitudinis, cujus protaſis pro-
ximè præceſſit. Senſus eſt: Lingvam igni non ſine cauſa comparari. Nam ve-
luti ignis admotam materiem citò depaſcit, adeo ut vel exiguus ignis grandem
domuum, pagorum, urbium ſtruem prope momento accendat & abſumat: Ita
lingva petulans & intemperans, ſtupenda perdendi vi inſtructa eſt. Nota ſunt
hæc Spiritus Sancti effata. Pſal: 10. v. 7: *Execratione os ejus plenum eſt, fraudi-
busq; & dolo: ſub eſt lingvæ ejus dolor & labor.* Pſal: 57. v. 5: *Ego inter immanes
Leones ſum, iaceo inter incendiarios, inter homines quorum dentes ſunt haſtæ & ſa-
gittæ, & quorum lingva eſt gladius acutus.* Prov. 21. v. 6: *Comportantur theſauri
fraudulentiæ lingvâ; quod qui facit vanus eſt, & inconſtans & mortem ſibi accer-
ſit.* Jerem: 9. v. 8: *Culter jugulans lingva eorum.* Prov. 16. v. 27: *Labia viri ne-
qvam ſunt velut ignis adurens.* Et quis neſcit, quot Sacerdotes Doëg ſuâ lingvâ
occiderit 1 Sam. 22. v. 9. ſeq.

Secundò qværitur: *Quid ſignificet* ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας? *& quo
hîc adhibeatur ſenſu?* Mira hic eſt Interpretum diſſenſio. *Vulgatus Interpres* &
qui ei adhærent, vertunt *univerſitatem iniquitatis*, hoc ſenſu, qvod lingva totum
univerſum, puta cœlum, terram, infernum impleat iniquitate. *Oecumenius &
Iſidorus Peluſiota* lib. 4. cap. 10 vertunt ornamentum iniquitatis, quòd lingva ſit
orna-

ornamentum & velamentum iniquitatis : Nimis enim notum eſt, homines ſuâ falſiloqventiâ putidiſſima ſcelera velare, incruſtare, comere. Unde loqvutio ſcripturæ familiaris, lingvâ concinnare dolos Pſal: 50.v.19. Job.6.v.26. Prov. 12.v.19. *Calvinus, Beza, Piſcator, Druſius, Cornelius à Lapide, Paræus, Eſtius, Interpretes Belgici*, volunt eſſe proverbialem locutionem, ac interpretantur, ſylvam ſeu congeriem ac cumulum iniqvitatis, rem pleniſſimam iniqvitatis: ſicuti dicere ſolemus; ἰλιάδα κακῶν & mare malorum. *Heinſius* ſuis in N. T. exercitationibus pag. 591. ſingularis eſt: Nam κόσμον ἀδικίας interpretatur σκεῦος ἀδικίας, ſeu inſtrumentum iniqvitatis. Quæ interpretatio non diſpliceret, ſi iſtius ſignificati apud Græcos ſcriptores extarent exempla. Mihi maximè probatur ſententia, qvâ κόσμος ἀδικίας eſt ilias, ſylva, congeries, & velut mare iniqvitatis & malorum. Nam huc ducit orationis Apoſtolicæ nexus. Comparat enim Apoſtolus lingvam igni, qvi incendit magnam ſylvam, ſeu grandem lignorum ſtruem. Ut itaq; ſibi conſtet ſimilitudo, lingva igni; & ſylva, quam ignis accendit, mundo iniqvitatis reſpondet, hoc modo. Veluti ignis ingentem lignorum ſtruem ac ſylvam citò incendit & momento qvaſi abſumit: Ita ilias illa malorum, quæ in mundo eſt, qvippe in malgno poſito 1. Joh.5.v.19, qvaſi materies eſt, qvam lingva effrenis more & modo lignorum aridorum inflammat, adeò ut latens antea intra pectus malum ſe prodat, & in perniciem plurimorum ſe diffundat. Elliptica itaq; eſt Apoſtoli oratio, hoc modo ſupplenda: ἡ γλῶσσα πῦρ ἐστί, κόσμος τῆς ἀδικίας ὕλη. Ipſa certe experientia ſatis teſtatur, qvàm ferveant impuri animi, à ſpurcis ſermonibus accenſi; qvàm inflammentur in odium propenſa corda, ubi lingva improbior fomitem & flammam ſubjecerit.

Tertiò qværitur: *Quid ſibi velint verba: Sic lingva conſtituitur in membris noſtris, maculans totum corpus?* Explicat Apoſtolus, qva veritate dictum fuit, qvòd lingva non minus totum corpus, qvàm ignis integram ſylvam incendat & maculet. Nam qvemadmodum minutula ignis ſcintilla denſiſſimam ſylvam incendere & abſumere facile poteſt. Ita lingva, malè cuſtodita, nec ſatis coërcita, qvantumvis minimum corporis membrum, totum inficere & commaculare poteſt corpus. Apoſtolus utitur voce σπίλουσα, cujus qvæ ſit nativa ſignificatio diximus cap.1.v.27. qvæſt.5. nec iteramus. Senſus eſt: induere nos omnes fide candidiſſimam juſtitiæ Chriſti veſtem, qvâ univerſa noſtra nuditas, planè pudenda, contegitur, ne peccatorum noſtrorum fœdæ maculæ conſpiciantur Apocal.3.v.18. Matth.22.v.12. Qvam veſtem intemperans lingva turpiter fœdat, ita ut ſimulac homo lingvæ effreni frena laxare cœperit, innocentiæ Chriſti toga, qva contecti fuimus, veſte, à carne maculatâ, ſtatim permutetur Judæ v.23, membraq; noſtra, qvæ qvondam fuere arma juſtitiæ, arma injuſtitiæ fiant Rom:12.v.1. Nec enim fieri poteſt, ut ibi ſit locus imputatæ Chriſti juſtitiæ, & inhærēti ſanctitati, ubi lingva aut parata eſt qvosvis importunâ cenſurâ notare Matt.7.v.1.2. ſeqventibus, aut non tàm ad benedicendum, qvàm ad maledicendum prona eſt Matth.5.v.44.

Qvartò qværitur: *Quid hic intelligatur per* τροχὸν γενέσεως, *& quo*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ſenſu lingva eum dicatur accendere? Fuſus hic eſt *Cornelius à Lapide*, fuſior *Lorinus*, fuſiſſimus *Heinſius*. Probamus ſententiam, qvam ipſa Apoſtoli verba præ ſe ferunt. Nam veluti πρόσωπον γενέσεως D Jacobo eſt vultus nativus cap. 1. v. 23; ita τρόχος γενέσεως eſt vitæ ſeu naturæ noſtræ curriculum. Nam vita noſtra inſtar rotæ, à primo nativitatis momento, usq, ad mortem, lineam ultimam rerum, continué decurrit. Hoc autem vitæ noſtræ curriculum inflammat lingva: qvia omnes vitæ partes lingva accendit, irâ, libidine, ſuperbia, aliis ſceleribus & moleſtiis: Nec enim ullum vitæ noſtræ tempus vacat incommodis, qvæ à lingva ortum trahunt: non pueritia, non juventus, non ſenectus libera eſt.

Qvintò qværitur: *Quid ſit lingvam inflammari à gehenna?* Ne qvis miretur ſtupendam lingvæ ad nocendum efficaciam, monet Apoſtolus, Diabolum ipſum eſſe qvi hic ſe admiſceat, & hunc ignem accendat. Etenim malignus ille ſpiritus eſt, qvi præcipites & temerarias de proximo cenſuras ſuggerat, qui ſtultiloqvia & turpiloqvia inſtillet; qui ad mendacia invitet. Calumniator namq; eſt, qvi omnium famæ inſidietur Apocalypſeos 12. verſu 10. Job. primo verſu 10; mendax eſt Johannis 8. verſu qvadrageſimo qvarto; impurus ſpiritus eſt Lucæ 11. v. 24. Qvocirca qui in iniqvas cenſuras præceps eſt, qvi mendax eſt, qui ſermone utitur impuro, hic flammam infernalem eructat; & qui talia verba audit, approbat, admittit, flammam infernalem intra penitum pectus admittit. De voce γεέννης, non eſt qvod copioſiùs diſſeramus. Qvicqvid hic moneri utiliter poteſt, paucis & perſpicue complexus eſt *Piſcator* ſuis in cap 1. Matth. ſcholiis ad v. 22, his uſus verbis: *Vocabulo gehennæ intelligitur locus deſtinatus ſempiternis ſuppliciis damnatorum; per Metaphoram, deſumptam à nomine proprio loci prope Vrbem Hieroſolymam, videlicet vallis ita vocatæ, de nomine ſui poſſeſſoris: nam Gehinnon, latinè ſonat vallis Hinnoni, quod eſt nomen viri proprium. Ratio metaphoræ eſt, quod in illa valle [in loco vocato Topheth] Iudæi olim ſolebant filios ſuos per ignem traducere, atq; ita offerre Idolo Moloch: qua de re paſsim ſcriptura meminit, ut* 2 Chron. 28. v. 3. Jerem. 7. v. 31. & 19. v. 2. ſeq: & 32. v 35. *Græci ſcripſerunt γέεννα, omiſſa litera* ה, id eſt notâ aſpirationis: quia hanc notam in medio dictionis Græci non ſcribunt, exceptis iis vocibus, in qvarum medio concurrunt duo ρ: tunc enim priori inſcribunt ſpiritum tenuem poſteriori denſum, ut in ἐπίῤῥημα. Hæc *Piſcator*.

Doctrinæ. Lingva petulans ac incontinens non minùs lædit, qvàm ſagitta; non minus vulnerat, qvàm gladius; non minus urit, qvàm ignis. Teſtis eſt *David* Pſalm: 57. v. 5. *Salomon* Prov. 16. v. 27. *Ieremias* cap. 9. v. 8. Erqvis neſcit, qvantum incommodi primis parentibus *Diabolus* ſuo alloqvio attulerit Geneſeos 3. v. 1. 2. 3. ſeq: *Doegus* qvantum Sacerdotibus ſuâ lingvâ nocuerit 1 Sam. 22. v 9. ſeq: *Achitophel* qvantum damni ſuâ ſvaſione & conſilio Abſoloni attraxerit 2 Sam: 16. v. 21. Tanta eſt incontinentis lingvæ ad nocendum efficacia, ut corpus univerſum maculet. Vide qvomodo Maria, Moſis ſoror, ob lingvæ petulantiam, leprâ inalbeſcat, & deformetur tota Num: 12. v. 10. ſeq. Et qvotqvot frena lingvæ petulanti laxant, maculantur toti. Inprimis vero res horrenda eſt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

da eſt, quòd omnes & ſinguli, qui lingvâ abutuntur ſuâ, à Diabolo agantur, & ab eo inflammentur. Diabolus enim primus mendacii auctor eſt Johan. 8. v. 44, optimos qvosq; calumniatur Apoc. 12. v. 10, rectè dicta malignè interpretatur Job 1. v. 10; & hujus ſunt filii, quotqvot lingvæ intemperie laborant Johan: 8. verſu 44.

V. 7 Πᾶσα γὰρ φύσις θηρίων τε καὶ πετεινῶν, ἑρπετῶν τε καὶ ἐναλίων δαμάζεται καὶ δεδάμασται τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων.

V. 7. Omnis enim natura ferarum & volucrum & reptilium & marinorum à natura hominum domatur & domita eſt.

HIc primò qværitur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia? qui verborum genuinus ſenſus?* Secunda ſimilitudo eſt, quâ noxius lingvæ incontinentis effectus illuſtratur. Et belle cohæret hic verſus, cum præcedente. Nam ne dubites, qvin verè dictum ſit ab Apoſtolo, qvòd Diabolus & gehenna lingvam intemperantem inflamment, vel inde veritas aſſertionis conſtare poteſt, qvòd ferociſſima animalia domari poſſint, lingva autem incontinens nulla arte in ordinem cogi qveat.

Secundò quæritur: *Quâ veritate dicatur*, φύσιν θηρίων, πετεινῶν, ἑρπετῶν, ἐναλίων *domari & domitam eſſe?* Nomine θηρίων animalia ferocia hic intelliguntur: qvalia ſunt, leones, pardi, urſi, & qvæ ſunt ejus cenſus alia. Licet verò videntur intractabilia, cicurari tamen poſſe, & experientia, & hiſtoriæ teſtantur. Leones ad currum primus Romæ junxit *M. Antonius*, & quidem civili bello, cum dimicatum eſſet in campis Pharſalicis, annotante *Plinio* lib. 8 cap. 16. Primus autem hominum leonem manu tractare auſus, & oſtendere manſuefactum, *Hanno*, è clariſſimis Pænorum traditur: damnatusq; illo argumento, qvoniam nihil non perſuaſurus vir tam artificis ingenii videbatur: & male credi libertas ei, cui in tantum ceſſiſſet etiam ſævitas, referente *Plinio* lib. 8. cap. 16. *Ælianus* lib. 15. cap. 14. narrat, Indos ſuo Regi offerre leones, tigrides, pardos cicures, qvibus ſe in venatione oblectet, veneturq; ejusdem ſpeciei feras. Rhinocerotes probè domitos & manſvefactos, *Domitiano* Imperatori Romam advectos, narrat *Suetonius*, alii. De Elephantum docilitate, ea ex *Æliano, Plinio, Oppiano, Ariſtotele*, aliis, refert *Lipſius* centuriâ primâ Epiſt: 50, qvæ omnem videntur excedere fidem. Quæ & ejus generis alia documenta certò evincunt, verè dixiſſe D. Jacobum, qvòd maximè ferocia animalia domari poſſint. Veniamus jam ad πετεινὰ, qvæ qvin domari qveant, negari haud poteſt. Non modò domitas eſſe *volucres*, ſed etiam voces humanas imitatas eſſe, teſtis eſt experientia, & probatorum auctorum ſcripta condocent. De *Sturno* & *luſciniis* Cæſarum narrat *Plinius* lib. 10. cap. 42, ſermonem & latinum & Græcum didiciſſe. Quod etiam de *perdice* narrat in Sympoſiis *Plutarchus*. Non memorabo quæ refert *Macrobius* lib. 2. Saturn: c. 10 de *corvis*, *Auguſtum* ſalutantibus. *De Pſittachis*, ſuum χαῖρε, quod ait *Perſius*, dicentibus,

res notior eſt, qvàm ut ꝓbatione ſit opus. Ad ἑρπετὰ ut accedamus: hæc etiam manſveſieri, certius eſt, quàm ut dubitare liceat. Legantur qvæ l. 8. c. 17. de *dracone*, & de *aſpide* l. 10. c. 74. narrat *Plinius*. Et ut tandem addamus τὰ ἐνάλια, id eſt, marina ſeu piſces: qvis neſcit narrare *Pinium* lib. 9. cap. 8, de *Delphini* in homines amore, & obſeqvio. Taceo, quæ de *Crocodylis* manſuefactis memorat *Ælianus* lib. 8. cap. 4. Omitto qvod idem *Ælianus* refert, murenam piſcem agnoviſſe vocem Craſſi Romani, & ab eo alitam & adeo dilectam, ut in ejus morte luxerit.

Doctrina. Qverela eſt crebra Spiritus Sancti, bruta animantia magis obſeqvi, qvàm homines. Cui non innotuit hoc Jehovæ apud *Eſaiam* cap. 1, 3. *Agnoſcit bos poſſeſſorem ſuum & aſinus præſepe Domini ſui: populus meus non animadvertit.* Nec eſt qvisqvam cui non ſit lecta hæc Dei de ſuo populo vox qverula Jerem: 8. v. 6. 7: *Nullum virum pœnitet malitiæ ſuæ, ut dicat quid feci? quisq; eorum converſus eſt in curſu ſuo, ut eqvus præceps ruens in prælium. Etiam Ciconia in cœlo novit ſtata ſua tempora, & turtur, & hirundo obſervant tempus adventus ſui: & populus meus non noverunt jus Iehovæ.* Pareamus monitioni Davidicæ Pſal. 32. v. 9: *Ne eſtote ut eqvus, ut mulus, expertes intelligentiæ: cujus os frenô & habenâ conſtringendum eſt.*

V. 8. Τὴν δὲ γλῶσσαν οὐδεὶς δύναται ἀνθρώπων δαμάσαι, ἀκατάσχετον κακὸν, μεστὴ ἰοῦ θανατοφόρου.

V. 8. Lingvam verò nullus hominum domare poteſt: incoërcibile malum: plena eſt veneno letali.

HIc primò quæritur: *Cur lingva humana nequeat domari, feræ autem, ſerpentes, volucres, piſces, domari poſſint?* Ejus rei hæc eſt cauſa, qvam qvæ præmiſit Apoſtolus ſubminiſtrant: videlicet, animantia, etiam ferociſſima, eo nomine facilè domari, qvòd fervor & furor animalium brutorum non niſi à natura accendatur: at intemperans lingva eſt malum ἀκατάσχετον ſeu qvod coërceri neqvit, idq; quia ejus fervor â gehenna accenditur. Qvæ etiam eſt cauſa, cur nullus hominum huic malo domando par ſit.

Secundò quæritur: *Qua veritate lingva dicatur* κακὸν ἀκατάσχετον? Nomine κακοῦ ἀκατασχέτου qvid ſignificetur, vel tyrones lingvæ Græcæ ſciunt. Etenim κατέχω eſt contineo, cohibeo: unde κακὸν ἀκατάσχετον, malum eſt, qvod nequit coërceri. Sic *Nazianzeno* ῥεῖθρον ἀκατάσχετον eſt fluentum, qvod neqveas cohibere. Et explicat ipſe *Iacobus*, cur lingva dicatur κακὸν ἀκατάσχετον, nimirum, qvia nullus hominum poteſt eam δαμάσαι, domare. *Quo autem jure dicat Apoſtolus noſter, quòd nemo hominum par ſit lingvæ domandæ*, jam videbimus. Videtur certè hæc aſſertio adverſari ſcripturæ. Etenim *Davidis* vox eſt Pſal. 39. v. 2: *Obſervabo vias meas, ne peccem lingvâ meâ, cuſtodiam os meum capiſtro, quamdiu impius fuerit coram me.* Diſertè dicit David ſe ita obſervaturum vias ſuas, ut lingvâ ſuâ non peccet. Qvâ ergo

veri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

veritate vocatur lingva, malum ἀκατάσχετον? Nonne religioſa ejusdem *Davidis* monitio eſt Pſalm: 34. v 14, ut cohibeamus lingvam noſtram à malo, & labia noſtra, ne loqvantur dolum? Quæ monitio erit fruſtranea, ſi nullus hominum par ſit lingvæ frenandæ. Variæ tentatæ ſunt moti dubii ſolutiones. *Oecumenius vult verba Apoſtoli* μὴ κατ᾽ ἀπόφανσιν, ἀλλὰ καὶ ἐπαπόρησιν, *non affirmativè, ſed per dubitationem, aut interrogationem, intelligenda eſſe, hoc ſenſu: Si feras indomitas manſuefacit homo & tractabiles reddit: anne ſuam lingvam domare poterit? Nam ſi affirmativè diceretur, nequaquam in progreſſu rectè uteretur adhortatione, qvum ait: Non oportet fratres mei hæc ita fieri. Nullô enim ſucceſſu impoſsbilia imperantur.* Non probo: tùm qvia omnes codices Græci legunt adducta verba κατ᾽ ἀπόφανσιν, οὐ καὶ ἐπαπόρησιν, aſſertivè, ut ita dicam, & non interrogativè: tùm qvia immediatè ſubjungitur, lingvam eſſe κακὸν ἀκατάσχετον, malum quod neqvit coërceri *Auguſtinus, Oroſius, & hos ſeqvutus Richelius, Lorinus, Cornelius à Lapide, Piſcator. Paræus, Interpretes Belgici, agnoſcunt hîc magnitudinem difficultatis, & non impoſſibilitatem operis. Liquere hoc cenſent è verbis Apoſtoli: nec enim dicit, quòd ne quidem gratiæ divinæ auxilio lingva coërceri poſsit, ſed quod nullus hominum par ſit lingvæ coërcendæ; innuens rem tantam viribus humanis geri non poſſe, divinô hîc opus eſſe axuilio. Conſimilem loquendi formulam inveniri volunt Matth. 19. v. 24.* Ego verò in hoc reſponſo non acqvieſco. Non qværitur, an fieri poſſit, ut qvisqvam divinâ gratiâ ita coërceat lingvam, ut eâ non peccetur unqvam: ſed qvid fiat? Otioſæ enim ſunt qvæſtiones, qvæ moventur de rebus, poſſibilibus qvidem, ſed qvæ nunqvam fiant. Scriptura certè ſi conſulitur, teſtatur ea, non inveniri inter mortales ullum, qui non labatur lingvâ. *Eccleſiaſtici* vox eſt cap. 19. v. 17: *Quis eſt qui non deliquerit lingvâ ſuâ? Iacobi* aſſertiones ſunt hoc cap. v. 6. & 8: *Vir perfectus eſt qui lingvam domare poteſt. Lingva malum* ἀκατάσχετον *eſt.* Et qvis majore ſanctitatis elogio divinitùs ornatur, qvàm *Iob*? qvi tamen ſe lingvâ lapſum eſſe, fatetur ipſe c: 42. v. 3. 4. ſeq. *Eſtius* difficultatem motæ qveſtionis amoturus, *contendit ſermonem eſſe Apoſtolo, non de propriâ, ſed alienâ lingvâ domandâ, hoc ſenſu: Cùm poſsint homines omne genus animlium domare; neminem tamen eſſe, qui frenum alienæ lingvæ poſsit injicere. Hunc ſenſum, inquit Eſtius, arguit comparatio ferarum jam adducta, quæ ab aliis domantur.* Non placet aſſertio, qvippe adverſa inſtituto Apoſtolico. Nec enim Divo Jacobo tàm propoſitum eſt docere, qvomodo aliena lingva ſit coërcenda, qvàm monere & monſtrare qvomodo propria ſit regenda. Diſſertationis enim ſuæ hanc ſignavit theſin & ſcopum: *Ne ſitis multi magiſtri, ſcientes fore ut gravius judicium auferamus.* Agit itaq; non tàm de alienæ, qvàm propriæ lingvæ moderamine. Tutiſſima reſponſio eſt, ingenuè fateri, tantam eſſe corruptæ naturæ infirmitatem, ut ne qvidem inter ſanctos ullus ſit, qui non lingvâ labatur. Nec hoc nomine fruſtraneæ ſunt adhortationes, de lingvâ frenandâ. Nam qvò magis huic malo obnoxii ſumus, eò majore nos occupari fas eſt ſedulitate in eodem expugnando. Jubet D. Jacobus, ut πᾶσαν ῥυπαρίαν καὶ περισσείαν κακίας deponamus cap. 1. v. 21: an hinc verè concluſeris inveniri inter homines, qvi vivat ἀναμάρτητος?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Negat id *Salomon* 1 Reg 8. v. 46, negat è Pſalmo *Paulus* Rom. 3. v. 10, negat D. *Iohannes* 1. Epiſt 1. v. 8. Conatus adeſſe debet ut quævis vitentur peccata, licet omni peccato, in hac mortalitate, non liberemur 1 Cor. 15. v. 53. ſeq. Conſimili ſenſu teſtatur David, ſe ſummo ſtudio obſervaturum vias Domini, ne lingvâ peccet, utut ſat certus ſit, fieri non poſſe, ut eò perfectionis in miſerâ hac & mortali vita aſſurgat, ut lingvâ nunqvam peccet.

Tertiò qværitur: *Quid ſibi velint verba; lingva* μεστὴ ἰοῦ θανατηφόρου? Tertia ſimilitudo eſt, qvâ noxius intemperantis lingvæ effectus illuſtratur: Comparatur enim cum veneno θανατηφόρῳ ſeu præſentiſſimam mortem afferente: nec ſine cauſa. Nam veluti veneni præſentiſſima vis eſt in calore nativo extingvendo, qvo extincto mors ſine mora ſeqvitur: ita calorem caritatis, ſine quâ vita Spiritualis conſiſtere neqvit, intemperans lingva penitùs extingvit. Nec enim fieri poteſt, ut iniqvæ cenſuræ, & ejus generis alia petulantis lingvæ opera, cum caritate conſiſtere poſſint: Caritatis ſiqvidem eſt omnia tegere, omnia benignè interpretari, teſte *Paulo* 1 Cor. 13. v. 4 7. Caritas autem ſimulac exſpirat, vera hominum vita exſpirat. Tamdiu enim manemus in Chriſto, qvi vita noſtra eſt Coloſſ: 3. v. 3. 4, qvamdiu caritas in nobis manet 1. Johan. 4. v. 16. Deſumpta autem videtur hæc Apoſtoli monitio, de lingvâ, μεστὴ ἰοῦ θανατηφόρου è Pſalmo 140. v. 4. ubi hæc extant verba: ***Exacuunt lingvam, ſimilem ſerpentis, venenum aſpidis ſub lingvâ eorum.***

Doctrinæ. Quò difficilior & majoris molis res eſt, lingvam effrenem frenare; eò majore curâ allaborare oportet, ut lingvam, qvantum in hac mortalitate licet, frenemus, Dicamus ſinguli cum *Davide* Pſalm: 39. v. 1: ***Obſervabo vias meas, ne peccem lingvâ meâ: cuſtodiam os meum capiſtro.*** Meminerimus ampli præmii, his promiſſi, qui in lingvâ frenandâ ſolicitè occupantur Pſal. 15. v. 1. 2. 3. Rogemus Jeſum, in cujus ore non eſt inventus dolus 1 Petr: 2. v. 22, ut incoërcibile illud lingvæ malum, ſangvinis ſui virtute in nobis coërceat 1 Petri 2. v. 24. Semper recordemur, qvòd lingva intemperans, præſentiſſima peſtis & letale venenum ſit. Notum eſt hoc *Davidis* Pſalm: 140. v. 4: *Lingva eſt ſimilis lingvæ ſerpentis: venenum aſpidis ſubeſt labiis.* Nec ignotum eſt hoc *Salomonis* Prov. 18. v. 21: *Vita & mors ſunt in poteſtate lingvæ: prout quisq; amat uti eâ, comedet fructum ejus.*

V. 9. Ἐν αὐτῇ εὐλογοῦμεν τὸν Θεὸν, καὶ τὸν πατέρα, αὐτῇ καταρώμεθα τοὺς ἀνθρώπους, τοὺς καθ᾽ ὁμοίωσιν θεοῦ γεγονότας.

V. 9. Per ipſam benedicimus Deo & Patri, & per ipſam execramur homines, ad ſimilitudinem Dei factos.

Hic primò quæritur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ* συνάφεια? *qui ſenſus & ſententia?* Poſtquam Apoſtolus variis argumentis ad moderamen lingvæ adhortatus eſt, *geminam* ſubjungit ἔνστασιν, qvâ homines dicaces ſe tueri ſolent. *Prior* ἔνστασις hoc verſu promitur: cujus hic eſt ſenſus: *Nihil impedire,*

quò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

quò minus quis lingvâ ſuâ dignè & decenter Deum celebret, utut lingvâ ſuâ proximum inhumaniùs tractet, imò execretur. Qvam falſam & fanaticam perſuaſionem Apoſtolus refutat argumento qvod ab *impoſſibili* ducit. Negat enim fieri poſſe, ut unâ & eâdem lingvâ Deum rectè laudemus, & hominem, ad imaginem Dei conditum, execremur. Nam qvæ in hominem, opus ſummi artificis Dei, jaciuntur ſcommata, & evomuntur execrationes; non tam in operis, quam autoris ac conditoris contumeliam redundant. Omnia Dei opera cum reverentiâ & laude meditari oportet Pſalm: 77. v. 13. & 92. v. 5. 6. & 145. v. 6: qvocirca non poteſt non cenſeri Dei contemptor, qvi de homine, Dei opere, contemptìm aut ſentit aut loqvitur. Deus certè tanti fecit hominem, ad ſimilitudinem Dei conditum, ut ipſe maluerit mortem ſubire Actor. 20. v. 28, qvàm hominem, in peccatum prolapſum, æternùm perire. Tu verò non dubitas tanto pretio emptum Dei opus leviſſimâ qvaq; de cauſâ, non tantùm conſpuere, ſed etiam, qvod horrendum auditu eſt, καταρᾶσθαι, id eſt, ut rem execrabilem malis ominibus & diris imprecationibus proſequi, ac exitio devovere. Hoc enim emphaticâ iſtius verbi ſignificatione indicatur.

Deinde qværitur: *An ex hac D. Iacobi aſſertione certò colligatur, imaginem & ſimilitudinem Dei per lapſum primorum parentum non eſſe amiſſam?* Ita cenſet *Socinus* in prælect: Theol: cap. 3, pag. 8. & de ſtatu primi hominis pag. 7, & *Smalcius*, Socini ſectator, contra Frantz. diſp: 2. pag. 51. 52. 53. ſeq. Nervus argumenti quo pugnant adverſarii, eſt hic: *Fruſtra dehortaturum Apoſtolum, ne homo hominem, aut iniquiore cenſurâ, aut convitiis petat ac proſcindat, quod ad imaginem Dei factus ſit, ſi imago Dei in homine lapſu primorum parentum penitùs periit ac deleta eſt.* Nugæ. Quis enim ullâ veriſimilitudine, negare poterit, deperditam eſſe τὴν ὁμοίωσιν ϑεοῦ, ad qvam primus homo conditus eſt? Ubi enim jam ſapientia, juſtitia, & ſanctitas, qvâ Deo, primitus conditi, ſimiles eramus Eph. 4. v. 23. 24. Col. 3. v. 10.? Nonne jam ſumus naturâ filii iræ Eph. 2. v. 3, nati caro è carne Johan. 3. v. 9, tenebris obſcuratam mentem habentes, & alienati à vita Dei Eph. 4. v. 18, mortui in peccatis Eph. 2. v. 1, carentes & penitùs deſtituti gloria Dei Rom. 3. v. 23? Quæ eſt amiſſæ imaginis ac ſimilitudinis Dei efficaciſſima probatio. Nec *Iacobus* contrarium docet. Non enim inde ducit argumentum, lingvæ moderamen ſuaſurus, hominem adhuc retinere ſimilitudinem Dei, ad qvam initio conditus fuit: ſed hoc urget Apoſtolus, qvòd quos nec naturæ vinculum, nec pœnæ metus movet, ne proximo noceant; hos ſaltèm movere debeat reverentia Dei, qvi hominem ad ſuam ſimilitudinem efformare dignatus eſt. Quod ſi dixeris: videri hoc argumentum planè ineptum ad perſvadendum, niſi coucedatur, retinere adhuc hominem ſimilitudinem illam Dei, ad qvam initio conditus fuit: reſpondemus, hanc non immotam Dei aſſertionem, ſed vani ingenii merum commentum eſſe. Et addimus, ideo etiam urgeri ſimilitudinem illam Dei, ad quam homo primitùs conditus fuit, qvia licet ea per peccatum amiſſa eſt; in carne tamen comparuit Chriſtus, ut perditam Dei ſimilitudinem reſtauraret 2 Cor. 5. v. 18. 19. ſeq.

Doctrina. Fallunt ſeipſos qui putant fieri poſſe, ut eâdem lingvâ & Deo benedicant, & proximo maledicant, Adeatur *David* Pſalm: 50. v. 16. ſeq.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ſeq., *Eſaias* cap: 1. verſu 15. ſeqventibus, *Siracides* cap: 15. verſu 9, *Iohannes* 1 Epiſt: 3. v. 15. 16. ſeq.

V. 10. Ἐκ τοῦ αὐτοῦ στόματος ἐξέρχεται εὐλογία, καὶ κατάρα: Οὐ χρὴ, ἀδελφοί μου, ταῦτα οὕτω γένεσθαι.

V. 10. Ex eodem ore procedit benedictio & execratio: Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.

V. 11. Μήτι ἡ πηγὴ ἐκ τῆς αὐτῆς ὀπῆς βρύει τὸ γλυκὺ, καὶ τὸ πικρόν.

V. 11. Num fons ex eodem foramine fundit dulcem & amaram aqvam?

V. 12. Μὴ δύναται ἀδελφοί μου, συκὴ ἐλαίας ποιῆσαι, ἢ ἄμπελος σῦκα; Οὕτως οὐδεμία πηγὴ ἁλυκὸν καὶ γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ.

V. 12. Num poteſt, fratres mei, ficus oleas edere, aut vitis ficus? Ita nullus fons, ſalſam & dulcem aqvam edere poteſt.

HIc primò quæritur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ & nexus & ſenſus?* Uterq; eſt manifeſtiſſimus. Repetit id v. 10. qvod dixit v. 9, & repetendo mali indignitatem exaggerat. *Oecumenius per interrogationem legit, hoc modo; An juſtum eſt, ut ex eodem ore & benedictio & execratio egrediatur? Non profecto.* Nos ſequimur recepta exemplaria, in quibus non extat ullum ullius interrogationis veſtigium. Senſus eſt: rem eſſe extremè abſurdam, hominem eodem ore Deo benedicere, homini maledicere, atq: ita ex eodem ore prodire & benedictionem & maledictionem. Scire autem ſi voles, *cur adeò abſurda res ſit, ex eodem ore & benedictiones & maledictiones fundere:* ita habe. Si Deus, in ſecula benedictus, cor incolit, non poteſt os aliud promere, qvàm benedictiones: Sin execrabilis ille calumniator, Satanas, cordis palatium occupat, os non poteſt non execrationes & calumnias fundere. Nam ex abundantia cordis os loquitur Matt. 12. v. 34: Et bonus homo, è bono theſauro cordis profert bona: & malus homo, è malo theſauro profert mala Matth. 12. v. 35: Quocirca veluti fieri non poteſt, ut idem cor à Deo & Diabolo occupetur: ita nec unum idemq; os & benedictionem & maledictionem promere poteſt. Illuſtrat aſſertionem Apoſtolus *tribus ſimilitudinibus, fontis, ficus & vitis. Fons* non fundit ſimul aqvam dulcem & amaram: nec *ficus* ſimul fert ficus & oleas: nec *vitis* ſimul gignit uvas & ficus. Qvàm itaq; abſonum & abſurdum eſt, unum & eundem fontem ex eodem rivo fundere dulcem & amaram aqvam, & ficum oleas, & vitem ficus proferre, cùm ſint diverſæ ſpeciei fructus: tàm eſt incredibile fieri poſſe, ut eadem lingva promat benedictionem ſeu laudem Dei, & execrationem proximi. Valere ergo hos jubet Apoſtolus, ac res ſuas ſibi habere, qvibus nihil eſt freqventius & familiarius, qvàm effrenem lingvæ petulantiam hoc artificio, parùm laudabili, excuſare; nempe non uſq; adeo periculi plenam rem eſſe, lingvam in proximum mor-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

mordaciùs acuere, ac ipſum iniqviùs flagellare, dummodò aliàs in precibus fundendis homo ſit aſſiduus. Iſta, monitore Apoſtolo, jungi jubes, qvæ ſimul conſiſtere non poſſunt. Citiùs namq; unus & idem fons ex eodem rivo aqvam ſalſam & dulcem fuderit: citiùs, immutato rerum ordine, vitis ficus, & ficus oleas protulerit: qvàm ille, qvi iniqvam in proximum cenſuram ſemper exercet, ac in alienis factis, Epidaurius, qvod ait Poëta, ſerpens eſt, Dei laudes lingvâ ſuâ decenter & dignè celebraverit.

Deinde qværitur: *Qua veritate dicat Apoſtolus, quod idem fons non fundere poſſit aquam dulcem & amaram, & quod arbores non poſſint ferre diverſa ſpeciei fructus?* Certè *Strabo* prodit lib. 6: non longe litorib. Laodiceæ, inſulam eſſe totam ſaxeam, cum fonte, in qvo immerſa vaſa, ſalſam primo hauſtu aqvam trahunt & maritimam, deinde dulcem et potabilem. De Aſcanio lacu & qvibusdam fontibus circa Chalcida refert *Plinius* lib. 31. cap. 10, eorum ſuperficiem ſuavem eſſe ac potabilem, inferiores nitroſas. *Petrus Martyr* in hiſtoria Indiæ ſcribit, in Hiſpaniolæ pvovincia Caizimu, ſummam aqvam dulcem eſſe, mediam ſalſam, infimam prorſus amaram. Adeatur *Lorinus* hoc loco, qvi hæc & ejus generis alia documenta ſtudioſè collegit, Inſitionis autem arte fieri poſſe, ut eadem arbor ferat diverſæ ſpeciei fructus, notius eſt, qvàm ut probatione ſit opus, & dudum docuere *Columella, Palladius, Varro, Cato, Theophraſtus*, & è recentioribus *Robertus Stephanus, Benedictus Curtius.* Sed res ſalva eſt. Apoſtolus urget qvod ἐπὶ τὸ πολὺ & ſecundum ordinarium naturæ curſum fieri ſolet. Hæc autem qvæ adducta ſunt exempla aut portentoſa ſunt, ac planè rara, aut arte facta.

Tertiò qværitur: *An verè dicat Apoſtolus, fieri non poſſe, ut quis eâdem lingvâ, & Deum celebret & proximum ſugillet?* Nonne innumeri ſunt, qvi & in laudibus Dei decantandis multi ſint, & verbere lingvæ proximum flagellent? Nota eſt *Eſaiæ* cap. 1. v. 15. ſeq. *Chriſti* Lucæ 18. v. 10. ſeq: hac de re qverela. *Duobus* autem *modis* motæ qvæſtionis difficultatem poſſumus expedire. *Uno*, ſi dixerimus, qvod licet ſint, qvi videantur eâdem lingvâ, & Deo benedicere & proximo maledicere; tamen quæ putantur Dei laudes & celebrationes eſſe, haudqvaqvam ſunt. Nota ſunt hæc Spiritus Sancti effata: Pſal. 50. v. 16: *Improbo dicit Deus: quid tua, ut enarres decreta mea, & aſſumas fœdus meum in ore tuo.* Eſa: 1. v. 15: *Expanditis manus veſtras, ſed occulto oculos meos à vobis: etiam cum utimini multâ oratione, non exaudio.* Matth 15. v. 8: *Appropinquat mihi populus hic ore ſuo, & labiis me honorat: cor autem eorum procul diſtat à me.* Qvæ itaq; funduntur precationes & Dei benedictiones ore, qvo in proximum maledictis feroculè ſævimus, in Dei conſpectu non ſunt preces & benedictiones, ſed mera abominatio. *Altero*; ſi reſponderimus; Apoſtolum non urgere hic rei impoſſibilitatem, qvaſi qvis eodem ore, eâdem lingvâ non poſſit & fundere Dei laudes, & maledicta in proximum eructare: ſed monere ac monſtrare, qvod tantum abeſt hoc deceat, ut qvam maximè abſonum & abſurdum ſit. Ducere huc videntur ipſa Apoſtoli verba: Nam ait: Ου χρὴ, ἀδελφοί μου, ταῦτα οὕτω γίνεσθαι. Conſimili loqvendi formâ ſolet uti Div. Paulus, ubi id, qvod minimè decet, qvàm maximè dehortari vult, veluti videre eſt 1. Tim: 5. v. 13. Tit: 1. v. 11. Sive illo, ſive iſto modo reſponderis, nodus eſt ſolutus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Doctrinæ. Dei & proximi amor veluti individio nexu cohæret 1 Joh. 4. v. 20. 21: ita fieri non poteſt, ut Deum lingvâ ſuâ decenter celebret, qvi iniqvior eſt ſuis in proximum cenſuris, Teſtis eſt *Iehova* Eſaiæ 1. verſu 15. ſeq: *Chriſtus* Lucæ 18. verſu decimo, ſeqvent: *David* Pſalm: 15. verſib, 1. 2. ſeq: & 50. v. 16. *Iacobus* hoc loco.

V. 13. Τὶς σοφὸς καὶ ἐπιστήμων ἐν ὑμῖν, δειξάτω ἐκ τῆς καλῆς ἀναστροφῆς τὰ ἔργα αὐτοῦ ἐν πραΰτητι σοφίας.

V. 13. Quis ſapiens & ſciens inter vos? Oſtendat ex bona converſatione opera ſua cum manſuetudine ſapientiæ.

HIc qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus?* Diſſentiunt Interpretes. *Piſcator cenſet eſſe novum præceptum, quo commendatur manſuetudo & ſtudium pacis, & contra reprehenditur invidia, iracundia, libido rixandi. Paræus & Interpretes Belgici volunt tradi lingvæ maledicæ remedia. Eſtius contendit redire Apoſtolum ad id, quod protulerat verſu primo.* Nam dixerat: *Ne ſitis multi Doctores. Quò reſpiciens, jam tradit, quibus debeat eſſe moribus, qui hoc munere rectè deſungi velit.* Mihi eſt continuatio præcedaneæ diſſertationis. Affertur enim *alter prætextus*, qvo ſe tueri ſolent, qvi petulanti lingvæ patrocinantur. Urgent, indicium eſſe magni ingenii, & ſeriò urgentis commiſſa negotia, in aliòs acerbiore ſermone ferocire; & raræ cujusdam ſapientiæ, & ſagacitatis documentum eſſe non obſcurum, qvorumvis mores ſibi cognitos habere, & in nemine non invenire, qvod culpes, qvod caſtiges. Contrà, lentitudinem qvandam eſſe, publico bono valdè noxiam, ſemper non fervere, in aliorum vitam & mores non inqvirere. Cui prætextui occurſurus Apoſtolus, monet & monſtrat, qvàm longè abſint hi homines, à verâ ſapientiâ, allatâ veræ ſapientiæ deſcriptione. Verborum ab Apoſtolo adductorum hic eſt ſenſus: Vos, qvi eſtis ſuperciliosi alienæ vitæ, alienorum morum cenſores, tantum abeſt, pruritum illum animadvertendi in alios, veram ſapientiam eſſe, ut qvotqvot hoc malo laborant, omnium hominum ſtultiſſimi ſint. Nam hoc qvi ſunt ingeniô, in tenebris palpitant, caligine odii, invidiæ, ambitionis menti offuſâ 1. Joh. 2. v. 11. Verè ſapiens qvi eſſe volet, *duobus documentis* ſapientiam ſuam teſtabitur: Nimirum, καλῇ ἀναστροφῇ & πραΰτητι σοφίας. *Bona* & laudabilis eſt *converſatio*, non tàm ſermone & cenſurâ, qvàm vitâ & exemplo docere, monitore *Chriſto* Matth: 5. v. 16: alios ſi ſeveriùs caſtiges, ipſe haud integer vitæ, & ſceleris purus, non tàm ædificas, qvàm deſtruis Rom: 2. v. 17. 18. ſeq. Matth. 7. v. 1. 2. 3. 4. Lucrari debemus alios, non tàm monitione & increpatione, qvàm ſanctâ converſatione 1 Pet. 3. v. 1. 2. Qvanqvam vero καλὴ ἀναστροφὴ, qvæ eſt veræ ſapientiæ illuſtre teſtimonium, hoc reqvirat, ut ita omnes ac ſingulas actiones accuremus, ut ne qvidem jurati veritatis hoſtes habere poſſint qvicqvam, qvod jure culpent & caſtigent 1. Pet. 2. v. 12: tamen pars haud minima veræ ſapientiæ, poſita eſt ἐν πραΰτητι σοφίας. Non eſt vere ſapiens, qui in ſuis factis æſtimandis talpa eſt, in alienis autem oculatior Epidaurio ſerpente:

te:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

te: nec dignus eſt vere ſapientis laude ac elogio, qvi mitis non eſt & manſuetus. Novimus πρᾶον opponi τῷ δεινῷ καὶ τῷ χαλεπῷ: qvocirca reqvirit πραΰτης σοφίας, ut nunqvam verba aſperiora adhibeantur, ubi benignioribus proficere poſſumus, nec ea proximi delicta aut revelemus, aut exaggeremus, qvæ ſine offendiculo aut excuſare aut tegere poſſumus. Caritas enim veræ ſapientiæ index, μακροθυμεῖ, χρηστεύεται, οὐ ζηλοῖ, οὐ περπερεύεται, οὐ φυσιοῦται: πάντα στέγει, πάντα πιστεύει, πάντα ἐλπίζει, πάντα ὑπομένει 1 Cor. 13. v. 4. 7.

Doctrina. Qvi volet verè ſapiens eſſe, vitam vivet, qvæ aliis in exemplum eſſe poſſit: Urget hoc *Chriſtus* Mat. 7. v. 1. 2. ſeq: *Paulus* Rom. 2. v. 17. 18 ſeq: *Petrus* 1 Epiſt: 2, 1. 2. & 1 Epiſt. 3. v. 12. Manſuetudine etiam opus eſt, abſqve qvâ non datur vera ſapientia. Nec enim qui fervent, furunt, verè ſapientes ſunt. Hinc ſunt ad manſuetudinem monitiones, *Chriſti* Matth. 11. v. 28. 29. 30. *Pauli* 2. Tim. 2. v. 24. *Petri* 1 Epiſt. 5. v. 2. 3. Et qvoniam iſta *Petri* & *Pauli* dicta de paſtoribus ex profeſſo agunt, monitio eſt Apoſtoli *Pauli*, qvæ ſe ad omnes extendit Galat 6. v. 1. 2, his concepta verbis: *Fratres, ſi præoccupatus fuerit homo in aliqua offenſa, vos qui ſpirituales eſtis reconcinnate hujusmodi hominem: conſiderans unusquisq; ſemetipſum, ne & tu tenteris. Alii aliorum onera portate: & ita legem Chriſti complete.*

V. 14. Εἰ δὲ ζῆλον πικρὸν ἔχοντες, καὶ ἐριθείαν ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν, μὴ κατακαυχᾶσθε καὶ ψεύδεσθε κατὰ τῆς ἀληθείας.

V. 14. Qvod ſi Zelum amarum habetis, & irritationem in corde veſtro, ne gloriamini, & ne mendaces eſtote adverſus veritatem.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ & nexus & ſenſus?* Objectio eſt, qvâ pugnant ſeveri iſti alienæ vitæ cenſores, accuſati, qvòd qvâ aguntur ſapientiâ, non ſit vera ſapientia. Urgere ſolent, qvod qvicqvid hac in parte faciunt, ſingulari Zelo promovendi gloriam Dei & ſalutem proximi faciant. Tacitam πρόληψιν refutaturus D. Jacobus, concedit qvidem, imperioſos iſtos Cenſores Zelo duci, ſed non tali, qui Deo probetur & placeat. Nam ne neſciamus, non eſſe unius generis ζῆλον, nec qvemvis Deo aut probari aut improbari: hunc, qvi Cenſores iſtos rigidos irritat, Apoſtolus vocat ζῆλον πικρόν. Qvod ut rectè intelligatur, paucis explicandum eſt, tùm *quid ſit* ζῆλος, tùm *quotuplex ſit:* Sic enim conſtabit, qvi Deo placeat Zelus, & qvi diſpliceat, & cur Apoſtolus expreſſe nominet ζῆλον πικρόν. Non enumerabo omnia vocis ζήλου ſignificata, qvæ in prophanis ſcriptoribus inveniuntur: Nec promam varias vocis hujus ſignificationes, qvæ in N. T. extant, qvas ſingulari induſtria congeſſit *Beza* ſuis in N. T. annotationibus, & qvidem ad verſum 17. ſecundi capitis Evangelii Divi Johannis. Suffecerit eam adferre ſignificatio-

nem, quæ inſtituto Jacobæo propriè inſervit. *Eſt itaq;* ζῆλος *(cujus radix eſt* ζέω *ferveo) vehemens & ardens ſtudium in re quapiam inviolatâ conſervandâ: ſeu animi æſtus, ex indignatione de iis conceptus, quæ indignè fiunt adverſus eum quem amamus, puta vel adverſus homines nobis caros* 2 Cor. 7. v. 7: Coloſſ. 4. v. 13: *vel adverſus ipſum Deum* Johan 2. v. 17. Eſt autem *hic Zelus duplex. Vnus nimirum, cum voluntatis Dei cognitione, ac vera in eum fide conjunctus; qualis fuit Phineæ* Num: 25. v. 13. *Chriſti* Johan. 2. v. 17. *& qualis commendatur* 2 Cor. 7. v. 11. *atq;* Apocal. 3. v. 19: *alter vero, qui non eſt ſecundum ſcientiam, & eſt cœcus potius impetus, ac furor dici debet, ut* Rom. 10. v. 2. Philip. 3. v. 6. Actor. 21. v. 20. & 22. v. 3. Gal. 1. v. 14. Quando ergo D. Jacobus monet, Zelum arrogantum iſtorum Cenſorum eſſe ζῆλον πικρὸν; hoc ipſo innuit & indicat, non eſſe Zelum pium, qui Deo probetur, ſed talem, quem Deus oderit. Etenim verus Zel⁹ oritur ex amore gloriæ Dei & ſalutis proximi: qvalem Zelum ſpiritus Dei commendat in *Phinea* Num. 25. v. 13. in *Elia* 1 Reg. 19. v. 10. in *Chriſto* Joh. 2. v. 17. At Zelus ille, quo non tàm ardent, qvàm furunt importuni illi alienæ vitæ Cenſores, nec ex amore gloriam Dei promovendi, nec è deſiderio proximum juvandi & emendandi, ſed è merâ invidiâ ac cõtendendi ſtudio [ἐριθεία n., qvâ voce utitur Apoſtol⁹, eſt contẽdendi ſtudium, irritatio, à radice ἔρις] unicè oritur. Cujus generis Zeli exempla inveniuntur Act. 5. v. 17. & 13. v. 45. & 21. v. 20. & 22. v. 3, & Galat. 1. v. 14.

Deinde qværitur: *Quid ſibi velint verba: Ne gloriamini inſolentius & mentiamini adverſus veritatem?* Contextus ſatis indicat, qvid iſtis verbis, primo intuitu ſubobſcuris, ſibi velit Apoſtolus. Hoc vult, qvòd licet importuni iſti Cenſores jactent ſapientiam, & inſolentiùs glorientur, ſe unicè impelli ad acres iſtas cenſuras Zelo gloriæ Dei & ſalutis proximi: ſplendidè tamen mendaces ſint. Nam qvi amaro animo accedit ad cenſendum mores, vitam & actiones proximi ſui; hic ſi prætendit aut Zelum divinum, aut ſapientiam qvæ cœlitùs venit; tantum abeſt vera dicat, ut contra hæc ſcientia & ſapientia, qvæ ab iſtis ſeveris ac importunis Catonibus vocatur ſapientia cœleſtis, verè ſit terrena & planè Diabolica ſapientia: quod Apoſtolus verſu ſeqvente diductè urget.

Doctrinæ. Non quivis Zelus Deo placet & probatur. Si te unicè inflammat ad hoc vel illud agendum gloria divina, pariter & emendatio & ſalus proximi: laudabilis eſt Zelus tuus, & qui conformis meritò cenſetur Zelo *Phineæ* Num. 25. v. 13. *Eliæ* 1 Reg. 19. v. 10, *Chriſti* Joh. 2. v. 17, *Pauli* 2 Cor. 11. v. 2. At ſi te ad cenſendum alienos mores irritat vana gloria, ſuperbia, vindictæ cupiditas, præpoſterus Zelus eſt, & tuus iſte fervor Deo qvàm maximè diſplicet, ut qvi non ſit ſecundum ſcientiam. Vide Rom. 10. v. 2. Philip. 3. v. 6. Acto. 21 v. 20. & 22. v. 3. Galat. 1. v. 14: & illuſtra exemplis *Caini* Gen. 4. v. 5. *Eſau* Geneſ. 27. v. 41. ſeq. *fratrum Ioſephi* Gen. 37. v. 4. *Chore, Dathan, Abiron* Num. 16 v. 1. ſeq. *Iudæorum* Rom. 10. v. 2.

V. 15. Οὐκ ἔστιν αὕτη ἡ σοφία ἄνωθεν κατερχομένη, ἀλλ' ἐπι-

V. 15. Non eſt hæc ſapientia, qvæ ſuperné advenit, ſed ter-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ἐπίγειος, ψυχικὴ, δαιμονιώδης. terrena, animalis, Dæmoniaca.

HIc primò qværitur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia?* Planiſſima eſt. Dixerat Apoſtolus verſu qvi proximè præceſſit, licentioſum illud in alios animadvertendi magiſterium, non eſſe veram ſapientiam. Qvod verè à ſe dictum eſſe, *tribus argumentis*, iiſq; efficaciſsimis, probatum dat: inter qvæ *primum* eſt, qvod hìc promitur, ductum ab ἄρσει ſeu remotione definitionis veræ ſapientiæ. Nam vera ſapientia, quâ homines Chriſtianos decet ornatos eſſe, venit cœlitus, non autem eſt ſapientia terrena, animalis, Dæmoniaca. Nos ſingula epitheta, à qvibus turgida illa Cenſorum importunorum ſapientia deſcribitur, ordine expendemus & æſtimabimus.

Secundò, quæritur: *Quid ſit* σοφία ἄνωθεν κατερχομένη? Negari non poteſt, qvin qvævis ſapientia, etiam ea, qvæ viribus naturæ acqviritur, à Deo ſit: Hoc enim teſtatur Spiritus Dei 1.Reg.3.v.9.12. Eccl.1.v.13. Roman.1.v.19 20. Sed hic ſermo eſt de ſapientia, qvâ homines verè pios ac fideles, ac non tàm nomine ac opinione, qvàm re & facto Chriſtianos, præditos eſſe convenit. Hæc autem ſapientia non acqviritur induſtriâ humanâ, ſed eſt ſapientia ἄνωθεν κατερχομένη: hoc eſt, qvæ cœlitùs venit, deſcendens à Patre luminum, qvi veluti omnium donorum, verè perfectorum, auctor, ita unicus veræ ſapientiæ elargitor eſt Jac: 1.v.5.17. Confer qvod eſt Johan 3.v.5. Nec ſine cauſa Divus Jacobus veram ſapientiam vocat ſapientiam, non tàm ἄνωθεν ἐρχομένην, qvàm κατερχομένην. Etenim is apud *Demoſthenem* & *Ariſtotelem*, annotante *Budæo*, dicitur κατέρχεσθαι qui redit exul, ſeu poſtliminio redit. Qvæ ſignificatio, ſi hìc probetur, docere vult Apoſtolus, veram ſapientiam, lapſu amiſſam, è cœlo velut ab exilio revocari & poſtlimio ad nos redire. Qvod verò contentioſorum iſtorum Cenſorum ſapientia non ſit ἄνωθεν κατερχομένη σοφία, vel inde liqvidum eſt, qvòd cœlitùs miſſa ſapientia, & qvæ eſt æmula ſapientiæ Chriſti, ἐν πρᾳΰτητι ſit, non autem contentioſa, velut legere eſt Luc.4.v.18.19. & 12.v.19. Matth.11.v.28.29. 1.Cor. 11.v.1. Gal.6.v.1.2.

Tertiò qværitur: *Quo ſenſu contentioſorum iſtorum hominum, & intempeſtivorum Cenſorum ſapientia ab Apoſtolo appelletur ſapientia* ἐπίγειος? Credo ſapientiam illam, qvâ importuni qvorumvis hominum flagellatores ſuperbiunt, vocari ἐπίγειον *duplici* de cauſâ. *Vnâ*; qvia non habet auctorem Chriſtum, Cœleſtem de cœlo Dominum 1.Corinth.15.v.47, ſed de terra terrenum Adamum 1.Corinth.15.verſu 47. Chriſtus certe, munere ſuo functurus, non dirâ aſperitate in qvosvis arietavit, ſed ſingulari manſuetudine à peccato præoccupatos homines in rectam & regiam ſanctitatis viam revocavit: qvod teſtantur loca antea adducta, & innumera alia, qvæ in hiſtoria Evangelica denſo agmine inveniuntur. At de terra terrenus homo, Adam, divini nominis ſugillatione & contemptu, voluit ad divinos honores aſſurgere Geneſ. 3.v.1.2.ſeq:

Cu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Cujus terreni Adami imitatores infelicisſimi ſunt, qvi alienæ famæ ruinâ & importuniore cenſurâ alienorum factorum inclaraſcere volunt. *Alterâ*; qvia hominem terræ qvaſi affigit & humi repere facit. Ἐπίγειος enim, vi nativâ vocis, is eſt, qvi humi repit: unde apud *Athenæum* ἐπίγειοι μύκητες, & apud *Philonem* ἐπίγειον φυτόν. Qvæ eſt concinna circumlocutio ſapientum, qvi in alienis factis notandis unicô ſtudiô occupantur. Qvâ enim veritate dixeris homines iſtos cor & cogitationes ad cœlos ſeriò attollere & divina meditari, qvi animo & cogitatu in terra ſemper oberrant, in id unicè intenti, ſcire ut posſint, qvid hìc, qvid illic rerum geratur, non tàm de propria vitâ emendandâ, qvàm de alienâ reprehendenda ſoliciti. Qvod qvam alienum ſit à vera & cœleſti ſapientia, teſtis eſt *Chriſtus* Matt.7.v.1.2.ſeq: & *Petrus* 1.Epiſt.4.v.15 & *Paulus* Gal.6.v.1.2.

Quartò qværitur: *Quid veniat intelligendum loqvutione* σοφίας ψυχικῆς? Veluti in Scriptura homo ψυχικὸς ſeu animalis opponitur homini ſpirituali, 1.Corinth 2.v.14: Ita ſapientia animalis, ſapientiæ ſpirituali ac cœleſti. Qvocirca qvemadmodum *homo animalis* dicitur ille, qvi ductum rationis & animæ, nondum regenitæ, ſeqvitur, nec qvidqvam probat, niſi qvod ratio, divinitùs non illuſtrata, probat: unde etiam divina myſteria, captum rationis longisſimè transgreſſa, tali homini ſunt mera ſtultitia 1.Corinth.2.v.14. Conſimili etiam ratione *ſapientia animalis* eſt, qvam homo conſeqvitur vi ac virtute, ac induſtria animæ, ſibi relictæ, nec à divinâ gratia ſingulariter adjutæ: aliàs vocata ſapientia hujus ſeculi, & principum hujus ſeculi, qvi pereunt 1. Corinth.2.v.6. Talem autem eſſe ſapientiam, qvam jactant alienorum dictorum & factorum moroſi cenſores, probatu facilimum eſt. Etenim noſtra vitia inunctis cernere oculis, in alienas autem exorbitationes ſcrupuloſâ diligentiâ inqvirere, hominis irregeniti & animalis, non autem regeniti & ſpiritualis ſapientiam eſſe, teſtis eſt *Chriſtus* Matth.7.v.1.2.ſeq.

Quintò qværitur: *Qua de causâ importunorum iſtorum Cenſorum ſapientia vocetur* σοφία δαιμονιώδης? Conjecturâ non eſt opus. Δαιμονιώδης ſapientia eſt qvæ Dæmonum propria eſt, aut, qvod mavult Piſcator, qvæ à Dæmoniis vel malis ſpiritibus inſpirata eſt. Nam licet Δαίμων *Platoni*, *Iſocrati*, *Atheneo*, *Homero*, aliis, Deus eſt & bonus ſpiritus, & δαιμόνιος divinus; Scriptura tamen δαίμονας & δαιμόνια pro ſeducentibus ſpiritibus ſemper uſurpat. Cæterùm cur rodens illa ſapientia vocetur ſapientia δαιμονιώδης, cauſa in promptu eſt. Etenim novimus qvo ſit animo, qvo ingenio, ſagax ille ſpiritus, Diabolus. Notat aliena facta, non ut emendet, ſed ut accuſet, calumnietur: veluti teſtatur ſcriptura Iob.1,v.10.11. & Apocal.12.v.10. In ſchola autem Dæmonis ſeu maligni ſpiritus ſe doctos eſſe nimis luculenter teſtantur, qvibus nihil eſt antiqvius, qvàm in qvorumvis vitam & mores curioſe inqvirere, ne deſit accuſandi & calumniandi materies.

Sextò qværitur: *An Lutheri doctrina fuerit* δαιμονιώδης? Urget id hoc loco *Lorinus*, & teſtem adducit *Lutherum* lib. de miſſa angulari ſeu privatâ. Vetus calumnia eſt, exaggerata à *Serario*, *Becano*, *Greiʒero*, *Paʒmanno*, *Corne-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Cornelio à Lapide, *Tannero*, aliis. Pudendam calumniam ſusè refutavimus, librô, qvem apoſtaſiæ Illuſtriſſimi CHRISTIANI WILHELMI, Marchionis Brandenburgici; oppoſuimus: Solvimus enim hoc argumentum cap.8. Sect 7. object.2 pag.177.178, nec iteramus.

Doctrina. Tu, qvem titillat libido aliena facta & dicta rodendi, aucupatus hoc cenſendi munere ſapientiam, neſcio qvam, vide qvæſo, qvæ & qvalis ſit hæc tua ſapientia. Non certè eſt ſapientia cœleſtis, qui auctorem habet Chriſtum, de cœlo Dominum. Chriſtus enim aliena facta à rectô abeuntia, non odioſé ſub cenſuram vocavit, ſed leni ſpiritu emendavit Lucæ 4.verſu 18, & idem tu ut facias hortatur Matth 11.v. 28. 29. Sapientia vero tua eſt terrena, quam didiciſti & hauſiſti à terreno Adamo Gen.3.v. 1. 2. ſeq. & quæ te terræ affigit, ac à regno cœleſti exulare facit. Nec enim fieri poteſt, ut tu τὰ ἄνω mediteris, ubi eſt Chriſtus Col.3 v 1, qui humi repis cogitatione tuâ, ut notes, quid illic & iſtic terrarum geratur, ne calumniandi deſit materia. Animalis ac carnalis eſt hæc ſapientia, non autem ſpiritualis: Hæc enim urget, ut non tam alienam vitam caſtiges, quàm tuammet emendes Mat.7.v.1 2. Dæmoniaca deniq; eſt hæc ſapientia: Nam Dæmon unicè occupatur in alienis peccatis notandis, accuſandis, exaggerandis Job.1.v.10 11. Apoc.12.v.10.

V. 16. ὅπου γὰρ ζῆλος καὶ ἐριθεία, ἐκεῖ ἀκαταστασία καὶ πᾶν φαῦλον πρᾶγμα.

V. 16. Ubi Zelus & litigandi ſtudium, ibi tumultuatio & omne opus pravum.

HIc primò quæritur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus?* Secundum argumentum eſt, quô probat Apoſtolus, moroſam importunorum Cenſorum ſapientiam, non eſſe veram & cœleſtem ſapientiam, ab effectis deſumptum. Nam ubi ζῆλος, ubi ἐριθεια, qvæ ſunt & cauſa & fomes contentioſæ & cenſoriæ iſtius ſapientiæ; ibi ἀκαταστασια: ibi πᾶν φαῦλον πρᾶγμα, qvæ ſunt vitia â verâ ſapientiâ alieniſsima. Ἀκαταστασία qvid ſit, non conſentiunt Interpretes. Alii inconſtantiam, alii confuſionem, alii perturbationem, alii tumultuationem, alii aliter vertunt. Nos de voce ἀκατάστατος, diximus cap.1.v.8, de ἀκαταστασία hic paucis acturi. Ἀκαταστασία vi vocis eſt tumultuatio, agitatio, inqvietudo. *Plutarhus* de defect.orat. jungit ἀκατάστατον καὶ ἐμπαθῆ, ſeu pertubatum aut paſſionibus obnoxium. *Iſocrates* ad Euthyn. ἀκαταστάτως ἔχοντα ἐν πόλει res ſunt incompoſitæ & ſe confuſè in civitate habentes. *Paulus* negat Deum eſſe ἀκαταστασίας, ſed εἰρήνης 1 Cor.14.v 33, & 2 Cor. 12. verſu 20. Junguntur ἔρεις, ζῆλοι, θυμοὶ, ἐριθείαι, καταλαλίαι, ψιθυρισμοὶ, φυσιώσεις, ἀκαταστασίαι. Nemini itaq; dubium eſt, quin ἀκαταστασία ſit rei ordinatæ perturbatio, tumultuatio, confuſio, res quæ neſcit ſtare certo loco. Graphica moroſæ ſapientiæ Cenſorum deſcriptio. Hi enim invidia, & rixis ſuis, publici ſtatus everſores

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ſunt, Eccleſiæ perturbatores, Reipublicæ peſtes. Et ne neſciamus quid ſit ἀκαταστασία, ſubjungit Apoſtolus πᾶν φαῦλον πρᾶγμα. Nam ubi rixis & contentionibus omnia loco moventur, fieri non poteſt, quin omne genus vitii obtineat, & velut catervatim irruat.

Deinde qværitur: *An ex hoc loco verè colligat Iuſtinianus, Cornelius à Lapide, Doctrinam Lutheri non eſſe cœleſtem doctrinam, ut quæ omne vitii genus terris incumbere fecerit?* Putidiſſimam & mendaciſſimam eſſe accuſationem prolixè oſtendimus ἐν λύχνῳ λόγου προφητικοῦ, quem Illuſtriſſimo Duci *Chriſtiano Wilhelmo* oppoſuimus, & qvidem part. 5. cap. 1. Sect. 1. 3. pag. 235. 236. ſeq. nec iteramus.

Doctrinæ. Non eſt vera & cœleſtis & Chriſtiana ſapientia, qvæ lites ſerit, quæ ad rixas excitat, quæ ad opera mala & improba ducit. Etenim Deus eſt Deus pacis, & non diſſenſionis 1 Cor. 14. v. 33: Evangelium eſt doctrina pacis Actor. 10. v. 36: monitiones veræ ſapientiæ ſunt de pace mutuâ Pſal. 133. v. 1. ſeq. Epheſ 4. v. 3. Ebr. 12. v. 14: fines denique veræ ſapientiæ eſt pax cum Deo Rom. 5. v. 1, qvæ ſine pace & concordia cum hominibus conſiſtere neqvit, Matth. 18. v. 28. ſeq. Veritas certè doctrinæ è fructibus æſtimanda eſt: Nec enim fieri poteſt, ut ea ſit ſancta & cœleſtis doctrina, quæ ad opera mala & facta improba homines invitat. Docet hoc ſervator *Ieſus* Matt. 7. v. 15. 16. ſeq.

V. 17. Ἡ δὲ ἄνωθεν σοφία πρῶτον μὲν ἁγνή ἐστιν, ἔπειτα εἰρηνική, ἐπιεικής, εὐπειθής, μεστὴ ἐλέους καὶ καρπῶν ἀγαθῶν, ἀδιάκριτος, καὶ ἀνυπόκριτος.

V, 17. Quæ autem è ſupernis ſapientia, primò qvidem caſta eſt; deinde pacifica, æqua, obſequens, plena miſericordiæ & fructuum bonorum, absq; diſceptatione & ſine ſimulatione.

Hic qværitur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia, quis ſenſus & ſententia?* Tertium eſt argumentum, quo probatum dat Apoſtolus, moroſam illam iniqvorum Cenſorum ſapientiam, non eſſe veram ac cœlitùs miſſam ſapientiam. Probatio ſumitur ab effectis veræ ſapientiæ, è diametro pugnantibus cum tumidâ illâ ſuperciliosorum iſtorum Cenſorum ſapieutiâ. Recenſentur autem *ſeptem effecta* veræ & cœleſtis ſapientiæ. *Primò* monet Apoſtolus, veram ſapientiam, & qvæ ἄνωθεν eſt, ἁγνὴν eſſe. Is autem Græcis ſcriptoribus dicitur ἁγνὸς, qui ſe ab impuris amoribus impollutum cuſtodit. Sapientia ergo quæ ἄνωθεν eſt, ἁγνὴ eſt, quia jugiter nobis in mentem & memoriam revocat, ut fidem datam ſponſo Chriſto ſervemus inviolatam. Sapientia enim Chriſtiana, cœlitùs miſſa, ſive ſurgamus, ſive cubitum eamus, auribus noſtris inſonat hoc *Pauli* 2. Cor. 11. v. 2: *Deſpondi te uni viro Chriſto, ut te ei ſiſtam virginem caſtam & puram.* Vetat eapropter hæc ſapientia, ne aut cum impuro Diabolo colludamus, aut in amplexus immundi mundi calidè ruamus, aut concupiſcentias malignæ carnis amori Chriſti præferamus. Verumenimvero, qui juſtâ di-

ſtâ diligentia & devotione exputat, qvoties violet vel inſcius vel invitus fidem ſponſo Chriſto datam, haud facilè in alienam vitam & mores, lingvam mordaciùs acuet: memor monitionum Chriſti Matth.7.v.1.2.ſeq. & 18 v.28 ſeq. *Secundò* vocat Apoſtolus cœleſtem ſapientiam εἰρηνικὴν, ſeu pacis conciliatricem. Εἰρήνη quid ſit, vel vocis originatio teſtatur: εἰρήνη ſiqvidem dicitur qvaſi εἰς τὸ ἓν εἴρειν, in unum nectere, jungere. Sapientia ergo cœleſtis εἰρηνικὴ eſt, quia ſuadet pacem cum omnib⁹ colendam Ebr.12.v.14, & hoc unum agit, qvomodo diſſidentes animis & ſtudiis homines nectat & conciliet Matth.5.v.9. A qvâ ſapientiâ longiſſimè abſunt moroſi iſti cenſores, qvippe qui nihil niſi diſſidia qværunt Gal.1 v.7 8. & 5.v.10. *Tertiò* vocatur cœleſtis illa ſapientia ab Apoſtolo ἐπιεικὴς. Dici verò ſolet Græcis ſcriptoribus ἐπιεικὴς, qui ſummum jus non proſequitur in ſuâ causâ, neq; in deteriorem partem propenſus eſt ſed clemens potiùs, quàm ſeverus exiſtit, ac multum de jure ſuo, amicitiæ cauſa, concedit, qvanqvam legis & juſtitiæ auxilio nitatur. Qvo honorario Epitheto, qvin jure meritiſſimo ornetur ſapientia cœleſtis, nemo negare poteſt. Unicè enim urget hæc ſapientia, ne jus noſtrum rigidius perſeqvamur, memores qvantum Deus noſter de jure ſuo remittat, ubi nos in judicium vocat Matth.5.v.7. & 18.v.28.ſeq. Jac.3.v.1.2. Ab hac autem ἐπιείκεια qvantum abeat moroſa illa importunorum cenſorum ſapientia, vel inde planiſſimum eſt, qvòd minutiſſima errata, qvàm maximè exaggeret Mat.7 v.1.2. ſeq. & de ſummo jure ne tantillum remittat Matth.18. v 28.29 ſeq. *Quartò* appellatur vera ſapientia ab Apoſtolo εὐπειθὴς, id eſt, obſeqviosa, facile credula. Qvo elogio cur ornetur vera ſapientia, *Paulus* 1 Cor:13.v.4 5.6.7. fusè docet. Diverſiſſima eſt ſapientia moroſorum illorum Cenſorum: hi enim omnia ſiniſtrè interpretantur, & è muſcâ ſæpe elephantem faciunt Matt.7.v.3. ſeq. *Quintò* vera ſapientia plena eſt miſericordiæ ac bonorum operum. Miſericordiæ autem proprium eſt, alienis malis condolere, eaq; pro virili ſublevare Matth.9.v.13. & 12 v 7. Lucæ 10.v.33.ſeq. Fructus vero boni & laudabiles, qvorum ferax eſt vera ſapientia, enumerantur Gal.5.v.22. Veluti vero petulantes cenſores neſciunt affici alienâ miſeriâ; ita obnoxii ſunt vitiis, quæ vera prohibet ſapientia. Nam ardent odiô, livore, invidiâ, & ejus generis aliis malis. *Sextò* appellatur vera ſapientia ἀδιάκριτος: cujus vocis qvæ ſit genuina ſignificatio, non ſatis convenit inter interpretes. *Pagninus & Tigurini* vertunt *ſapientiam nihil dijudicantem*, ſcilicet temerè non ſumens ſibi munus carpendi, cenſendi, caſtigandi aliorum facta, juxta illud Chriſti Matth 7.v.1: *Nolite judicare, ne judicemini.* Nec diſſentit *Piſcator*, qui interpretatur ſapientiam qvæ non diſcernit inter proximos ex proſopolepſia. Adverſari videtur nativa ſignificatio. Nam ἄκριτος, δύσκριτος, ἀπόκριτος paſſivæ ſignificationis voces ſunt. *Turrianus paſſivè vertit ſapientiam quæ non dijudicatur à quoquam, certam, indubitatam*; qvo ſenſu Paulus dicit 1 Cor 2.v 15: Spiritualem à nemine dijudicari. Qvæ expoſitio non ſatis ad inſtitutum Apoſtoli qvadrare videtur: Nam ſapientia illa importunorum ac maledicorum Cenſorum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

virgulam ſuam Criticam in omnes exercet, non autem ullius viciſſim admittit cenſuram. Rectiùs fortè verteris *ſapientiam neſciam rixoſæ diſceptationis.* Quod elogium, quâ veritate tribuatur cœleſti ſapientiæ vide Matt. 5. v. 39. 41. 42. & 7. v. 1. ſeq. 1. Cor. 13. v. 5. 6. Superciliosorum contra Cenſorum ſapientia unicè in rixis, calumniis occupatur Matth. 7. v. 1. 2. ſeq. *Septimò & ultimo* vocatur vera ſapientia ἀνυπόκριτος. Quâ voce quid ſignificetur, vix cuiqvam ignotum eſt. Etenim ὑποκρίνομαι propriè uſurpatur de hiſtrionibus, qui alienam induunt & mentiuntur perſonam: hinc laxiore ſignificatu eſt ſimulare, fingere, veluti videre eſt apud *Demoſthenem*, *Lucianum*, *Herodianum*, alios. Ab ὑποκρίνομαι eſt ὑπόκρισις, ac eſt propriè geſtus hiſtrionis, aliam perſonam repræſentantis; ut modificatâ ſignificatione vitium ſit, qvum qui improbior eſt, externam præ ſe fert probitatem: & hac ſignificatione ſemper accipitur in N. T. qvod videre eſt Matth. 23. verſu 28. & locis propè innumeris. Ὑποκρίτης licet prophanis ſcriptoribus ſit hiſtrio, addentibus etiam ſubinde genitivum δράματος, uti apud *Plutarchum* legere eſt: Scriptoribus tamen N. T. nunqvam non eſt improbus pietatis ſimulator. E qvibus non obſcurè conſtare poteſt, qvid ſit ἀνυπόκριτος σοφία. Hic enim dicitur ἀνυπόκριτος qui nihil facit ficto & ſimulato animo, ſed qui quod in pectore clauſum ſervat, ore promit, ac qui qvod ſonat, hoc ſentit. Quâ laude meritò decorari ſapientiam cœleſtem, dubitare non licet. Hæc enim jubet, ut veritatem ex animo loqvamur Eph. 4. v. 25. & urget tùm ἀγάπην ἀνυπόκριτον Rom: 12. v. 9, tùm πίστιν ἀνυπόκριτον 2. Cor. 6. v. 6, tùm φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον 1 Petri 1. v. 22. Quæ ſunt virtutes planè contrariæ indoli importunorum iſtorum Cenſorum. Quâ enim vel ſpecie veri dixeris in iſto homine inveniri, aut πίστιν, aut ἀγάπην ἀνυπόκριτον, qui anxiè qværit qvod in qvovis homine reprehendat & caſtiget. Nam πίστεως ἀνυποκρίτου eſt aliena errata libenter condonare Matth. 18. v. 21. ſeq. Gal. 6. v. 1. 2. & ἀγάπης ἀνυποκρίτου eſt non exaggerare exorbitationes proximi, ſed potiùs excuſare, velare, omnia benignè interpretari 1 Cor. 13, v. 4. 5. ſeq.

Doctrina. Si ſcire voles, an vera ac cœleſti ſapientiâ ſis præditus, vide an ſis *caſtus*: hoc eſt, an amorem Jeſu Chriſti, ſponſi tui, omni rei, etiam cariſſimæ, præferas, mandante *Chriſto* Lucæ 14. v. 26. ſeq. & exemplo præeunte *Paulo* Philip. 3. v. 7. 8: vide an ſis εἰρηνικὸς, qui & pacem ſecteris & colas ipſe cum omnibus Ebr. 12. v. 14. & in animis diſſidentibus reconciliandis ſtudioſé occuperis Matth. 9. v. 9. Vide etiam, an ſis ἐπιεικὴς, qvi potiùs condones, qvàm tuum jus rigidè perſeqvaris Matth. 18. verſibus 28. 29. ſeq. Vide quoqve an ſis εὐπειθὴς, qvi benignè omnia interpreteris 1 Cor. 13. v. 4. 5. ſeq. Miſericors etiam eſto, exemplo miſericordis *Patris* Matth. 18. v. 23. ſeq. & *Samaritani*, afflictum proximum promptè juvantis Lucæ 10. v. 33. ſeq. Ferax qvoq; ſis optimorum juſtitiæ fructuum Johan. 15. v. 1. 2. ſeqvent. Noli rixoſus eſſe, & amans litigioſæ diſceptationis 1. Cor. 11. v. 16. Vide deniq; ſis ἀνυπόκριτος, habens

& ca-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

& caritatem Rom:12. v.9. & fidem 2. Cor.6. v.26. & φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον 1.Pet 1. v.22. Hæ enim virtutes ſunt indices ſapientiæ ἄνωθεν κατερχομένης.

V. 18. Καρπὸς δὲ τῆς δικαιοσύνης ἐν εἰρήνῃ σπείρεται τοῖς ποιοῦσιν εἰρήνην.

V. 18. Fructus autem juſtitiæ ſeminatur in pace iis qui operam dant paci,

HIc quæritur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus?* Concluſurus Apoſtolus inſtitutam diſſertationem de licentioſo in alios animadvertendi magiſterio, appoſitè admodum monet, ſe haud velle omnes reprehenſiones ſublatas: id tantùm urgere ſe, ne reprehenſiones noſtræ, ex acerbo & contentioſo animo proveniant. Senſus itaq; verborum Apoſtoli hic eſt. Quanqvam pii in proximis multa tolerent; non tamen deſinunt ferere ſeu exercere juſtitiam: cujus opus non extremum eſt, vitia non diſſimulare, nec illis favere. Id cavendum eſſe, ne amaritudinem, & protervam carpendi libidinem obvelemus ſpecioſo juſtitiæ nomine. Etenim Chriſtiana juſtitia, quæ etiam ſe prodit in vitiis cenſendis & caſtigandis, non eſt invida & contentioſa: ſed qvicqvid facit tali moderatione facit, ut nemini dubium eſſe poſſit, qvin reprehenſio proficiſcatur ex animo placido & optimè huic cupienti, qvi reprehenditur. Qui ergo pacis ſtudioſi ſunt; hi qvidem vitia aliorum reprehendunt: id enim reqvirit juſtitia: ſed ita reprehendunt, ut reprehenſiones ſuas, lenitatis & pacis condimento temperent, dum contrà moroſi illi Cenſores rabioſo impetu omnia perturbant.

Doctrinæ. Caſtiga errantem, ſed ita ut cenſuram & caſtigationem lenitate condias. Id ut facias invitat exemplo *Chriſtus* Matth. 11. v.28.29, jubet *Paulus* Gal.6. v.1 2. Sic fuit dehortatio D. Jacobi, qvâ revocatos voluit animos hominum à licentioſo illo in qvosvis animadvertendi ſtudio ac Magiſterio.

CAPUT QUARTUM.

Argumentum & Analyſis Capitis.

NOn conſentiunt interpretes, in tradendâ hujus capitis analyſi. Ego cenſeo hoc unum urgere Apoſtolum toto capite: *oppugnandas & compeſcendas eſſe concupiſcentias carnales:* Hoc enim non obſcurè indicat v. 1. Ut autem animet lectorem, ad ſerium ſtudium vitandi pravas & carnales cupiditates, *duo* diductè tractat. *Primò* enim enumerat *effecta periculoſa & pernicioſa*, numero *ſex*, qvæ ſunt: *bella, pugnæ, contentiones*, v. 1, *irritus conatuum labor* v. 2. & *præpoſterus ea quæ deſunt, aſſequendi modus* v. 2. *irritæ preces*. v. 3. *Inimicitia cum Deo* v. 4. *invidia*, v. 5. *ſuperbia* v. 6. *Deinde* præſcribuntur *remedia*, ſervitura expugnandis pravis concupiſcentiis; nimirum, *ſubjici Deo, emundare manus, purificare*

corda, v. 8. *peccata deflere* v. 9. *ſeriô ſe humiliare* v. 10. *obtrectationes vitare* v. 11. 12, *in negotiis ſuſcipiendis inanem confidentiam vitare* v. 13. 14. *divinæ providentiæ ſeſe unice committere* v. 15. 16, aſſignata, concluſionis loco, pœnâ gravi, qvam incurrunt, qvi qvæ ſciunt facienda non faciunt: v. 17. Qvæ eſt univerſi capitis compendiaria analyſis.

PARÆNESIS IIX.

De cohibendis carnalibus concupiſcentiis, v. 1. qvarum tùm *effecta pernicioſa* traduntur à v. 1. uſque ad v. 7. tùm *remedia* præſcribuntur à v. 7. uſq; ad finem Capitis.

V. 1. Πόθεν πόλεμοι καὶ μάχαι ἐν ὑμῖν; οὐκ ἐντεῦθεν, ἐκ τῶν ἡδονῶν τῶν στρατευομένων ἐν τοῖς μέλεσιν ὑμῶν.

V. 1. UNde bella & pugnæ in vobis? Nonne hinc, nimirum ex voluptatibus, quæ militant in membris veſtris.

HIc primò qværitur: *Quæ ſit hujus verſus, & doctrinæ, quæ proximo capite expedita fuit, cohærentia?* Non immorabor varietati ſententiarum enumerandæ. Nexus videtur eſſe manifeſtiſſimus. Dixerat Apoſtolus verſu ultimo proxime præcedentis capitis, vitia ita reprehendenda eſſe, ut pax ſervaretur illibata. Qva occaſione qværere incipit, unde ſint lites, contentiones, bella, qvæ optatam pacem turbant & tollunt? Monet autem, qvod contentionum & pugnarum, & cauſa & fomes ſint carnales cupiditates: à qvibus ut animos hominum avocet, non tantum adducit iſtarum cupiditatum peniciosiſſimos effectus, ſed etiam remedia mali præſcribit. Et traditur hoc verſu *primum carnalium iſtarum concupiſcentiarum effectum*, indicatum nomine πολέμων, καὶ μαχῶν. Nam è malignis deſideriis, omnis lis, omnis pugna & contentio eſt. Dum enim plures rem eandem concupiſcunt, nec ſimul obtinere poſſunt omnes, qvisqve pro eâ obtinendâ animoſe decertandum putat. Cupimus limites agri noſtri prolatos: adſpiramus ad ſublimia officia: ardemus alieni cupiditate: reſiſtunt alii, & conatibus obicem ponunt: hinc velut rupto aggere inundant lites, pugnæ, contentiones.

Secundò qværitur: *Quid nomine* πολέμων & μαχῶν *hic ſignificetur?* Diſſentiunt interpretes. *Lorinus* & *Cornelius à Lapide intelligunt propriè dicta bella, & pugnas, ubi copiæ adverſis armis invicem confligunt.* Non probat *Piſcator, Paræus, Interpretes Belgici*: & rectè: Nam Chriſtiani tùm temporis non gerebant bella, qvippe gentilibus ſubditi, & exarmati ſub Romanis. *Declinare conantur telum Cornelius à Lapide & Lorinus hoc reſponſo: videlicet prævidere Apoſtolum, fore poſt tempora Conſtantini inter Chriſtianos bella & pugnas, & ſatagere ut ea tollat.* Sed mera eluſio eſt, inde refutata, qvod Apoſtolus addat, ἐν ὑμῖν. Qvod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

eſt indicio, agere ipſum de præſenti Eccleſiæ ſtatu. Probo itaque ſententiam *Piſcatoris*, *Paræi*, *Interpretum Belgicorum*, qvi explicant de litibus & contentionibus, non tantum privatis qvod putat *Paræus*; ſed etiam publicis: nam litigaſſe Chriſtianos publicè coram gentilibus judicibus conqveritur *Paulus* 1.Cor.6.v.1.ſeq. *Iacobus* cap.2.v 6.

Tertiò qværitur: *An Apoſtoli verba his patrocinentur, qui negant licere, aut arma unquam ſumere, aut in foro cauſam ſuam coram judice legitime tueri, aut juſtam ſui defenſionem ſuſcipere? Et an Lutherus hoc unquam docuerit?* Errorem hunc, à *Manichæis* qvondam defenſum, & ab *Anabaptiſtis* & *Socinianis* renovatum, doctè confutavit *Auguſtinus* lib. 22. contra Fauſt. cap. 74. Scriptura certè hanc litem claré dirimit. Si enim qvodvis bellum, ſaltem in N.T. interdictum eſſet, D. *Iohannes* non tam juſſiſſet, ut milites contenti eſſent ſuis ſtipendiis Lucæ 3.v.14, qvàm ab arte militari omnino revocaſſet, tanqvam à ſtudio penitus damnato: Et *Chriſtus* dubio omni procul Centurionem, tantopere laudatum Matth 8.v.10. militia omni abſtinere mandaſſet: & *Petrus* Centurionem, cujus luculenta extat commendatio, Actor. 10.v.1.2.ſeq., arma amplius tractare vetuiſſet. Qvod qvia non legimus factum, non omne bellum putamus damnatum. Noſter utique Apoſtolus inſtituto iſti non favet, ut qvi bella & pugnas tantum damnet, qvæ à carnalibus cupiditatibus ortum trahunt. Et qvam afferes cauſam, ob qvam Deus non æqve tuis conatibus bellicis faveat, atq; *Moſis*, *Abrahami*, *Ioſuæ*, *Davidis*, aliorum ſanctorum, modò ad eandem cum illis collimaveris metam? *Iacobus* certè oratione ſatis planâ commonet, qvæ bella, qvas pugnas, improbet. Tum bella, qvæ geris, Deo diſplicent, ubi ad arma ſumenda incitaris, non divinæ gloriæ ardore, non ſubditorum tuorum defenſione juſtâ & neceſſaria; ſed aut impotente ulciſcendi ſtudio, aut nefariâ dominandi libidine, aut efferâ ſanguinis humani ſiti. Uno verbo, bella, pugnæ, Deo improbantur, ſi voluptatibus carnalibus incitatus, ad arma proſilis. *Lutherum omne bellum ſuſtuliſſe, falsò impingit tanto viro Iuſtinianus, contendens, ne quidem, judice Luthero, licere vel Turcam armis impetere.* Calumniam hanc refutavimus in ſcripto illo, qvod Duci *Chriſtiano Wilhelmo* oppoſuimus, & qvidem pag. 179, nec repetimus. Nec Jacobus qvamvis ſui defenſionem, privatam pariter & publicam, velle hac monitione ſublatam, teſtes eſſe poterunt ſuo exemplo *Chriſtus* Johan. 18.v. 26. & *Apoſtoli* Actor. 22. v. 3. & 16. 37. qvippe qvi ſe in judicio publico juſte defenderunt.

Qvartò qværitur: *Quid nomine* ἡδονῶν στρατευομένων ἐν τοῖς μέλεσιν, *quæ ſunt bellorum, pugnarum, contentionum cauſa, veniat intelligendum?* Nomine τῶν ἡδονῶν qvid ſignificetur, vel ipſa vocis originatio docet. Nam ἡδονὴ eſt à nomine ἡδὺ, dulce, ſvave; qvare ἡδονὴ eſt omne carnalis ſvavitatis genus, qvod ad bella, pugnas, contentiones incitat & accendit. Cujus notæ ſunt ſuperbia, invidia, libido dominandi, cupiditas alieni, & ſi qvæ ſunt alia, ſvavitate ſuâ hominem carnalem ad pugnas & contentiones allectantia. D. *Petrus* 1. Epiſt. c. 2. v. 11. vocat ἐπιθυμίας σαρκικὰς αἵτινες στρατεύονται κατὰ τῆς ψυχῆς. Non ſine cauſa autem addit Apoſtolus concupiſcentias στρατεύειν in noſtris membris. Indicat hac loqvutione, carnales iſtas cupiditates impe-

tum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

tum facere in mentem, eam que impura ſvavitate ineſcare. Deinde ubi mens eſt voluptatis blanditiis capta & ineſcata, voluntatem invadit & oppugnat: Mens deniqve & voluntas, facultates animæ principes, membra in obſeqvium facile pertrahunt: qvippe qvibus, veluti Imperator gregariis militibus, imperitant. Nam στρατεύειν, qvo verbo hic utitur Apoſtolus, non raró in ſcriptoribus Græcis, *Thucydide* & aliis uſurpatur de eo qvi munus Imperatoris ſeu Ducis obit. Nec debet qvisqvam mirari, cur Apoſtolus præterito dominio, qvod carnales cupiditates in mentem & voluntatem exercent, ſolius iſtius imperii meminerit, qvod in membris exerunt. Nec enim ab Apoſtolo alia de cauſa hoc factum eſt, qvàm qvod ultimum hoc dominium; omnium ſit perículoſiſſimum. Licet enim res periculi plena ſit, & mentem, & voluntatem, à carnalibus deſideriis occupari atque expugnari: attamen tum demum actum eſt de homine, ubi cupiditas membris abutitur ad qvævis opera turpia complenda. Hinc ſunt illæ in codice ſacro monitiones, qvibus jubemur ſeduló curare, ne peccatum in membris noſtris dominetur, Rom. 6. v. 13. 19. Coloſſ 3. v. 5. Jacob. 3. v. 6. Nam peccatum conſummatum generat mortem, monitore Iacobo c. 1. v. 15.

Doctrina. Fugiamus carnales cupiditates, qvæ ſvavitate fallaci nos circumveniunt: & membra noſtra in ſuum obſeqvium neqviter illectant. Cupiditatis carnalis dulcedo primos parentes in pugnam contra Deum concitavit Gen. 3. v. 1. ſeq: *Cainum* in Abelem armavit, Geneſ. 4. v. 1. 2. ſeq., *Achanem* perdidit Joſv. 7. v. 20. ſeq.; *Gibeſi*, miniſtrum Eliſæi, leprâ infecit 2. Reg. 5. v. 20. ſeq: *Achabum*, deſiderio vineæ Nabothi ardentem, regno & vitâ privavit 1 Reg 21. v. 5. 6. ſeq: Membra noſtra ſint arma juſtitiæ & non iniqvitatis Rom. 6. v. 2. Col. 3. v. 5. Vitemus concupiſcentias iſtas carnales, tanqvam omnis peccati cauſam & pabulum Jacob. 1. v. 3. ſeq. & qvæ hoc unum intendant, ut anima æternùm pereat 1. Pet. 2. v. 11.

v. 2. Ἐπιθυμεῖτε, καὶ οὐκ ἔχετε. φθονεῖτε καὶ ζηλοῦτε. καὶ οὐ δύνασθε ἐπιτυχεῖν. μάχεσθε καὶ πολεμεῖτε, οὐκ ἔχετε δὲ, διὰ τὸ μὴ αἰτεῖσθαι ὑμᾶς.

v. 2. Concupiſcitis, & non habetis: invidetis & ambitis, nec poteſtis aſſeqvi: pugnatis & bellatis, nec obtinetis, propterea qvod non petatis.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus, & horum verborum:* ἐπιθυμεῖτε, καὶ οὐκ ἔχετε: φθονεῖτε καὶ ζηλοῦτε, καὶ οὐ δύνασθε ἐπιτυχεῖν: *ſenſus?* Secundum effectum eſt concupiſcentiarum furioſarum, ſuâ nos ſvavitate ineſcantium, & qvidem maximè pernicioſum. Efficiunt enim ut irriti ſint conatuū noſtrorum labores. Nam *concupiſcimus & non habemus.* Qvod qvo ſenſu intelligendum ſit, verbo indicabimus. Concupiſcentiæ, qvæ in alienа fertur, proprium eſt, animum noctu & interdiu torqvere: Nam in eo inqvieta occupatur, qvomodo re petitâ potiri poſſit. Exitus verò hujus inordinati deſiderii non raró eſt, re tantopere deſideratâ non potiri: vel ſi maximè eâ potiri conceditur, non acqvieſcere, ſed plura & majora appetere: ita ut verè dicat Apoſtolus, qvòd inexplebilis animi homo concupiſcat, & non habeat. Nec enim

in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

in partis aqvieſcit, in id unicè intentus, qvomodo parta adaugeat. Qvocirca tàm caret eo qvod habet; qvàm qvod non habet. Qvod ſi verò homines inexplebilis deſiderii vel maximè obtineant id qvod concupiſcunt; non tamen id qvod habent, ſuo bono, ſed maximo damno & dolore, habent. Liqvet hoc ex artibus, qvibus bona aliena ad ſe rapere annituntur. Etenim qvi ardent & æſtuant cupiditate potiundi rebus alienis, illi ſi aſtu, & Sinoniis machinationibus attrahere non poſſunt aliena bona, ſtatim ad arma & cædem præcipites ruunt, accenſi invidia ex alienâ proſperitate malignè conceptâ. Indicio & exemplo eſſe poterũt *Achab & Iezabel*, qvi ubi fruſtra tentaſſent artib⁹ aſtutis agrum Nabothi occupare, tandem cæde poſſeſſoris vineam invadunt 1 Reg. 21. v. 1. 2. ſeq: Qvalia facinora ne deſignem⁹, ſuadet Apoſtol⁹, qvòd irriti ſint horum laborum conatus. *Occiditis*, inqvit D. Jacobus, & *invidetis, & nihil aſſeqvimini.* In Græco eſt ἐπιτυχεῖν: qvod eſt vocabulum emphaticum. Nam ἐπιτετευγμέναι πράξεις Polybio ſunt res optatiſſimo ſucceſſu & ex voto geſtæ: & ἐπιτυχὴς uſurpatur de homine, qvi in ſuis conatibus conſiliis, actionibus, ἐπιτυγχάνει, id eſt, proſpero utitur ſucceſſu. Hoc itaque docere vult D. Jacobus, qvod licet occidamus, invideamus; nihil tamen iſta, aut cæde, aut invidiâ, aſſeqvamur, ſaltem qvod utile nobis ſit & ſalutare. Occupant qvidem Achab & Jezabel, cæde innocui viri, vineam; ſed non tamen id qvod intendebant aſſeqvuti ſunt, videlicet, ſtabilem vineæ poſſeſſionem: Nam lapſo exiguo temporis ſpatio, non tantum vineâ, ſed etiam regno & vita ſpoliantur 1. Reg. 21. v. 18. ſeq: *Heinſius* ſuis in N. T. exercit. pag. 593. τοὺς φονεύοντας interpretatur, non qvi occidunt, ſed qvi mortem ut plurimum alienam optant, aut qvi vitæ alienæ imminent; ut Pſalm. 62. v. 3. ἕως πότε ἐπιτίθεσθε ἐπ' ἄνθρωπον; φονεύετε πάντες ὑμεῖς. Eſt igitur φονεύειν *Heinſio*, idem qvod vulgo φονᾶν dicunt. Nemo autem minus finem ſuum aſſeqvitur, qvàm qvi alienam optant, nec exſpectant mortem. Et illam & iſtam interpretationem probo, & inſtituto Apoſtoli convenire judico.

Secundò qværitur: *Quid ſibi velint verba*; μάχεσθε καὶ πολεμεῖτε, καὶ οὐκ ἔχετε δὲ, διὰ τὸ μὴ αἰτεῖσθαι ὑμᾶς? Tertium argumentum eſt, qvo disſvadet Apoſtolus concupiſcentias carnales, ductum à tertio effectu noxio. Etenim qvi indulgent concupiſcentiis & affectibus, illi, licet bellent, pugnent, laborioſè ſudent, ut hoc aut illud aſſeqvantur; tamen labor eſt vanus, idq; qvia non utuntur legitimis mediis obtinendi id, qvod qværunt & petunt. Nec enim qvæ affectamus, deſideramus, ea pugnando, litigando, ſed precando, obtinere ac impetrare oportet. Nam qvæ deſunt nobis, ea à Deo petenda ſunt, qvi dat omnibus abundè, & non exprobrat, monente D. *Iacobo*, cap 1. v. 5.

Doctrina. Non concupiſcendo aliena, non occidendo, non invidendo, res noſtras adaugere ſtudebimus: Qvod fecere *Ægyptii* Exod. 1. v. 10 11. ſeq., *Ieſabel & Achab* 1 Reg. 21. v 1. 8. ſeq: ſed Deum timendo & precando, & labores officii legitimè obeundo, exemplo *Iacobi* Patriarchæ Gen. 31. v 1. 2. 3. ſeq; & aliorum. Sciant etiam invidi, avari, rapaces, in irritum cadere laborum conatus; non temere, ſed juſto Dei judicio, teſte *Iehova* Hagg. 1. v. 6.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

V. 3. Αἰτεῖτε, καὶ οὐ λαμβάνετε, διότι κακῶς αἰτεῖσθε, ἵνα ἐν ταῖς ἡδοναῖς ὑμῶν δαπανήσητε.

V. 3. Petitis, & non accipitis, eò qvòd malè petatis, ut voluptatibus veſtris luxurioſé inſumatis.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus?* Dixerat Apoſtolus verſu proximè præcedente, bellare homines, pugnare, nec qvidqvam obtinere, idq; qvòd non petant. Cum verò pugnaces iſti & contentioſi homines regere poſſent, ſe in precibus multos eſſe: reſpondet D. Jacobus, qvòd ſi vel maximè petant, malè tamen petant. Promitur itaq; hic ab Apoſtolo qvartum effectum carnalium cupiditatum, aptum homines à pravis iſtis concupiſcentiis revocare; id eſt, cupiditates carnales reddere precum ſtudium irritum. Nam qvi, qvod à Deo petit, non alio fine petit, qvàm ut voluptatibus inſumat, malè petit.

Secundò qværitur: *Quinam cenſendi ſint κακῶς αἰτεῖσθαι?* Plurima ſunt quæ noſtras vitient & planè irritas reddant preces. Fruſtra precaris, ſi in alio nomine, qvàm Chriſti preceris Joh 14. v.13. Fruſtraneæ qvoq; ſunt preces, ſi tu qvi precaris, nondum ad Deum ex animo converſus preceris Eſa: 1. v.15 ſeqvent. Johan. 9. v.31. Malè etiam petis, ſi ardentius terrena qvàm cœleſtia petas Matth. 6. v.33. Preces deniq; tuæ ſunt irritæ, ſi quæ petis hoc nomine petas, ut qvæ precibus impetras voluptatibus tuis inſumas. Quibus verbis quid indicatum velit Apoſtolus, ſtrictim monebimus.

Tertiò qværitur: *Quid ſit petere, ut in voluptates inſumamus?* Non tantùm malè petit, qvi à Deo vero non petit, & qui fiduciâ operum & meriti proprii petit; ſed etiam malè petit, qui alio fine petit, qvàm ut quicquid petit, ad gloriam Dei, ad ſalutem propriam, ad proximi ædificationem referat. Et hîc in petendo aberrare docet Jacobus mancipia carnalium cupiditatum. Nec enim quæ petunt, hoc fine petunt, ut gloriam Dei & ſalutem hominum promoveant, ſed hic eſt ſcopus, unica meta petitionum, ne deſit, quo carnales cupiditates expleantur. Etenim avarus optat in ſuis fraudibus ſucceſſum, ut expleat avaritiam: invidus, ut alieno incommodo lætetur: libidinoſus, ut carnis libidini ſatisfaciat. Tales non exaudiuntur, qvia juxta Dei voluntatem non orant 1. Johannis 5. verſu 14.

Doctrinæ. Plurimæ ſunt cauſæ, ob qvas Deus non det id, qvod petimus. Sæpè uſu venit id à nobis peti, qvod divinæ adverſatur voluntati 1 Joh. 5 v.14. Non raro etiam ea precibus noſtris impetrare conamur, quæ nobis non forent ſalutaria, exemplo *Moſis* Deut. 3. v.25. 26. *Davidis* 2. Sam. 12. v.16. *Pauli* 2. Corinth: 12. v.9. Sæpè etiam non audiuntur preces, ſive quia ſumus corde ἀμετανοήτῳ Eſa: 1. v.15, ſive qvia Deus adhuc vult continuari preces Luc: 18. v.1. 2. ſeq. ſive qvia tempus exauditionis, divinitùs præfinitum, nondum advenit Johannis 2. verſu 4. Sive deniq, quia qvod petimus, ſine bono non petimus, teſte hic Divo Jacobo.

V. 4.

V. 4. Μοιχοὶ καὶ Μοιχαλίδες οὐκ οἴδατε, ὅτι ἡ φιλία τοῦ κόσμου ἔχθρα τοῦ θεοῦ ἐστιν; ὃς ἂν οὖν βουληθῇ φίλος εἶναι τοῦ κόσμου, ἐχθρὸς τοῦ θεοῦ καθίσταται.

V. 4. Adulteri & adulteræ an neſcitis, qvòd amicitia mundi inimicitia Dei ſit? Et qui voluerit amicus mundi eſſe, inimicus Dei conſtituitur.

HIc primò quæritur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ & nexus & ſenſus?* Qvintum effectum eſt concupiſcentiarum, in membris militantium. Etenim pravæ concupiſcentiæ, & hominis animum fallaciter delinientes voluptates, ad ſcortationem, adulteria, impuros amores, homines incitant & accendunt. Notum id eſt exemplo *Davidis* 2. Sam: 11. v. 2. ſeq. *Amnonis* 2. Sam 13. v. 1. 2. ſeq. aliorum. Qvantum vero ſit periculum impuris ſe mancipare amoribus, vel inde qvàm manifeſtiſſimum eſt, qvod qvi hoc faciunt, Dei amicitiâ excidant. Qua de re pòſt agemus.

Secundò quæritur: *Qui cenſendi ſint* μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες? *Calvinus* & eum ſeqvuti *Interpretes Belgici*, nomine adulterorum & adulterarum, deſignari cenſent metaphorice eos, qvi hujus mundi vanitatibus corrupti, ſe à Deo alienant. Quæ ſignificatio eſt crebra, veluti videre eſt Jerem: 13. v. 27. Ezech. 23. v. 44. 45. Hoſ. 2. v. 2. Ego retineo propriam ſignificationem, ſed ita, ut non tantùm cenſendi ſint teneri reatu πορνείας Matth. 5. v. 19. [qvæ generaliore voce appellatur ἀκαθαρσία 2. Cor. 12. v. 21.] qvi membris externis ad turpem & lege damnatum concubitum abutuntur Deut. 23. v. 17. Levit 19, 29, ſed etiam qui ſpurcis utuntur ſermonibus Eph. 4. v. 29, & laſcivis geſtibus ſpurcitiam produnt Prov. 5. v. 20. & 7. v. 13. Jerem: 5. v. 8. qvi deniq; illicitis flammis impuri amoris ardent, latentibus intra penitum pectus, ſed ita, ut ſcintillæ ſubinde emicent, annotante *Chriſto* Matth. 5. v. 28. & *Petro* 2. Epiſt. 2. v. 14. Hæc enim omnia, & qvævis impuri amoris irritamenta, hìc notantur: qvibus qvi obnoxii ſunt, Apoſtolo ſunt μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες. Negari interim non poteſt, qvin potiſſimùm veniant μοιχῶν καὶ μοιχαλίδων nomine, qvi membris impurè abutuntur: nec ſine cauſa. Nam ſi hi mœchi & mœchæ ſunt, qvi vel impuriore cogitatione & adſpectu peccant Matth. 5. v. 28: qvanto majore jure cenſebuntur mœchi & mœchæ, qvi membra fœdis libidinibus emancipant, atq; ita corpus, habitaculum Spiritus Sancti, hoſpitium Diaboli conſtituunt 1 Cor. 6. verſib. 18. 19. 20.

Tertiò qværitur: *Quid ſibi velint verba: An neſcitis,* ὅτι ἡ φιλία τοῦ κόσμου, ἔχθρα τοῦ θεοῦ ἐστιν? Docet Apoſtolus, tùm qvid potiſſimùm homines ad libidinem, ac nefandum ſcortationis, ac cujusvis impuritatis flagitium accendat: tùm qvanti hoc ipſum periculi res ſit. Si qværis, quid homines ad turpes amores accendat: reſponſio Apoſtoli eſt: Amicitiam mundi eſſe: Qvi enim mundanis hominibus volet carus eſſe, ac modis mediisq; in mundo receptis emergere, huic ex officio incumbet, ut lingvam in impuros ſermones ſæpè laxet, & ſectatoribus ſpurcorum amorum ſubſerviat, & ipſe cœtus impuri pars

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ſit. Nam qvi cum Joſepho Gen:39. v.7.8. ſeq. recuſat perſonam ſuſtinere in hac fœdiſſima ſcena, tantum abeſt in mundo ad honores, dignitatem, divitias aſſurgat, ut contrà certus eſſe debeat, vitam & annos in miſeriâ & ſqvalore ipſi tranſigere dos eſſe. Cùm enim mundus amet qvod ſuum eſt Joh. 15. v. 19: certum autem ſit, qvòd qvicqvid in mundo invenitur, haud qvicquam aliud ſit, qvàm concupiſcentia carnis & oculorum 1. Joh:2. v 16: ecqvid mirum, qvod mundus his pretium ſtatuat, hos evehat, aliis præferat, qvi ad mundi exemplum ſcortantur, & in omne genus impuritatis præcipites ruunt? Qvanti autem periculi res ſit, mundo hac in parte conformari, indicat D. Jacobus, inqviens: *An neſcitis ὅτι ἡ φιλία τοῦ κόσμου ἔχθρα τοῦ θεοῦ ἐστιν?* Mundi immundi vox eſt: Lingvam in qvamvis ſpurcitiem liberè laxa: aures ad ſermones fœdos ne claude: oculos ab elegantioribus formis ne averte: nulla te voluptate priva: ſecus ſi feceris, vives inglorius, fabula mundi futurus Sap.5.v.3.4.ſeq. Dei contrà ſeria monitio eſt: *Eſtote perfecti, ſicut ego perfectus ſum* Matth.5. v.48. *Ne audiatùr putris ſermo ex ore veſtro* Eph: 4. v 29. *Fugite ſcortationem: omne peccatum quod fecerit homo extra corpus eſt: ſed qui ſcortatur in proprium corpus peccat: An ignoratis corpus veſtrum eſſe templum Spiritus Sancti, qui eſt in vobis, quem habetis à Deo, neq; vos eſſe veſtri juris? Nam empti eſtis pretio. Glorificate igitur Deum in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei* 1 Corint.6.v.18.ſeq. Qvi jam, ſpreta Dei monitione, de caſtitate colendâ, ſe totum tradit vitæ turpitudini: certè luculenter nimis teſtatur, qvòd amicitiam mundi immundi amicitiæ ſanctiſſimi Dei præferat. *Amici enim mei*, inqvit Chriſtus Johan.15.v.14, *eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis.* Ne vero qvisqvam temerè ſtatuat, quòd & Deo & mundo ſimul ſervire poſſit, & utriusq; frui amicitiâ: refutat id Apoſtolus, dum addit: *Qui vult amicus mundi eſſe, inimicus Dei conſtituitur.* Mundus enim & Deus animis & ſtudiis omni parte diſſident Mundus namq; in maligno poſitus 1. Joh. 5. verſu 19, nihil niſi qvod eſt malum & impurum ſuadet & urget. Contrà, Deus qui eſt ipſiſſima ſanctitas & puriſſimus Spiritus, nunqvam non ad puritatem & vitæ ſanctimoniam hortatur Matth 5. v. 48. Unde promptum eſt colligere, fieri non poſſe, ut qvis ſimul ſit & Dei & mundi amicus. Quis verò merito non dixerit, non tam ſtultum, qvàm inſanum eſſe, qvi amicitiam mundi amicitiæ Dei præponere volet. Nota eſt hæc Chriſti monitio Matthæi 16: v.26: *Quid prodeſt cuipiam, ſi totum mundum lucratus fuerit, animâ vero ſuâ mulctetur?*

Doctrina. Fruſtra credis, quod & immundo mundo, & ſanctiſſimo Deo ſimul ſervire poſſis. Negat id *Elias* 1. Reg: 18.v.21. negat *Chriſtus* Matth. 6. v.24 Lucæ 11 v.23. negat *Paulus* 2. Corinth: 6. à verſu 14. usq; ad finem capitis. Expende verò, mi homo, qvanta ſit inſania, brevicula mundi commoda amicitiæ Dei, quæ æternùm durat & prodeſt, præferre. Vide qvæ in hanc ſententiam diſſerit *David* Pſalm: 73. v.11.12. ſeq. *Sapiens* Sap: 5. v.3.4. ſeqq. *Chriſtus* Mat:16.v.26. Luc:16.v.19. ſeq. *Paulus* Rom. 8.v.18.

V. 5. Ἢ δοκεῖτε, ὅτι κενῶς ἡ γραφὴ λέγει. Πρὸς φθόνον, ἐπι-

V 5. An putatis, qvòd inaniter Scriptura dicat: ad invidi-

ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα ὃ κατῴκησεν ἐν ἡμῖν.	diam fertur, qui in nobis habitat ſpiritus.

HIc primò qværitur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia, qui ſenſus?* Maximè variant Interpretes, nexum orationis Apoſtolicæ oſtenſuri: in qva varietate ſententiarum afferenda, operoſus eſt hoc loco *Cornelius à Lapide*, qvi adeatur. Mihi eſt ſextum effectum carnalium cupiditatum, quæ in membris militant. Nam qvi pravis illis voluptatibus ſe emancipant, hi tabeſcunt alienâ felicitate. Nam φθόνος eſt λύπη ἐπ' ἀλλοτρίοις ἀγαθοῖς, definitore *Plutarcho*; id eſt, ægritudo ſuſcepta propter alterius res ſecundas, ut *Cicero* vertit. Qvo vitio qvi laborant, meritò audiunt à Deo, qvod eſt Matth: 20. v. 15: *Annon licet mihi facere in rebus meis quod volo. An oculus tuus malus quia ego bonus?*

Secundò quæritur: *Ad quod ſcripturæ dictum Apoſtolus hic digitum intendat?* Diſſentiunt Interpretes. *Beda* non putat eſſe aliqvam ſcripturam peculiarem, ſed illam qvæ in genere fideles à ſocietate infidelium arcet Exod: 23. v. 32: *Non inibis cum eis fœdus.* Alii, qvorum meminit Beda, volunt Apoſtolum reſpicere ad locum Gen: 6. v. 5. & 8. v. 21: *Omne figmentum cordis ab infantia pravum eſt.* *Cajetanus* vult D. Jacobum intendere digitum ad dictum Exod. 20. v. 5, ubi Jehova ait: *Ego ſum Dominus Deus tuus Zelotes.* *Glaſsius* in Philol. ſacra: lib: 4 Tract: 2. cap: 7. pag: 591 deſumpta cenſet verba e loco Num: 11. v. 29, ubi ita alloqvitur Moſes Joſvam: *An invides mea cauſa?* *Lucas Oſiander* credit Apoſtolum allegare verba Pauli Gal: 5. v. 17: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum.* Sed nec primæ, nec ſecundæ, nec tertiæ, nec qvartæ ſententiæ accedo: Nam non eſt dictorum adductorum, & verborum qvæ citat Jacobus, ulla conformitas, qvod loca vel obiter inſpecta certiùs oſtendũt qvàm ut fuſiore probatione ſit opus. Ego, ſeqvutus *Salmeronem Calvinum, Iunium, Piſcatorem, Paræum, Iuſtinianum, Eſtium, Interpretes Belgicos*, cùm verba ab Apoſtolo adducta, nuſpiam inveniam totidem verbis in ſacro codice deſcripta, tutiſſimam reſponſionem eſſe judico, D. Jacobum non reſpexiſſe ad ſingulare aliquod Scripturæ dictum: tantùm dicere & docere voluiſſe, fugiendam eſſe invidiam, argumento hinc ſumpto, qvod Scriptura paſsim doceat, cor hominum innata qvadam naturæ malitiâ ad invidiam qvam maximè propendere. Nec novum eſt in ſcripturis, nominari ſcripturam, ubi minus liquet, ex quo ſcripturarum loco deſumpta ſit ſententia. Exemplum eſt Eph: 5. v. 14.

Tertiò qværitur: *Quid ſibi velint verba:* πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα ὃ κατῴκησεν ἐν ὑμῖν? Dicere non poſſum, in qvot ſententias hìc ſcindantur Interpretes. Fuſe hoc narrat *Salmeron, Piſcator, Paræus, Heinſius*; fuſiùs *Paëzius, Iuſtinianus*; fuſiſſimè *Lorinus Cornelius à Lapide, Eſtius.* Paucis ſtringam, qvæ alii nimis diffuſè tradidere. Alii præſentem locum de Dei Spiritu, alii de corrupto, qvi in hominibus eſt ſpiritu, intelligunt, ſed diverſimodè. *Quatuor* ſe offerunt *ſententiæ. Prima ſententia eſt Salmeronis, Iunii, Piſcatoris, Paræi Gagnæi, Lorini, Marianæ, Iuſtiniani,* Cornelii à Lapide, *Interpretum Belgicorum, qui de Dei ſpiritu interpretantur; ſed non uno & eodem modo. Nam*

ſunt, qui per interrogationem legant hoc ſenſu: An Dei ſpiritus, qui in vobis habitat, ad invidiam fertur? hoc eſt, *nos ad invidiam inflammat? Quod quam alienum ſit à Dei ſpiritu, videre eſt* Num: 11. v. 29. *Qui vero ſine interrogatione & aſſertivè accipiunt verba Apoſtoli, urgent hoc velle Apoſtolum: Spiritus Dei qui in nobis eſt, & in populo Dei olim habitavit,* ἐπιποθεῖ *ſeu inſtinctu ſuo nos concupiſcere facit & inſtigat* πρὸς φθόνον, *nempe* τοῦ κόσμου, *ad invidiam, hoc eſt, odium & fugam mundi, pro, jubet & ſuadet odiſſe mundum, aut retenta proprietate vocis, hoſtiliter fertur & pugnat contra invidiam.* Ego vero non video, quâ veritate hanc ſententiam probare liceat. An enim Spiritus Sanctus ad invidiam fertur? an φθόνος in Græca literatura μῖσος eſt? an ἐπιποθεῖν eſt μάχεσθαι? an unqvam qvæſitum fuit in codice ſacro, nedum curioſé inculcatum, Spiritum Sanctum ad invidiam non ferri? *Secunda ſententia eſt Hugonis, Emanuelis Sà, Thomæ Anglici, Eſtii, qui verba Iacobi de ſpiritu humano, eoq; corrupto explicant, & quidem hoc ſenſu: Non eſt de nihilo, quod Scriptura toties dehortetur homines ab invidiæ malo. Nam nimis experientia & ſanctiſſimorum exemplis notum eſt, quàm impotenti deſiderio ad invidiam feratur qui in nobis eſt corruptionis Spiritus, nondum omni parte reſtitutus & regenitus.* Liqvet id exemplo *Ieſuæ* Num: 11. v. 29. *Iudæorum* Mat. 20. v. 15. *Diſcipulorum Chriſti* Marc: 9. v 38. 39, *Petri* Joh. 21. v. 20. Cui ſententiæ non accedo: tùm quia ſcriptura non de animo noſtro, ſed de Spiritu Sancto, uti ſolet loqvutione hac: τὸ πνεῦμα ὃ κατοικεῖ ἐν ἡμῖν Roman: 8. v. 9. 1. Corinth: 3. v. 16; tùm qvia inſolens eſt loqvutio: πνεῦμα ἐπιποθεῖ πρὸς φθόνον, Spiritus concupiſcit invidiam: abeſſe enim deberet præpoſitio: at τὸ ἐπιποθεῖν pro ὁρμᾶσθαι accipere cum *Beza*, qvid aliud eſt, qvàm vocibus ſignificata, melioribus ſcriptoribus ignota, adſcribere. *Tertia ſententia eſt Heinſii, ſuis in N. T. exercit. pag: 594. rati, hunc eſſe verborum Apoſtoli ſenſum: An ergo ignoratis paſſim à Scriptura dici? Quid?* ὅτι τὸ πνεῦμα ὃ ἐν ἀνθρώποις κατῴκησε πρὸς φθόνον Κυρίου ἐπιθυμεῖ: *Spiritus hominis, aut qui habitat in homine, adverſus Deum & cum indignatione ejus cupiditates exercet. Quod eſt* παροργίζειν τὸν Κύριον, *ad iram provocare Dominum.* Qvæ videtur mihi valdè contorta expoſitio. Nam nec φθόνος eſt παροργισμὸς Κυρίου, nec vox Κυρίου in textu extat, nec ἐπιποθεῖν πρὸς φθόνον eſt ad iram provocare, aut cum indignatione Dei cupiditates exercere. Adducuntur qvidem ab *Heinſio* qvædam è Pſalmis loca, ſed qvæ vix qvadrent. *Quarta ſententia eſt Lucæ Oſiandri, qui ſpiritum hic interpretatur de Sancto Spiritu, hoc ſenſu: eum, qui in nobis habitat, regenerationis ſpiritum,* ἐπιποθεῖν πρὸς φθόνον, *id eſt, concupiſcere contra invidiam, ſeu ſeriò hortari nos, ut ab omni invidiâ caveamus.* Qvæ eſt probiſſima explicatio: tùm qvia verba: πνεῦμα, ὃ ἐν ἡμῖν κατοικεῖ: circumloqvutio eſt Spiritus S., veluti antea oſtendimus: tùm qvia ἐπιποθεῖν propriè ſignificat deſiderare, concupiſcere: tùm deniq; qvia præpoſitio πρὸς, ſæpè valet contra, qvod oſtendunt loca Luc: 20. verſu 19. Hebr: 12. v. 4. Fruſtrà igitur & falſo Spiritum Sanctum jactant,

qvi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

qui alienis bonis invident. Nam Spiritus Sanctus concupiſcit contra invidiam, eamq; execratur.

Qvartò qværitur: *An è præſenti loco verè colligere liceat autorem Epiſtolæ ſcriptoribus θεοπνεύστοις & indubitatæ fidei præter meritum annumerari?* Ita cēſet *Lucas Oſiander* ſuo in hunc locum commentario, his uſus verbis: *Concludit Iacobus hunc locum, de vitandâ invidiâ & contentione, atq; allegat Pauli dictum* Galat: 5. c. *non quidem ad verbum, ſed juxta ſententiam quam ad inſtitutum accommodat. An putatis, inquit, quod inaniter aut fruſtra dicat ſcriptura: At contra invidiam concupiſcit Spiritus, qui habitat in vobis: Pauli verba generaliora ſunt, & ſic habent: Caro concupiſcit adverſus ſpiritum; ſpiritus adverſus carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non quæcunq; vultis, illa faciatis. Iacobus vero hoc dictum contra invidiam in ſpecie allegat; quia invidia eſt opus carnis: teſte eodem Apoſtolo Paulo* Galat: 5. cap. *Cum autem Iacobus allegat ſcripta Pauli, non ut Collegæ, ſed expreſſé affirmet, SCRIPTVRAM hoc dicere, maniſeſtiſſimum eſt, qvod Iacobus, inter ſua & Pauli ſcripta magnum diſcrimen ponat: quodq; ſuum ſcriptum [tanquam per ſe non authenticum] confirmatione ſcriptorum N.T. (tanquam authenticorum) indigere animadvertat. Itaq; ex hoc etiam loco colligi poteſt, Iacobi epiſtolam non eſſe Apoſtoli, ſed diſcipuli alicujus ſcriptum.* Hac *Oſiander*: cujus ego ſententiæ accedere non poſſum: & qvidem *duplici* potiſſimum *nomine*. *Vno*: quia qvoties ſcriptura in N.T citatur, toties ad Moſen & Prophetas, V.T. ſcriptores divinos, reſpicitur, monente D Petro 2. Epiſt. 1. v. 19. 20. 21. *Altero*: quia dictum Pauli, ad qvod D. Jacobum reſpexiſſe vult *Oſiander*, non qvadrat. Nam verba diverſiſſima ſunt. Etenim Pauli ad Galat: 5. verſu 17. verba ſunt: Σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος, καὶ τὸ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκός: At Jacobi hæc ſunt verba: πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα ὃ κατῴκησεν ἐν ὑμῖν. Qvæ certè non ſunt eadem.

DOCTRINæ. Eo diligentius fugienda eſt nobis invidia, qvo huic malo magis obnoxii ſunt ipſi ſancti, Teſtis enim eſt ſcriptura, qvod qvi ſanctitate excelluere, ab hoc malo non fuerint intacti. Liqvet hoc exemplo *Ioſuæ* Num. 11. v. 29, *diſcipulorum Chriſti* Marc. 9. v. 38, *Petri* Joh. 21. v. 20. Qvocirca, qvoties qvi in nobis eſt ſpiritus, accenditur invidiâ alienæ fælicitatis; toties ebullientis carnis fervorē hoc Chriſti monito, qvod extat in hiſtoria Evangelica Matt. 20. v. 16. retundemus: *An non licet mihi, quod volo facere in rebus meis? an oculus tuus malus eſt, quia ego ſum bonus?*

v.6. Μείζονα δὲ δίδωσι χάριν. Διὸ λέγει. Ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν.

v.6. Majorem autem dat gratiam, idcirco dicit. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus? qui ſenſus?* Diſſentiunt interpretes. Simpliciſſima, & inſtituto Apoſtoli accommodatiſſima expoſitio eſt hæc. Donis alienis invidetis, & ægerrime fertis inveniri qvi vos donorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

norum eminentiâ & ubertate ſuperent. At verò hac ratione augmenta donorum à Deo non impetratis. Scripturæ enim vox eſt: *Deum ſuperbis reſiſtere: contra, hos donis locupletare, qui de ſeipſis humiliter ſentiunt.* Eſt itaq; ſeptimum concupiſcentiarum carnalium effectum. Nam dum ſuperbiam ingenerant, hominem divinâ gratiâ & benedictione privant: quam qvi vult conſervatam illibatam, à concupiſcentiis carnalibus, qvæ ſuperbiam generant, ſibi ſtudiosè cavebit.

Secundò qværitur: *Quæ ſit illa, ad quam Apoſtolus hic reſpicit, ſcriptura?* Conſentiunt Interpretes, reſpicere Apoſtolum ad locum Prov. 3 v. 34, qvi juxta verſionem LXX. interpretum ita habet: Κύριος ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν. Qvanqvam verò textus Ebræus paulo aliter habet, qvantum ad voces: tamen ſeqvutus eſt noſter Apoſtolus verſionem LXX. interpretum, tum receptam, ut & D. Petrus, qvi eandem *Salomonis* ſententiam iisdem cum Jacobo verbis citat 1. Epiſt. 5. v. 5.

Tertiò qværitur: *Quid ſibi velint verba, quæ Apoſtolus è Salomonis Proverbiis adduxit?* Voces qvibus utitur Apoſtolus ſunt ſingulariter emphaticæ. Deus, inqvit Apoſtolus, ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται. Dicitur autem ὑπερήφανος, à verbo ὑπερφαίνομαι, annotante Euſthatio, ſuperappareo, ſupereminеo. Qvi itaque inſanâ ambitione & donis divinitus conceſſis ſe ſupra alios efferunt, hi ſunt iſti ὑπερήφανοι, qvibus Deus ἀντιτάσσεται. Eſt autem ἀντιτάσσεσθαι *Plutarcho* & aliis, ex adverſo ſtare inſtructa acie, unde & ἀντιτεταγμένοι dicuntur hoſtes. Hoc itaque docere vult D. Jacobus, tantum abeſſe, Deum augere novis donis homines ſuperbos & invidos, ut eos donis & bonis côcreditis, tanqvam juratos hoſtes, exuat, atque velut ſpoliet. Contrà, Deus dat gratiam ταπεινοῖς. Ταπεινοὶ autem qvi ſint, diximus cap. 1. v. 9. qvæſt. 3. Nam ταπεινὸς propriè opponitur τῷ ὑψηλῷ, ac de rebus, non multum à terra aſſurgentib⁹, uſurpatur. Hinc ad animum transfertur, ac ſignificat hominem, ſubmiſſius de ſeipſo ſentientem. Qvocirca veluti Deus ſe hoſtiliter opponit elatioris animi hominibus, & invidentibus alienæ felicitati, ac tales exuit bonis ac donis, qvibus ſuperciliosè inſoleſcunt: Ita vice verſâ Deus homines, ſe ſubmiſſe gerentes, varia donorum magnorum ubertate auget & largiter ditat.

Doctrina. Summo ſtudio & excolenda eſt humilitas, & vitanda ſuperbia atq; invidia. Deus enim nullo non bonorum genere auget & ornat humiles: Contrà, ſuperbos & alienæ felicitati invidentes, & donis divinitus datis privat, & nullo non infortunii genere mactat. Teſtis eſt *David* Pſal. 18. v. 28, *Salomon* Prov. 29. v. 23, *Eſaias* cap. 2. v. 12. & 66. v. 2, *Anna*, Samuelis mater 1. Sam. 2. v. 8, *Maria*, mater Chriſti Luc. 1. v. 51, & *Petrus* 1. Epiſt. 5. v. 5.

v. 7. Ὑποτάγητε οὖν τῷ Θεῷ, ἀντίστητε τῷ Διαβόλῳ, καὶ φεύξεται ἀφ᾽ ὑμῶν.

v. 7. Subjicimini igitur Deo, reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis.

Hic primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus?* Dixmus, tradituri hujus capitis analyſin, hoc agere hoc capite Apoſtolum, ut animos à voluptati-

tatibus, qvæ in membris noſtris militant, avocet. Qvo labore ut Apoſtolus optato ſucceſſu defungi poſſet: primo recenſuit pernicioſa voluptatum carnalium effecta, hactenus explicata; deinde *remedia* mali ſubjungenda cenſuit: è qvibus *duo priora* hic promuntur. *Primum* eſt, ſubjici Deo: *Secundum* eſt, reſiſtere Diabolo.

Secundo qværitur: *Quid ſit* ὑποτάσσεσθαι τῷ θεῷ? Verbum, ὑποτάσσεσθαι, ſingulariter emphaticum eſt. Nam propriè ſignificat inferiorem obſeqventer parere ordini, à ſuperiore conſtituto. Nam ὑποτάσσω, vi vocis, eſt ſubcolloco. Sic juſſio ſpiritus Dei eſt: πᾶσα ψυχὴ ὑποτασσέσθω ὑπερεχούσαις ἐξουσίαις, Rom. 13. v. 1. Mulieres etiam jubentur ἀνδράσιν ὑποτάσσεσθαι Epheſ. 5. v. 22. Et ſcriptura, commendatura Jeſu Chriſti in malignos ſpiritus imperium, dicit δαίμονας ὑποτάσσεσθαι Chriſto & ejus diſcipulis Lucæ 10. v. 17. 20. Qvando ergo mandat D. Jacobus, ut nos, frenaturi voluptates in membris militantes, Deo ſubjiciamur, hoc vult, ut ſedulo memores ſimus, Deum noſtrum eſſe ſupremum Dominum, qvi nec majorem, nec parem agnoſcat; cujus τάξιν, ac qvem præſcribit ordinem, prompto obſeqvio ſeqvamur, omnes cogitationes, affectus, conſilia, actiones noſtras, ad ejus nutum conformemus, nec vel pilum latum à normâ, qvam in ſuo verbo præſcripſit ſervandam, deflectamus. Hæc enim eſt illa ὑποταγή, qvam Deus à nobis reqvirit.

Tertiò qværitur: *Quid faciendum ſit nobis, ut ita reſiſtamus Diabolo, ut fugiat à nobis?* Qvàm gravis ſit illa pugna, qvæ nobis cum Diabolo decertanda eſt, teſtis eſt *Chriſtus* Matth. 12. v. 29. ſeq: *Paulo* 2. Corinth 4. v. 4 Epheſ. 6. v. 11. ſeq: *Petrus* 1. Epiſt. 5. v. 8. Qvid verò facto ſit opus, ita ut reſiſtamus Diabolo, turpi fugâ ſe ut ſubducat, paucis indicabimus. Diabolum fugare ſi voles: certò ſtatu es, veniſſe Jeſum in mundum, ut opera Diaboli deſtrueret, 1. Johan. 3. v. 8. fide indubitata meritum ac mortem Jeſu Chriſti amplectere, & Diabolo oppone Epheſ. 6. v. 16: ſanguine Chriſti cor tuum qvotidiè ablue Exod 12. v. 12. 13. 1. Corinth. 5. v. 7. 1 Johan. 1. v. 7. vitam emenda, Luc. 11. v. 24. ſeq. 2. Petr. 2. v. 20. 21. 22: precibus aſſidue vaca, Luc. 22. v 32. 40. 1. Pet. 5. v. 8. Qvæ ſunt arma, quibus Diabolum, juratiſſimum hoſtem, oppugnare oportet.

Qvartò qværitur: *An Diabolus, ſemel victus & fugatus, pugnam non redintegret? & an quando ipſi reſiſtitur, ſemper fugiat?* Non credes, Diabolum victum non redintegrare pugnam. Novimus qvid acciderit Jeſu Chriſto. Nam licet malignum illum ſpiritum fortiter profligavit tentatus; attamen pro eâ, qvâ eſt & malitiâ & impudentiâ, iteratò pugnavit: Nam teſte ſcriptura Luc. 4. v. 13, Diabolus ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ ἄχρι καιροῦ. Et qvid attineret ſemper orare & vigilare 1. Petr. 5. v. 8, ſi Diabolus, ſemel victus, pugnam nunqvam renovaret? Nunqvàm qvieſcit, in omnes nocendi commoditates neqviter intentus Iob 1. v. 7. ſeq: 1. Petr. 5. v. 8. Non ſine cauſa autem qvæſiveris; *an ſemper fugiat Diabolus, ubi ei reſiſtitur?* *Paulus* certè divina gratia viriliter Diabolo reſiſtit 2. Corinth. 12. v. 7. ſeq: non tamen videtur fugere? In promptu eſt reſponſio. Nam ut Diabolus dicatur ab homine pio fugere, non hoc reqviritur, ut ſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

planè ſubducat, nec, quid poſſit, ampliùs experiatur: Sed tùm fugere cenſendus eſt Diabolus, ubi ejus conatus in irritum cadunt, ita ut victores emineamus, ſi vel maxime malignam pugnam centies aut millies repetat ac redintegret. Docetur id exemplo & *Chriſti* Luc: 4. v. 13. & *Pauli* 2 Cor: 12. v. 7. ſeq.

Doctrinæ. Submittamus nos Deo noſtro, ſeqvuti exemplum Jeſu Chriſti, qvi in mortis duriſſimâ luctâ conſtitutus dixit Luc: 22. v. 42: *Pater: non mea, ſed tua voluntas fiat.* Diabolo viriliter reſiſtamus, induti ſpiritualia illa arma, qvorum meminit *Paulus* Eph: 6. v. 16. 17. 18.

V. 8. Ἐγγίσατε τῷ θεῷ, καὶ ἐγγιεῖ ὑμῖν: καθαρίσατε χεῖρας ἁμαρτωλοὶ, καὶ ἁγνίσατε καρδίας δίψυχοι.	V. 8. Appropinquate Deo, & appropinqvabit vobis. Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo.

HIc primò quæritur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus? & qui verborum: appropinquate Deo & appropinquabit vobis: ſenſus?* Tertium eſt remedium, ſerviturum carnalibus concupiſcentiis frenandis. Nam qvò quis Deo propinquior eſt, eò à carnalibus concupiſcentiis remotior eſt. Qvod tum demùm verè dictum eſſe intelligatur, ubi oratione ſubſtricta explicatum fuerit, quid ſit ἐγγίζεσθαι τῷ θεῷ. Certè motu corporis nec à Deo recedere, nec ad Deum propiùs accedere poſſumus. Cùm enim Deus ſit infinitus & immenſus 1 Reg. 8. v. 27. Pſalm: 139 v. 8. 9: Jerem: 23. v. 24: tantum abeſt à rebus conditis abſit, ut in ipſo ſimus, vivamus, moveamur Actor: 17. v. 28. ſeq. Deo itaq;, qui cœlum & terram implet Jerem: 23. v. 24, non corporis motu, ſed ſancto animi affectu, & ſordium peccati ablutione, ac vitæ in melius mutatione appropinquare debemus. Quod vel inde liqvet, qvòd peccata ſint, quæ Deum noſtrum à nobis removeant, teſte *Eſaiæ* cap: 59. v. 2. Et ne dubitationi ſit locus, ſubjungit Divus Jacobus, qvid nobis faciendum ſit, *ut Deo appropinquemus, & Deus nobis appropinquet:* nimirum, emundandas peccatoribus manus, & corda διψύχοις purificanda. Monito tàm illo, qvàm iſto, quid reqviratur, diſtinctè docebimus.

Secundò quæritur: *Quid ſibi velit monitio:* Καθαρίσατε χεῖρας ἁμαρτωλοὶ? Diximus *duo* reqvirere Apoſtolum, ut *Deo appropinquemus. Vnum* reſpicit externas actiones: *Alterum* ſpectat internos cordis motus. Prius illud complectitur Apoſtolus loqvutione *emundationis manuum.* Crebra eſt in ſcripturis ſacris mentio, tùm *munditiei manuum* Gen: 20. v. 5: 1 Sam: 26. v. 18. 25. Job 9. v. 30. & 22. v. 30. Pſalm: 7. v. 4. & 18 v 21, tùm *pollutionis manuum* Eſa: 1. v. 15. & 59. v. 3. Mich: 5. v. 12. Cùm verò manus ſunt inſtrumentum plerarumq; externarum actionum, & qvidem maximè nobile & conſpicuum: inde eſt, qvòd phraſi crebrâ uſurpatur & pro ipsâ perſonâ agente, & pro ejus officiis, viribus & potentiâ, pro conſiliis, conatibus, cogitatis, actionibus, pro operationibus corporalibus & ſpritualibus. Hinc *puritas manuum* eſt juſtitia vitæ & actionum Pſal: 18. v. 21. Job 17. v. 8. Pſal; 24. v. 49. & *manus pollutæ ſangvine,* & di-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

& digiti infecti iniquitate Eſa: 1. v. 15. & 59. v. 3, ſunt conamina ſangvinolenta. & conſilia atq; actiones, qvibus famæ, fortunis, vitæ proximi neqviter inſidiamur. *Emundat* itaq; *manus*, qui peccatis nuntium remittit, vitam emendat, peccatorum remiſſionem fide accipit Pſalm: 6. v. 6. Eſa: 1. v. 15. 16. 1. Tim: 2. v. 8. Nec prætereunda eſt vox ἁμαρτωλοὶ: qvi ſunt publici & perditi peccatores, ac qvi peccandi artem exercent: qvos *Heſiodus* vocat κακῶν ῥεκτῆρας. Hanc enim eſſe hujus vocabuli ſignificationem, videre eſt Matth: 9. v. 10. 11. & 11. verſu 19. & 26. v. 45. Marc. 2. v. 15. Galat. 2. verſu 15. 1 Timoth: 1. v. 15 1 Petri 4. verſu 18.

Tertiò quæritur: *Quid intendat Apoſtolus his verbis:* Ἁγνίσατε καρδίας δίψυχοι? Alterum eſt medium, qvod urget adhibendum D. Jacobus, ut Deus appropinqvet nobis, & nos Deo. Nec enim ſufficit, mundari manus & externas actiones: reqviritur etiam mentis & voluntatis interior mundities. Chriſti enim vox eſt Matth. 5. v. 8: *Beati mundi corde: nam videbunt Deum.* Δίψυχοι qvi ſint, fusè docuimus cap. 1. v. 8. qvæſt: 2. nec iteramus. Tum autem cenſendi ſunt δίψυχοι ἁγνίζειν τὰς καρδίας, qvando cor inter Deum & mundum, inter Chriſtum & Belialem non dividunt; ſed Diabolo & mundo penitùs valere juſſis, ſoli Deo indivulsè adhærent: Nec enim Deus & Diabolus diviſum admittunt imperium, veluti legere eſt 1. Regum 18. verſu 21. Matth: 6. v. 24.

Doctrinæ. Hoc agamus, hoc urgeamns, ut Deo noſtro qvotidie appropinqvemus. Ecqvid enim nobis ſalutarius eſſe poteſt, qvam ut cum Deo noſtro, qvàm arctiſſimè jungamur. In hac namq: conjunctione vita æterna conſiſtit, Johan: 2. v. 24. 25. Ut vero Deo noſtro appropinqvemus, & cum ipſo arctiſſimè jungamur, opus eſt verbi divini ſedulâ auſcultatione Joh. 14. v. 24, Sacramentorum devotâ uſurpatione Galat: 3. v. 27. Joh: 6. v. 56, verâ & vivâ in Jeſum fide ac fiduciâ Johan: 17. v. 20. 21; vitæ emendatione ac in melius mutatione Eſa: 1. v. 15. ſeqvent. Ezechiel: 18. verſu 31. Johan: 14. verſu 24. interiore deniq; cordis puritate Matth. 5 v. 8.

V. 9. Ταλαιπωρήσατε καὶ πενθήσατε καὶ κλαύσατε· ὁ γέλως ὑμῶν εἰς πένθος μεταστραφήτω, καὶ ἡ χαρὰ εἰς κατήφειαν.	V. 9. Affligimini & lugete & plorate: Riſus veſter in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem.

HIc primò qværitur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia? quis ſenſus?* Qvartum remedium eſt, qvod uſurpare convenit, ut inſanas cupiditates, in membris militantes, frenemus: & eſt dolor ac luctus de peccato admiſſo, de Deo offenſo, exemplo *Davidis* Pſalm: 51. v. 1. 2. ſeq. *Mariæ* Luc: 7. v. 38, *Filii prodigi* Lucæ 15. v. 18, *Pauli* Rom: 7. v. 24, aliorum. Exponitur autem hic luctus variis locutionibus ad rem exaggerandam adductis, qvas ordine afferemus & expendemus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Deinde qværitur: *Quid indicetur verbo* ταλαιπωρήσατε? Verbum emphaticum eſt. Etenim ταλαίπωρος is eſt, qui calamitum onere ſemper urgetur: παρὰ τὸ τλῆναι τὸν πῶρον, à ferendo ſeu ſuſtinendo calamitatem, miſeriam. Unde *Paulus*, indicare volens ſe eſſe longè afflictiſſimum, utitur his verbis Rom: 7. v. 24: Ταλαίπωρος ἐγὼ; *afflictiſsimus ego.* Et ταλαιπωρία eſt gravis miſeria cum cordis anxietate qvàm maximè conjuncta, veluti videre eſt Rom: 3. v. 16. Qvando itaq; Apoſtolus inqvit: Ταλαιπωρήσατε: jubet ut peccatores in meditatione miſeriæ ſuæ ſeriò occupentur, nec ſibi hìcqvicquam indulgeant: qvod faciunt illi, qui in vitam ſuam qvotidiè non inqvirunt ſeveriùs, hoc nomine reprehenſi à Dei ſpiritu Apoc: 3. v. 17.

Tertiò qværitur: *Cur cum* ταλαιπωρία *jungat Apoſtolus verba:* πενθήσατε, κλαύσατε? Ne neſciamus decere, ut internam afflictionem atqve cordis anxietatem teſtemur externis documentis, mandat Apoſtolus, ut lugeamus, & ploremus, imitati *Davidem* Pſal: 6. v. 7, *Mariam* Luc: 7. v. 38, *Petrum* Matth: 26. v. 75, qui intùs latentem anxietatem lacrymis & ejulatu prodiderunt. Quæ de vocum, πένθος καὶ κλαυθμὸς, ſignificatione diverſâ fuſé differit *Lorinus*, omitto, tanqvam minùs digna quæ curioſiùs expendantur. Promiſcua enim eſt iſtarum vocum ſignificatio in N. T. & altera alteri jam præponitur, jam poſtponitur Marc: 16. v. 10. Luc: 6. verſu 25. Apocal: 18. v. 11. & 15. v. 19. Qvod indicio eſt alteram alteri non præponderare ſignificationis ἐμφάσει.

Qvartò quæritur: *Quis ſit verborum ſenſus:* ὁ γέλως ὑμῶν εἰς πένθος μεταστραφήτω, καὶ ἡ χαρὰ εἰς κατήφειαν? Exprobrat nimium gaudium, cui ſe antea immerſerant. Nam hac in parte hos peccaſſe, qvibus ſcribit, manifeſtum eſt ex iis, quæ v. 3. præceſſere, ubi his uſus fuit verbis: Κακῶς αἰτεῖσθε, ἵνα ἐν ταῖς ἡδοναῖς ὑμῶν δαπανήσητε. Cæterùm crebrò monet Dei Spiritus, ut lætitiâ miſsâ, in peccatis deflendis toti ſimus. In qvam ſententiam vide qvæ perſcripta inveniuntur Pſal: 13. v. 1: ſeq. Jerem: 9. v. 1. 2. ſeq. Joël: 2. v. 16. Matth. 5. v. 4. Emphaſis eſt in voce κατήφεια, qvâ utitur Apoſtolus. Nam propriè ſignificat dimiſſionem vultus, ſive è mœrore, ſive è pudore, ſive utraq; re ortam. Etenim κατηφὴς, eſt qui frontem & ſupercilia remiſit præ pudore aut mœrore, pudibundus vel ſubtriſtis: ſic dictus, qvaſi κάτω βάλλων τὰ φάη dimittens lumina ſev oculos. Uſurpat hanc vocem *Plutarchus*, de Pompejo fugiente: & *Theophylacto* paupertas eſt κακὸν ῥαθυμοποιὸν, κατηφές. Nam veluti opes faciunt, ut homines ſint ſupercilioſi; ita paupertas animos & oculos dejicit, Hoc ergo monelâ piâ agit D. Jacobus, ne hi, quibus ſcribit, inſolentiores ſint, ſed potiùs dejecto in terram lumine trāsgreſſiones defleant, imitati *Manaſſen & filium prodigum* Luc: 15. v. 18, atq; *publicanum* Luc: 18. v. 13. Non immeritò qvæſiveris: *An Div. Iacobus velit omne gaudium interdictum & ſublatum?* Qvod qvi dixerit, àdverſantem ſibi habebit *Salomonem* Eccleſiaſt: 3. v. 4, *Chriſtum* Matth: 9. v. 14. 15. ſeq. *Paulum* Romanor: 12. v. 15. Hoc tantùm agit, hoc urget D. Jacobus, ut hi, quibus ſcribit

nemo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

memores publicæ calamitatis & perſeqvutionis Jac: 1. v. 21, non tàm lætentur & voluptatibus indulgeant, qvàm abjuratâ omni concupiſcentiâ carnali, ſinguli ſua peccata defleant & publicam calamitatem deplorent. Licet enim Dei ſpiritus non velit omne gaudium interdictum: vult tamen curioſé obſervata tempora & gaudii & luctus, monitore & *Salomone*, & *Chriſto*, & *Paulo*, locis ſuperius adductis.

Doctrina. Qui & ſua peccata & publicam calamitatem diligentiùs intuetur, non poteſt non in lacrymas ubertìm ſolvi. Diſcamus id facere exemplo *Davidis* Pſal: 6. v. 7. *Ieremiæ* c. 9. v. 1. 2. ſeq: *Mariæ* Luc: 7. v. 38. ipſius *Chriſti* Luc: 19. v. 4. Meminerimus, quomodo riſus hominum mundanorum in luctum tandem convertatur Sap: 5. v. 1. 2. 3. ſeq. Luc: 16. v. 19. 20. ſeq. Ex adverſo ad animum ſumamus, qvàm lætus ſit exitus gementium & peccata ex animo deflentium: Qva de re lege diſſerentem Dei Spiritum Joh: 16. v. 20, Apoc: 7. v. 17. & 21. v. 4. Ebr: 10. v. 76. 2 Tim: 3. v. 7. 8.

V. 10. Ταπεινώθητε ἐνώπιον τοῦ Κυρίου, καὶ ὑψώσει ὑμᾶς.	V. 10. Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos.

HIc qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus, qui ſenſus?* Septimum remedium eſt, ſervitutum frenandis concupiſcentiis carnalibus. Nec enim qvicqvam eſt, qvod magis aptum ſit ad compeſcendum carnales cupiditates, qvàm ſeria in conſpectu Dei humilitas. Creberrimè repetitur in literis ſacris, hæc de humilitate colendâ monitio, veluti videre eſt Job 22. v. 29, Proverb 29. v. 23. Matth: 23. v. 12. Luc: 14. v. 11. & 18. v. 14. 1 Petri 5. v. 6. Cujus monitionis, qvis ſit ſenſus, ſubſtrictâ oratione indicandum eſt. Non uno modo *humiliandi* vox ſumitur in literis ſacris. Varia illa ſignificata non promemus: foret enim id ab inſtituto noſtro alienum; tantum qvod ad rem noſtram facit afferemus. *Is ſe* ἐνώπιον τοῦ Κυρίου *humiliat*, qvi agnitis peccatis ac irâ Dei perterrefactus, abjectâ omni fiduciâ, ſecuritate & ſuperbiâ, demiſſo eſt animo. Quod ut omnes faciant, ſeria Dei monitio eſt locis antea adductis. Exempla ejuſmodi humilitatis vide 2 Paralip: 12. v. 6. 7. 1 Reg: 21. v. 27. ſeq. Jon: 2. v. 7. ſeq. ut alia omittam. Ut vero homines, in ſuperbiam ductu malignæ naturæ proclives, eò libentius ſtudeant humilitati, promiſſio divina eſt, *exaltatum iri humiles.* Cui aſſertioni adſtruendæ licet innumera qvæ in parato ſunt, ſervire poſſent exempla: ſuffecerit tamen adduxiſſe unicum Servatoris *Ieſu* exemplum, qvi poſtquam ſe extremè humiliarat, evectus eſt ad immenſam gloriam & ineffabilem dignitatem Phil: 2. v. 8. 9. ſeq. cujus veſtigia nos premere debemus Mat: 11. v. 29. Meminiſſe debemus moniti Jacobæi cap: 1. v. 9: Frater humilis glorietur in ſublimitate ſuâ. Non excidat alloqvium Chriſti ad diſcipulos, qvo humilitatem ſuaſit Matth: 18. v. 1. 2. 3. ſeq.

Doctrina. Ut ſis verè humilis in conſpectu Dei, vide ut de te, de tuo officio, de ſuis donis demiſſé ſentias, & cave ne te ſupra tuum gradum inſolentiùs efferas Matth; 23. v. 12. Luc: 14. v. 11. & 18. v. 14. Rom: 12. v. 3. 2 Cor. 10. v. 13. 14. 15. Vide etiam ne externum honorem, externæ eminentiæ ſigna nimi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

um ames, æſtimes, affectes Mat.23.v.5.6 7. ſeq. Vide itidem aliena dona probes, laudes nec qvicqvam magis tibi curæ ſit, qvàm ut aliis inſervias Matth:23 v.11. Philip:2.v.3. ſeq. Vide deniq;, ne non modò non adſpires ad altiora te Pſalm: 131.v.1; ſed etiam æqviſſimo animo feras tui contemptum, imitatus hac in parte *Davidem* 2.Sam:*16*. v.5. ſeq. *Chriſtum* 1 Petri 2. v. 23. *Paulum* 2. Cor:*12*.v.*10*, aliosq; verè ſanctos & humiles.

V. 11. Μὴ καταλαλεῖτε ἀλλήλων, ἀδελφοὶ. Ὁ καταλαλῶν ἀδελφοῦ, καὶ κρίνων τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, καταλαλεῖ νόμου καὶ κρίνει νόμον. Εἰ δὲ νόμον κρίνεις, οὐκ εἶ ποιητὴς νόμου, ἀλλὰ κριτής.

V. 11. Ne alii aliis obloqvimini, fratres. Qvi obloqvitur fratri, & judicat fratrem, obloqvitur legi, & judicat legem. Qvod ſi judicas legem, non es obſervator legis, ſed judex.

Hic primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus?* Affertur *Octavum remedium*, cujus uſus erit in frenandis voluptatibus carnalibus. Concinnè autem cohæret hoc monitum cum præcedaneo, de humilitate. Cùm enim vix qvicqvam ſit, qvod veræ humilitati validiùs adverſetur, qvàm obtrectādi libido, qvæ ex inſolentiâ utplurimum oritur: inde eſt, qvòd Apoſtolus monitioni, de excolendâ humilitate, hanc dehortationem ſubjungat: qvâ animos Chriſtianorum ab obtrectandi libidine avocare ſtudet. Juſſio Apoſtoli eſt: Μὴ καταλαλεῖτε ἀλλήλων. Verbum καταλαλεῖν apud *Polybium* & alios Græcæ lingvæ ſcriptores accuſandi caſum admittit: hic vero, & apud D. *Petrum* 1.Epiſt.2.v.12, & 3.v.16 diverſa conſtructio eſt. Quid vero hac voce ſignificetur, colligere non incommodè licet è locis iſtis, in qvibus LXX Interpretes eâ ſunt uſi. Nam Pſal: 3.4.v.17 eſt probri cauſa contradicere At Num: 20.v.44. tantundem valet, atq; ex impatientia obloqui. Oſeæ deniq; 7.v.13 ſignificat ſe è merâ malitia alicui opponere. Is itaq; dicetur καταλαλεῖν, qvi cuipiam contradicit, aut probri cauſa, aut ex impatientiâ, aut è merâ malitiâ: uno verbo; omnes ſermones, è maligno animo profecti, veniunt nomine καταλαλήματος.

Deinde qværitur: *Quid ſibi velint verba:* ὁ καταλαλῶν ἀδελφοῦ, καταλαλεῖ νόμου &c? D. Jacobus, ut turpe illud ac maximè damnandum obtrectandi ſtudium ex animis hominum penitus extirpet: *duo*, qvæ hoc vitium diſſvadent, promit & producit argumenta. *Prius argumentum* hìc affertur, ductum ab effecto indecoro: cujus hic eſt ſenſus: Turpius & fœdius factum eſt, obloqvi fratri, qvàm detractores iſti ſibi facilè perſvaſerint. Etenim qvi fratri obloqvitur, non tam ipſi, qvàm legi obloqvitur, & qvi fratrem damnat, legem damnat. Etenim legis divinæ vox eſt Levit.19.v.16. *Ne ſit obtrectator aut ſuſurro in populo tuo.* Et Iehovæ interminatio eſt Pſal.101.v.5. *Linguâ lædentem clam proximum ſuum, ipſum exſcindam.* Et Ieſu monitio eſt Matth.7.v.1. *Nolite judicare, ne judicemini.* Multus hìc eſt Lorinus, Cornelius à Lapide in promendis

variis auctorum ſententiis, qvo ſcilicet *ſenſu, qui obloquitur fratri, obloqualur legi; & qui damnat fratrem, damnet legem.* Nos iſta diſparium ſententiarum varietate, tanqvam hic parum utili, miſsâ & reſectâ, dicimus; qvòd detractores iſti legi obloqvantur, obloqvendo fratri, & damnent legem, damnando fratrem; non qvòd verbis diſertis legem damnent: ſed qvod facto ipſo teſtentur, qvòd nehili ſit ipſis lex, qvippe qvam ſermone probant, facto improbant. In qvam ſententiam lege diducte differentem D. Paulum Rom.2.v.17.18.19.ſeq: Sunt itaque tales homines, οὐ ποιηταὶ, ἀλλὰ κριταὶ νόμου. Nam dum obloqvendo proximo, transgrederis legem, qvæ vetat ne detrectes, Levit.19.v.16; re ipsâ teſtaris, qvòd magiſterium in legem tibi ſumas, nolens accipere à lege vivendi normam; qvod non eſt executoris legis, ſed judicis legis.

DOCTRINÆ. Variis modis proximo noſtro detrahere poſſumus: nimium, tùm impingendo falſum crimen, exemplo *Iezabelis* & *Achabi* 1.Reg.21.v.8.ſeq: & *accuſatorum Suſannæ* Daniel.13.v.28.ſeq: & *Stephani* Actor.6.v.13.ſeq: tum bene factum male interpretando, exemplo *Doeg* 1.Samuel.22.v.9.ſeq: tùm vitium alienum nimium exaggerando Matth.17.v.3.4; tùm virtutes alienas extenuando 1.Samuel.25.v.10.ſeq: tùm qvi celari potuerunt defectus, maligne prodendo 1.Cor.13.v.4.5.6.7.

v.12. Εἷς ἐστιν ὁ νομοθέτης, ὁ δυνάμενος σῶσαι καὶ ἀπωλέσαι· σὺ τὶς εἶ, ὃ κρίνεις τὸν ἕτερον;

v.12. Unus eſt legislator, qvi poteſt ſervare & perdere. Tu qvis es, qvi judicas alium?

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus? Poſterius argumentum* eſt, itidem ab effectu indecoro deſumptum, qvo importunam detractorum cenſuram Apoſtolus caſtigat. Senſus eſt; qvòd obtrectatores iſti invadant, ac ſibi arrogent & uſurpent jus Deo proprium. Etenim judicare, & judicando damnare & abſolvere, perdere aut ſervare, ſolius Dei eſt. Firmant hanc aſſertionem varia ſcripturarum effata: è qvibus paucula citabimus. Deut.32.v.39. *Videte nunc, me, meipſum eſſe, & nullum eſſe Deum mecum: me morte afficere, & vitæ reſtituere, frangere me & ſanare, nec eſſe, qui è manu mea eripiat.* 1.Samuel.2.v.6. *Iehova morte afficit, & in vitam reſtituit, demittit in infernum, & educit.* Cum itaque jus damnandi & abſolvondi proprium Deo ſit, graviter delinqvunt, qvi proximum temere judicant & damnant.

Secundò qværitur: *Quâ veritate dicatur: Vnum eſſe legislatorem, qui poteſt perdere & ſalvare?* Certè hoc non vult Apoſtolus docere, qvòd non ſint ulli, præter Deum, legislatores, ſive ſacri & Eccleſiaſtici, ſive civiles ac ſeculares, qvi valeant abſolvendi & damnandi, ſervandi & perdendi poteſtate. Nota ſunt hæc S. S. effata, qvibus ſancitur poteſtas judicum, tàm Eccleſiaſticorum, qvàm civilium. Iohan.20.v.22.23. *Accipite S.S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: Quorum retinueritis, retenta ſunt.* Rom.13.v.12.ſeq. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto: non enim eſt poteſtas niſi à Deo: & quæ ſunt poteſtates, ſunt à Deo ordinatæ.* Qværitur ergo, *qua veritate dicat Iacobus, quod non niſi unus ſit legislator, ſalvandi & perdendi poteſtate inſtructus?* Docebunt,

id hæc Spiritus Dei monita. Eſa.c.33.v.22. *Iehova vindex noſter, Iehova legiſlator noſter, Iehova Rex noſter, ipſe ſervabit nos.* Proverb.8.v.15.16. *Per me Reges regnant, & judices decernunt juſtitiam. Per me Principes gerunt principatum, & ingenui omnes judices terræ.* Deus itaque eſt ſummus ille legiſlator, cui in omnes eſt jus vitæ & necis. Hujus partes in judicando, damnando, & abſolvendo, non invadunt, qvibus divinitus eſt commiſſum judicandi munus. Nam horum judicium, non eſt hominum, ſed Dei judicium, teſte ſcriptura 2. Chron. 19.v 6. Sed obtrectatorum judicia hîc damnantur, qvippe cum ſummi legiſlatoris Dei contemptu conjuncta: Nam Deus legiſlator omnes obtrectationes lege ſuâ penitus ſuſtulit Levit.19.v.16.

Tertiò qværitur: *An impugnetur hac aſſertione Apoſtolicâ poteſtas illa ſuprema Pontificis Romani in decidẽdis & definiẽdis Religionis Chriſtianæ cap. & cõtroverſiis?* Inſultant *Lorinus* & *Eſtius*, *Luthero*, *Chemnitio*, *Calvino*, qvod dixerint & paulo vehementius urſerint, liqvere ex hoc Apoſtoli loco qvantâ impudentiâ Romani Pontifices, arrogent ſibi ſummam in controverſiis Religionis decidendis poteſtatem, & jus ſibi vendicent condendi leges, qvibus conſcientias obligent. Cui controverſiæ expendendæ immorari nolumus, diffusè & traditæ & expenſæ Syſt: Theol: tom.2.artic. de bonis operibus, c. 2.qvæſt.5.p.600.601. ſeq: qvò lector remittitur.

Qvartò qværitur: *Quid ſibi velint verba: Tu autem quis es, qui judicas alienum ſervum?* Verba eadem uſurpat D. *Paulus* Rom. 14.v.4. inqviens. *Tu quis es, qui condemnas alienum ſervum? proprio Domino perſtat aut cadit.* Verborum ſenſus non eſt: Haud licere ulli judici, ſive ſacro, ſive ſeculari, ferre ſententiam in reos, in jus vocatos. Somnium Anabaptiſticum eſt, refutatum 2. Paralip.19.v.6. Proverb.8.v.15.16. Rom.13.v.1 2.ſeq: Deut.16.v.18. Iohan.19. v.11. Hoc verò vult D. Iacobus, ne in alios, qvibus non præſumus, obtrectandi animo, judicium nobis arrogemus. Hoc enim qvi facit, alienum ſervum judicat. Nam veluti Magiſtratus, qvando pronunciat in accuſatum ſententiam, ſervum non alienum, ſed ſuæ inſpectioni commiſſum, judicat: Ita, ex adverſo, obtrectatores, qvando ſuâ cenſurâ alios notant, in ſervum alienum jus ſibi ſumunt: Nam Deus nullas obtrectatoribus judicandi partes aſſignavit, ſed omnes omnino obtrectationes voluit ſublatas Levit.19.v.16.

DOCTRINÆ. Qvi nimis parati ſunt ad obtrectandum alios, memores ſint moniti Iehovæ Levit.19.v.16. Deſcendant in ſeipſos, & ſuæ memores infirmitatis, de aliis bene & ſentiant & loqvantur Matth.7.v.1.2.3.ſeq: Meminerint, qvàm graviter peccent, dum jus, ſoli Deo debitum, ſibi arrogant Iac.4. v.12, Æſtiment Dei facilitatem in peccatis condonandis, Matth.18.v.23.ſeq: & hanc imitentur, niſi velint æternum perire, Matth.18.v.28.

v.13. Ἄγε νῦν οἱ λέγοντες· Σήμερον ἢ ἄυριον πορευσόμεθα εἰς τήνδε πόλιν, καὶ ποιήσομεν ἐκεῖ ἐνιαυτὸν ἕνα, καὶ ἐμπορευσόμεθα καὶ κερδήσομεν.

v.13. Age nunc, qvi dicitis: Hodie vel cras poficiſcemur in illam urbem, & agemus ibi annum, & mercabimur, & lucrabimur.

Hic

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ & nexus & ſenſus?* *Nonum remedium* eſt, qvod præſcribit Apoſtolus, ab his ſervandum, qvi volunt optato ſucceſſu voluptatibus carnalibus reſiſtere. Vix eſt qvidqvam, qvod magis alat concupiſcentias carnales, qvàm inanis præſumptio, qvâ homines ſibi certò pollicentur ſucceſſum in negotiis, etiam qvæ Deo inconſulto ſuſcipiuntur. Qvam hominum inſolentiam ut retundat Apoſtolus, oratione utitur figuratâ προσωποποΐια, qvâ vanam illam & ſuperciliosam præſumptionem his velut ob oculos ponit, qvi, qvid facere velint, confidenter ſtatuunt, ſuaq; conſilia, Deó ne qvidem conſulto, in tempus benè longum diſponunt, non ſecus, ac ſi temporum ſeries in ipſorum eſſet manu, cum ne de uno momento certi ſint. Vaniſſimam hanc præſumptionem redargvit *Chriſtus* parabolà de divite Luc. 12. v. 17. 18. ſeq: Verbo moneo, voculam ἄγε, qvà hic utitur noſter Apoſtolus, hortandi adverbium eſſe, ex imperativo verbi ἄγω factum: & licet freqvens ejus uſus eſt, qvando compellatur unus, & ἄγετε, ubi de pluribus ſermo eſt: tamen ſermoni ad plures ſæpè accommodatur, non tantum apud Iacobum hoc loco, & cap. 5. v. 1; ſed etiam apud linguæ Græcæ ſcriptores laudatiſſimos; *Homerum*, *Xenophontem*, alios.

Secundò qværitur: *An mercatorum tantùm confidentia, an verò aliorum etiam præſumptio hîc reprehendatur, qui craſtinum ſibi audent polliceri?* Non diſſeram hic curiosè de primo mercaturæ inventore. Adiri poterit *Plinius* c. 56, *Diod. Halicarnaſſeus* lib. 6, *Cæſar* de bello Gallico, *Herodotus* lib. 1, *Ioſephus* lib. 1, antiqvit. *Polydorus Virgilius* lib. 7. de invent. rer. c. 16. aliiq; à *Lorino* laboriosè congeſti, qvi curioſo lectori abunde ſatisfacient. Ego hæc reſeco, & ad qvæſtionem motam reſponſurus, dico; qvod qvanqvam Apoſtolus verba potiſſimum accommodet ad mores mercatorum, qvi hac in re crebriùs peccant, & evidentiore aliorum offendiculo: hos tamen omnes velit notatos, qvi qvippiam ſuſcepturi, non tam in divinâ providentiâ, qvàm ſuo labore & prudentiâ fiduciam collocant. Qvod qvàm temerarium ſit, docet Dei Spiritus Pſal. 127. v. 1. 2. ſeq: & Ierem. 10. v. 23. In tranſcurſu moneo, de loqvutione Iacobæa; ποιεῖν ἐνιαυτὸν; verbum ποιεῖν ſimili Syntaxi & ſignificatione inveniri in aliis N. T. locis: veluti videre eſt Actor. 18. v. 23. & 20. v. 3, 2. Corinth. 11. v. 25. An verò probati lingvæ Græcæ ſcriptores hoc verbum hoc ſenſu uſurpare ſoleant, lingvæ Græcæ peritis inqvirendum relinqvo.

Tertiò qværitur. *An Dei Spiritus omne lucrum damnet?* Non improbat hîc Dei Spiritus mercatorum conatum, qvi impigre lucrum juſtum qværunt; ſed vanam præſumptionem caſtigat, qvaſi ullus in ulla re ſine divina benedictione ſit ſucceſſus. Nam lucrum qvoddam eſſe licitum, teſtatur *Chriſtus* Matth. 25. v. 17. ſeq: ac tum demum omne damnatur lucrum, ubi ita qværitur, ut cœleſtia & æterna negligantur Matth. 16. v. 26. & 22. v. 1. 2. 3. ſeq:

DOCTRINÆ Ridendi ſunt, qvi ullum ullâ in re ſine divinâ benedictione ſibi pollicentur ſucceſſum. Meminiſſe nos decet moniti Davidici Pſal. 127. v. 1, 2. ſeq., & ridiculi conatus hominis divitis, deſcripti Luc. 12. v. 17. 18. ſeq.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

V. 14. Οἵτινες οὐκ ἐπίστασθε τὸ τῆς αὔριον. Ποία γὰρ ἡ ζωὴ ὑμῶν; Ἀτμὶς γάρ ἐστιν, ἡ πρὸς ὀλίγον φαινομένη, ἔπειτα δὲ ἀφανιζομένη.

V. 14. Qvi ignoratis craſtinum diem. Qvæ enim eſt vita veſtra? Vapor enim eſt, qvi brevi durat, & deinde evaneſcit.

HIc primò qværitur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia, qui ſenſus? & an omnis de futuro conſultatio damnetur?* Nexus & ſenſus orationis eſt planiſſimus. Affertur enim ratio, ob quam vana ſit de rebus futuris ſine divina providentiâ & benedictione conſultatio. Tanta, inqvit Apoſtolus, eſt vitæ noſtræ incertitudo, ut nemo vel craſtinum ſibi polliceri poſſit. Docet hoc *David* Pſ. 103. v. 14. 15. 16, *Eſaias* cap. 40. v. 6, 1 Petr. 1. v. 24. Deſumpta videtur monitio è *Proverbiis Salomonis* cap. 27. v. 1, ubi hæc inveniuntur verba: *Ne glorieris de die craſtino, quia neſcis quid paritura ſit dies.* Verbo ſubmoneo; loqvutionem Apoſtoli: οἵτινες οὐκ ἐπίστασθε τῆς αὔριον: ellipticam eſſe, qvam ita ſupplendam cenſet Piſcator: τὸ ἐκβὰν τῆς αὔριον ἡμέρας. Græcæ lingvæ elegantia eſt; firmata non tantum ſcripturæ locis plurimis Lucæ 10. v. 35. Matt. 6. verſu 34. Actor: 4. v. 3. 5; ſed etiam autoritate *Plutarchi* in apopht: & aliorum ſcriptorum Græcorum. Quo autem ſenſu interdicatur ſolicitudo de die poſtero, docet *Chriſtus* Matt: 6. v. 34, inqviens: Μὴ μεριμνήσετε εἰς τὴν αὔριον. Ἡ γὰρ αὔριον μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς. Ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς. Non certè qvævis de rebus futuris ſolicitudo interdicitur. Hoc enim qui dixerit, ei adverſabitur *Salomon* Prov. 6. v. 6. & 30. v. 25, ac confutabunt exempla *Ioſephi* Gen. 41. v. 39. ſeq. *Chriſti* Joh: 12. v. 6. & 13. v. 29, *Apoſtolorum* Actor. 11. v. 29. Ea ergo tantùm interdicitur ſolicitudo, qvæ aut impedit, quo minus regnum Dei qværamus Matth. 6. v. 33, aut qvæ è diffidentia adverſus Deum oritur Matth. 6. v. 30; aut qvæ præcedit, & non ſeqvitur ſolicitudinem regni Dei Matth. 6. v. 33; aut deniq; qvæ divinam providentiam & benedictionem excludit Jac. 4. v. 13.

Deinde qværitur: *Cur vita humana dicatur* ἀτμὶς? Ἀτμός, ἀτμὴ & ἀτμὶς vapor eſt, fumus, halitus: cum qvo non ſine cauſa confertur vita noſtra. Nam veluti vapor non rarò qvo oritur momento diſſolvitur & diſſipatur: Ita & nos vix nati denaſcimur, & finis ab origine pendet. Unde etiam Spiritui Sancto freqvens & familiare eſt, vitam noſtram cum rebus maximè evanidis conferre: Jam enim vento Job 7. v. 7; jam folio, qvod vehemens ventus ocyùs abripit Job 13. v. 25; jam ipſi nihilo aſſimilatur Pſal. 39. v. 6. Quæ ſi vera ſunt, uti ſunt longè veriſſima, certè ſe homines eſſe obliviſcuntur, qvi de divinâ providentiâ & vitæ brevitate ne tantillum cogitantes, de rebus futuris ita cogitant, ac ſi in terris æternùm victuri eſſent. Qvam hominum ſtultitiam caſtigat *Chriſtus* Luc: 12. v. 17. 18. ſeq.

Doctrina. Ut verè dicaris de momentaneâ vitæ duratione decenti devotione cogitare: qvovis momento ad mentem revoca, neceſſariò moriendum eſſe

tibi

tibi Pſalm 89. v.48. Hebr. 9. v.27: expende, incertum eſſe tibi, qvâ horâ, qvo die, ſit tibi ex hac vitâ migrandum Luc:12.v.16. & 16.v.23.24. ſeq. quotidie memento judicii extremi Matth.12.v.36. Actor.17.v.31. 1 Corint.4.v.5. nunquam non meditare, qvàm horrendi ſint inferni cruciatus Luc: 16. v.20. ſeq. & qvàm immenſa ſint vitæ æternæ gaudia Matth.24.v.45. ſeq. Apoc 3. v.21.22, in vitam tuam qvotidiè inquire Matth.18.v.23. ſeq. in amore Jeſu Chriſti & rerum ſupercœleſtium indies augeſce Matt:13.v.45.46. Coloſſ:3.v.1: mundo deniq; mori, quotidie diſce 1 Joh.2.v.15.16.17. Jac:4.v.4. Gal.6.v.14. Quæ ſunt præcipua momenta, qvæ his obſervanda ſunt, qui à Deo audient, quod de breviſſima & incertiſſima vitæ duratione rectè cogitent.

V. 15. Ἀντὶ τοῦ λέγειν ὑμᾶς. Ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν καὶ ποιήσομεν τοῦτο καὶ ἐκεῖνο.

V. 15. Pro eo qvod dicere debuiſtis: Si Dominus voluerit, & vivamus & faciemus hoc & illud.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus?* Traditur virtus, inani confidentiæ, antea improbatæ, oppoſita. Nam ſi volumus res noſtras rectè adminiſtrare, *duo momenta* à nobis obſervari oportet: qvorum *alterum* eſt *Pietatis: alterum neceſſitatis. Pietatis* eſt, omnia à divina Providẽtiâ & voluntate ſuſpendere. Fecit hoc *Ieſus* Matth. 26. v.47: Imitator fuit Magiſtri ſui *Paulus*. Nam Actor:18.v.21 inqvit: *Revertar ad vos, ſi Deus voluerit* Et 1 Cor:4.v.19: *Veniam citò ad vos, ſi Deus voluerit.* Et Ebr:6.v.3: *Atqve id faciemus, ſiquidem permiſerit Deus. Neceſſitas* vero eſt, ait *Paræus*, ut ante conſilia vitam præoptemus. Quid enim faceremus non viventes? Ejus rei immemor dives avarus in Evangelio Luc:12.v.19, fruſtra inchoat ſpem longam, & multa præfatus de inſanis ſubſtructionum molibus, morte ſubitaneâ exſpirat.

Deinde qværitur: *An neceſſariò requiratur, ut conditiones, hîc adductas, in conſiliis & conatibus noſtris diſertè ſemper & planis verbis exprimamus?* Ventilat qvæſtionem *Lorinus, Paræus, Eſtius.* Paucis comprehenſa reſponſio hæc eſto. Utiliſſimum eſt, ut has conditiones verbis planis ſæpe enunciemus, quò ſint teſtimonium noſtræ confeſſionis, de divinâ providentiâ & incertâ vitæ humanæ duratione, imitati exempla è ſacris literis ſuperiùs adducta. At verò requiri à nobis, id ut ſemper diſertâ oratione faciamus, peccaturi ſi totidem verbis non utamur, non facilè dixero. Nam adverſabuntur ſanctorum exempla, quæ in literis ſacris extant innumera. Nec enim ſancti, qvoties qvidqvam aggreſſi ſunt, toties has conditiones operi ſuo diſertis verbis præmiſerunt. Suffecerit menti noſtræ infixam manere fiduciam, nihil nos poſſe, niſi dirigat divina providentia, noſtræ etiam fragilitatis, & incertiſſimæ vitæ ſemper memores.

Tertiò qværitur: *An diſtinctio Calviniana, in voluntatem Dei abſconditam & revelatam, ex hoc D. Iacobi loco adſtrui poſſit?* Ita cenſet *Paræus* ſuo in præſentem Apoſtoli noſtri locum commentario: valdè indignatus inveniri, qvi diſtinctionem improbent, ac Sigvardum, celebrem noſtræ confeſſionis Theologum, blaſphemiæ poſtulat, ob improbatam *voluntatis divinæ diſtinctionem, in*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

revelatam & arcanam. Et ne deſtitui videatur aſſertionis probatione, hæc addit. *Dicant quæſo nobis, ubinam ſibi revelatum habeant, quamdiu Deus velit ipſos vivere? quando mori? quo die, qua hora Deus redire velit ad judicium? quare voluerit Petrum & non Iudam eligere, & alia ſexcenta voluntatis divinæ arcana.* Quæ eſt impudens impoſtura. Dicant ingenuè Calviniani, an noſtri diſtinctionem voluntatis divinæ in abſconditam & revelatam penitùs improbent. Nos certè non minus, qvàm illi, hanc diſtictionem probamus, ſed ſenſu diſparrimo. *Noſtri nomine voluntatis Dei revelatæ intelligunt Dei voluntatem, in Evangelio revelatam, quâ teſtatur velle ſe, ut omnes homines ſalvi fiant, & ad agnitionem veritatis perveniant* 1 Tim: 2. v. 4. *Contrà, quando abſconditam Dei voluntatem nominamus, duo intelligimus. Primò voluntatis arcanæ nomine intelligimus ſingularia Dei judicia, quorum ratio reddi nequit; Cujus generis ſunt: Cur in Tyro & Sidone tot non ſint edita miracula, quot in Chorazin & Bethſaida? Cur Paulum, infeſtiſsimum Eccleſiæ Dei hoſtem, miraculosè converterit Deus, alios autem iſto modo non convertat? Cur ex Abrahami potius, quam alius ſemine, Deus ſuum filium naſci voluerit hominem?* De his & ſimilibus, qvæ ad voluntatem Dei occultam referimus, uſurpamus hoc *Pauli* Rom: 11. v. 33: Ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα θεοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ. *Deinde per voluntatem Dei occultam intellecta volumus omnia illa, quæ Deus diſertè dixit & docuit, quod nolit in hac vita nobis revelata: Quò, inter alia, referimus ea, quæ Paræus adduxit. Sed aliud eſt, quod Paræus* & ejusdem cum ipſo ſectæ & ſententiæ alii, hac diſtinctione velint intellectum. Etenim *voluntas revelata ipſis eſt, quâ Deus in ſuo verbo docet & declarat, quod omnium velit ſalutem. Abſcondita verò voluntas iisdem eſt, quâ plurimos, quos ad ſalutem verbo invitat, decreto inevitabili & abſoluto morti æternæ adjudicat.* Nota ſunt hæc *Piſcatoris* verba contra Sckafmannum pag. 7: *Ex verbo Dei conſtat Deum etiam reprobos aliquos ad ſalutem vocare: & interim tamen nolle, ut ullus reproborum ſalvus fiat, quippe quos omnes immutabili decreto ad exitium deſtinavit.* Quæ certè auditu horrenda ſunt, ut quæ & Deum conſtituant fœdiſſimum hypocritam, qvi aliud dicat, aliud ſentiat, contra Chriſti monitum Matth. 5. v. 37; & ſcripturam manifeſti mendacii arguant, qvippe qvæ clarè docet, qvod Deus nolit hujus mortem, qui perit Ezech. 18. v. 32. & 33. v. 11. 1 Tim. 2. v. 4. 2. Pet. 3. v. 9.

Doctrinæ. In omnibus actionibus noſtris *duo* meminiſſe debemus. *Vnum* eſt: omnia à divina pendere providentiâ, & absq; hac fruſtraneos eſſe omnes conatus. Teſtis eſt *David* Pſalm: 127. v. 1. 2. ſeq. *Salomon* Prov. 16. v. 33. *Chriſtus* Matth: 10. v. 29. *Alterum* eſt: Vitam noſtram eſſe momentaneæ durationis, qvæ vetat inchoare ſpem longam. Quocirca ſemper debemus meminiſſe moniti *Davidis* Pſalm: 90. verſib. 1. 2. ſeq. & 39. v. 5 ſeq. & *Chriſti* Lucæ 12. verſu 19. ſeq.

V. 16. Νῦν δὲ καυχᾶσθε ἐν ταῖς ἀλαζονείαις ὑμῶν. Πᾶσα καύχησις τοιαύτη πονηρά ἐστιν.

V. 16. Nunc vero gloriamini in ſuperbiis veſtris. Omnis ejusmodi gloriatio mala eſt.

Hic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

HIc quæritur: *Quis ſit nexus & ſenſus orationis Apoſtolicæ?* Caſtigavit Apoſtolus verſibus, qui proximè præceſſerunt, horum inanem præſumptionem, qui ſuis nimiùm tribuentes laboribus, nec de vitæ humanæ incertitudine ſatis cogitantes, juſtum pretium non ſtatuunt divinæ providentiæ. Licet vero Chriſtiani haud videri velint ex hoc hominum cenſu eſſe, qui ignorent quo loco haberi debeat divina providentia: pluſculos tamen inveniri, qvi re & facto teſtentur, qvod divinam providentiam dignè non æſtiment, noſter hic docet Apoſtolus: *Gloriamini*, inqvit, ἐν ταῖς ἀλαζονείαις ὑμῶν. Hoc vult Apoſtolus; Tantâ audaciâ & confidentiâ loqvimini de ſucceſſu in negotiis veſtris, ſine ullâ divinæ providentiæ mentione, ac ſi & de Dei voluntate, & de vitæ veſtræ duratione certi eſſetis. Emphaſis eſt in voce ἀλαζονείας. *Oecumenio* ἀλαζονεία μὴ ὑφεςώτων πραγμάτων ἐςὶ σπȣδὴ, διὸ καὶ ἀλαζὼν λέγεται ὁ μετ' ἄλης ζῶν: τȣτέςι, μετὰ ἀςάτȣ καὶ μὴ ἔχοντος ὑπόςασιν πράγματος. Nec diſſentit *Plutarchus*, ut qui lib. 2. Pædiæ hos vult vocatos ἀλάζονας, qui ſe, ditiores, & magis ſtrenuos eſſe ſimulant, qvàm ſint; & ea pollicentur, qvæ præſtare non poſſunt. Quæ ut ad inſtitutum Apoſtoli accommodemus; verè ἀλάζονες ſunt, qvi ſpem longam inchoant, & ſucceſſum in negotiis lucroſis ſibi ſuperbè promittunt, ne facta qvidem divinæ providentiæ mentione. Ecqvid enim aut vita humanâ, aut ſucceſſu in negotiis iſtis lucroſis incertius? Quocirca qui hæc ſibi certò promittunt, hi in rebus inſtabilibus temerè ſuperbiunt ac inſoleſcunt; & ea ſibi promittunt, quæ præſtare non poſſunt. Ecquis enim hominum eſt, qui aut craſtinum, aut in negotiis futuris ſucceſſum, ſibi certò polliceri poteſt? Quocirca ejusmodi καύχησις ſeu inſolens gloriatio meritò dicitur πονηρὰ: qvippe monitis & mandatis divinis extremè adverſa. Deus enim non ſemel nos monuit, qvod absq; ejus providentia vana ſit & longæ vitæ, & optati in negotiis ſucceſſus, ſpes. Nota ſunt hæc Spiritus divini effata. Prov. 16. v. 33: *Sortes mittuntur in ſinum: ſed à Domino diriguntur.* Prov. 16. v. 9: *Cor hominis excogitat viam ſuam. Iehova autem dirigit greſſus ejus.* Pſalm: 127. v. 1: *Niſi Iehova ædificet domum, fruſtra laborant ejus ædificatores de eâ: niſi Iehova cuſtodiat civitatem, fruſtra ſedulus ſit cuſtos.*

Doctrinæ. Non poteſt eſſe aut vanior aut inſolentior jactantia, qvàm multos ſibi promittere annos ac diuturnam vitam, ac optatum in rebus, ſine Dei auxilio, ſucceſſum. Talis fuit ἀλαζονεία *Benhadad* 1 Reg. 20. v. 6. ſeq. & *Senacheribi* 2 Reg. 18. v. 17. ſeq. & *divitis iſtius avari* Lucæ 12 v. 16. 17. ſeq. A qua gloriatione ſtudioſiſſimè nobis cavebimus: Nam non in noſtra, ſive ſapientia, ſive induſtria, ſed in ſolo Domino, & ejus bonitate, ac potentia, gloriari nos convenit Jer: 9. v. 23. 24. 1 Cor. 1. v. 31. 2. Cor. 10. v. 17.

v. 17. Εἰδότι ȣ̓͂ν καλὸν ποιεῖν, καὶ μὴ ποιȣ͂ντι, ἁμαρτία αὐτῷ ἐςίν.

v. 17. Qvi igitur noverit recte facere, nec facit; hic peccati reus eſt.

HIc qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus?* Concluſurus D. *Iacobus* doctrinam, de fugienda vana illa jactantia, jam caſtigata, refutat horum πρόληψιν, qvi reponere ſolent, ſibi hac monitione non eſſe opus, ut qvi ſatis ſciant, omnia à divina pendere providentia. Regerit Apoſtolus: Quod qvi norit facienda, & non facit, hic peccati reatu teneatur. Qvorum verborũ hic non eſt ſenſus, qvod à peccati reatu & pœna liber ſit, qvi ignorans peccat: Contrarium enim teſtatur *Chriſtus* Luc. 12. v. 47: Verum hoc vult Apoſtolus, qvòd qvo rectius ſcimus, qvæ facienda ſint; eò graviores luituros nos eſſe pœnas, ſi qvæ novimus facienda non fecerimus. Docet id clarè Servator *Ieſus* Luc. 12. verſ. 47. Matth. 11. v. 20. ſeq. Ioh. 9. v. 41. & 15. v. 22. 24.

Doctrina. Eò gravior metuenda eſt pœna, qvo rectius novimus facienda, nec tamen facimus. Docet hoc *Chriſtus* Luc. 12. v. 47. *Paulus* Rom. 2. v. 17. 18. ſeq: *Petrus* 2. Epiſt. 2. v. 21.

Et hic eſto terminus Commentarii in Caput IV.

CAPUT QUINTUM.

Argumentum & partitio Capitis.

PIſcator ſex:-rectius *Paræus* qvinque, conſtituit hujus capitis partes. *Prima* eſt *de miſeria divitum*, tradita & figurata apoſtrophe v. 1. & exaggerata enumeratione criminum, qvibus obnoxii ſunt: qvod ſcilicet avari ſint, divitias potius corrumpi ſinentes, qvàm ut vel tantillum in uſum pauperum erogent v. 2. 3; qvod idololatræ ſint, fiduciam in theſauris avare congeſtis collocantes, v. 3; qvòd injuſti ſint, defraudantes mercede operarios v. 4; qvòd luxurioſi epulones ſint v. 5; qvòd deniq; innocentum ac pauperum oppreſſores & latrones ſint v. 6. *Secunda pars hortatio eſt ad pios oppreſſos, quâ jubentur injurias à fratribus illatas æquo animo ferre*, v. 7 adductis *quatuor* ad conſolandum *argumentis*: qvorum *primum* ab eventu læto deſumitur, illuſtratum exemplo agricolæ, qvi moram longam inter ſementem & meſſem patienter ſuffert, ſpe optatæ meſſis ac pretioſi fructus terræ, v. 7. 8. *Secundum argumentum petitur* à noxio effectu vindictæ, adverſæ patientiæ, qvæ hic ſvadetur: Nam condemnatum iri eos, ſi ingemiſcant adverſus fratres & vindictam poſtulent v. 9. *Tertium argumentum* promitur ab exemplo Prophetarum, qvi afflictiones patienter ſuſtinuerunt v. 10. *Quartum & ultimum* deſumitur à fructu afflictionum, qvi eſt beatitudo, v. 11. *Tertia pars eſt de temerario juramento:* à qvo dehortatur, qvacunq; demum formula, à creaturis deſumptâ, proponatur, argumento ſumpto, à noxio effectu, videlicet condemnatione, v. 12. *Quarta eſt de Pietatis exercitiis, ſervandis in ſtatu tum triſti, ſcilicet orandum eſſe* v. 13. *tum læto, videlicet, Pſalmis celebrandum Deum* v. 13. *tum morbido:* Ægrotis enim tria facienda eſſe: *Vnum*; ut accerſant Presbyteros Eccleſiæ, & petant pro ſua valetudine preces fundi v. 14. 15: *alterum*, ut oleo à Presbyteris ungantur, v. 14. 15: *tertium*, ut peccatorum ingenuam confeſſionem edant v. 16. Qvæ omnia ut facilius perſvadeat Apoſtolus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

lius, commendantur hæc omnia ab effectu, videlicet impetratione tum ſanitatis, tum remiſſionis peccatorum v. 15. 16, & illuſtrantur exemplo *Eliæ*, qvi precibus ſuis cælum & clauſit & aperuit v. 17. 18. *Quinta & ultima capitis pars eſt de fratribus errantibus, in viam reducendis*. v. 19; in qva cura ut eò diligentius occupemur, afferuntur *duo* operis *commoda*: *Vnum* eſt, quod qui convertit errantem animam, eandem à morte ſervet v. 20. *Alterum* eſt, qvòd operiat multitudinem peccatorum v. 20. Quæ eſt hujus capitis analyſis.

PARÆNESIS IX.

De miſeria divitum v. 1, tùm avarorum v. 2. 3, tùm impoſtorum, defraudantium mercede operarios v. 4, tùm epulonum v. 5. tùm expilatorum v. 6.

V. 1. Ἄγε νῦν οἱ πλούσιοι, κλαύσατε ὀλολύζοντες ἐπὶ ταῖς ταλαιπωρίαις ὑμῶν ταῖς ἐπερχομέναις.

V. 1. AGite nunc divites, flete ejulantes ſuper miſeriis veſtris ſuperventuris.

HIc primò qværitur: *Quis ſit nexus orationis Apoſtolicæ & ſenſus?* *Lorinus*, *Oſiander*, alii, nullum hîc agnoſcunt orationis Apoſtolicæ nexum. Rectiùs *Cornelius à Lapide*, qui cenſet bellè, quæ hîc dicuntur, cum iis cohærere, quæ capitis proximè præcedentis verſibus ultimis afferebantur, de lucroſis negotiis hominum, non tàm in divina providentia & benedictione, quàm in ſuiſmet laboribus ſibi placentium. Quorum ἀλαζονείαν ut Apoſtolus retundat, jubet ut divites plorent ὀλολύζοντες. Quorum autem proprium ſit ὀλολύζειν, non convenit inter meliores ſcriptores. Sunt qvi luporum eſſe velint: alii, ut *Plutarchus* & *Ariſtoteles*, ranarum; ſunt deniq; qui ululæ ſonum eſſe credant, ut *Theon* apud Aratum. Quicquid ſit, ὀλολύζειν *Homero* & *Demoſtheni* eſt horrendùm clamare, ſeu cum quodam ululatu vociferari. Solet Scriptura uti hoc verbo, ut ingentem dolorem indicet, veluti videre eſt Mich. 1. v. 8, Jerem. 4. v. 8, Joel. 1. v. 10. 13. Et huc commode refertur, quod memoratur Num: 16. v. 31. ſeq. de horrendo ejulatu Coræ, Datanis & Abirami, quem ediderunt, quando in infernum deſcenderunt vivi. Videtur verò hæc interminatio deſumpta è Luca c. 6. v. 24 ubi Chriſtut ait; *Væ vobis divitibus, nam perceptum habetis ſolatium veſtrum*. Hujus autem ejulabundi ploratus divitum cauſam affert Apoſtolus dum ait: *Ejulantes flete* ἐπὶ ταῖς ταλαιπωρίαις ἐπερχομέναις. Eſt autem ταλαιπωρία, non vulgaris aliqua calamitas & caſus, ſed afflictio & calamitas planè tragica. Id enim indicari voce ταλαιπωρίας, docuimus

cap. 4.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

cap. 4. v. 9. qvæſt: 2. Et huc ducit, qvòd jubeat, ut divites plorent ejulantes ſuper miſeriis ἐπερχομέναις. Nam licet non ſit ullus hominum, qui in hac vita ſuis non urgeatur miſeriis & calamitatibus; interim tamen afflictiones hujus vitæ, nihil ſunt, in collatione ad cruciatus infernales, quibus impii tandem opprimendi ſunt, veluti legere eſt Lucæ 16. v. 25. Matth. 8. v. 12. Apoc. 14. v. 10. 11. Nemo autem mirabitur, Apoſtolum uti participio præſentis temporis, expreſſurum calamitates ſuperventuras. Docere enim vult, miſerias iſtas jam adventare & cervicibus velut imminere, Interprete ipſo Jacobo v. 8.

Deinde quæritur: *Cur Apoſtolus ita minetur divitibus, cùm non pauci ſint inter divites qui verè pii & probi ſint?* Damus facilè non damnari omnes divites, licet divitiis non abrenuncient; Hoc enim quondam docuerunt *Pelagiani*, teſte *Hilario* epiſtola ad Auguſtinum, quæ inter Auguſtinianas eſt 88, *Auguſtino* 107. epiſt: ad Paulinum, & *Hieronymo* lib. 1. dial: adverſus Pelagianos. Etenim divitiæ rectè acqviſitæ, donum Dei ſunt Pſalm. 112. v. 3. Prov. 10. v. 22, tùm qvia viri religioſiſſimi fuerunt non raro ditiſſimi, veluti manifeſtū eſt exemplo *Abrahami* Gen. 13. v. 2. *Iacobi* Gen. 30. v. 43, *Salomonis* 1. Reg. 3. v. 11. 12. 13 & aliorum. Qui autem ſint iſti divites, quibus hic minatur Apoſtolus, è contextu planiſſimum eſt. Nam caſtigantur divites non promiſcuè omnes, ſed qui aut divitias avarè recondant v. 2. 3. 4, aut delitiis inſumant v. 5, aut ad opprimendum alios convertant v. 6. Cur vero Apoſtolus orationem ita attemperet, ut omnibus propè divitibus minari videatur, hanc affert *Chriſtus* cauſam Matth. 19. verſu 24: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem in regnum Dei introire.*

Tertiò qveritur: *An Apoſtolus hac oratione iniquos divites ad reſipiſcentiam invitet, an terreat tantum absq; ſpe veniæ?* Poſterius probat Calvinus ſuo in hunc locum commentario: ſed falsò: tùm qvia Deus vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire 1. Timoth. 2. v. 4; tùm qvia Chriſtus teſtis eſt, difficile qvidem eſſe, ut divites, divitiis fidentes, introëant in regnum cœlorum; ſed non impoſſibile Matth. 19. v. 24.

Doctrina. Res eſt periculi plena, nimium vacare divitiis cumulandis. Teſtis eſt *Chriſtus* Matth. 19. v. 24. *Paulus* 1 Tim. 6. v. 9. ſeq. Evincunt *exempla epulonis* Lucæ 16. v. 19. ſeq. *Coloni divitis*, ſed avari Luc. 12. v. 16. 17. ſeq.

V. 2. Ὁ πλοῦτος ὑμῶν σέσηπε, καὶ τὰ ἱμάτια ὑμῶν σητόβρωτα γέγονεν.

V. 2. Divitiæ veſtræ ſunt putrefactæ, & veſtimenta veſtra à tineis vorata ſunt.

HIc qværitur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia? qui ſenſus verborum adductorum?* Nexus eſt manifeſtiſſimus. Juſſerat Apoſtolus verſu præcedente divites plorare ejulabundos. Qvam judicii divini ſeveritatem ne qvis ad quosvis divites temerè extendat, monet Apoſtolus *trium* imprimis *generum divites* à ſe notari, & perſtringi. *Primi generis divites*, quos in lacrymas & ejulatus ſolvi jubet Apoſtolus, ſunt, qui bona ſua avare recondunt. Quibus cur dolendum ſit, explicat Apoſtolus, tùm generatim, tùm ſpeciatim. Generatim indi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

indicat doloris cauſam, dum ait: ὁ πλοῦτος σέσηπε. Uſurpatur a. verbum σήπειν à LXX. Interpretibus Jerem.22. v. 19 de fœtore è cadavere exhalante. Senſus verborum Apoſtoli eſt: Miror quòd opes, tanto ſtudio congeſtas, avarè recondatis, & in iis vobis tantopere placeatis. Futurum namq; eſt, ut dies tandem ille eluceſcat, quo divitiæ, quæ ſunt vobis in delitiis, fœtore ſuo magis, qvàm ullum cadaver futuræ ſint vobis moleſtæ. Quam loqvendi formam metaphoricam, à D. Jacobo hic uſurpatam, fuſé diductam invenies Jobi cap. 20. v.15.16.17. Speciatim verò demonſtraturus D. Jacobus, nihili eſſe divitias, ſi dempſeris uſum; qvaſi per partes enumerat, quæ in cenſu divitiarum vulgò haberi ſolent, ut ſunt veſtes pretioſæ, aurum, argentum. De *veſtimentis* ait Apoſtolus: σητόβρωτα γέγονεν. Σὴς tinea eſt, ſeu vermiculus veſtibus noxius. Unde Σητόβρωτον qvod à tinea adeſum, abſumptum eſt. Hoc vult D. Jacobus: Veſtes in ciſtas ſeris probe munitas, malignâ tenacitate reconditis, & in his ipſis veſtimentis, tanqvam raro qvodam & lecto theſauro, vobis placetis. At qvàm fallamini, vel inde promptum eſt colligere, qvod veſtes, diutius aſſervatæ, à tineis abſumantur. Peccatis hoc facto veſtro graviter in monitum magiſtri veſtri *Chriſti*, jubentis ut operam detis theſauro, quem tineæ nequeunt depaſcere Matth: 6. v.19.

Doctrina. Noli veſtes, qvibus abundas, in ciſtas avarè recondere, à tineis abſumendas; ſed eas prome in uſum pauperum. Fecit hoc *Iob* cap.31. v.20. fecit *Tabitha* Act.9.v.36.ſeq. Idem tu ut facias ſuadet *Eſaias* cap.58. v.7. *Iacobus* cap.2 v.15.16. Præmium promittit Deus ampliſſimum Pſalm.41.v.1.2.3. ſeq. Matth.25.v.34.35.ſeq.

V. 3. Ὁ χρυσὸς ὑμῶν καὶ ὁ ἄργυρος κατίωται, καὶ ὁ ἰὸς αὐτῶν εἰς μαρτύριον ὑμῖν ἔσται, καὶ φάγετε τὰς σαρκὰς ὑμῶν, ὡς πῦρ. ἐθησαυρίσατε ἐν ἐσχάταις ἡμέραις.

V. 3. Aurum veſtrum & argentum ærugine corruptum eſt: & ærugo eorum in teſtimonium vobis erunt: & exedit carnes veſtras, velut ignis. Theſaurum congeſſiſtis in extremis diebus.

HIc quæritur: *Quis ſit nexus orationis, quis ſenſus?* A veſtimentis ad aurum & argentum tranſit Apoſtolus, & docet toto cœlo errare hos, qui ſpem ſuam collocant in pecuniâ, avarè congeſtâ. Et quoniam non neſcivit Apoſtolus, rem eſſe, quæ hominibus difficulter perſuadeatur, fieri poſſe, ut quis ſit nimius in opibus cumulandis: aſſertioni fidem facit *tribus argumentis*, iisq; ponderoſiſſimis. *Primum argumentum*, quo docet Divus Jacobus, temerarium eſſe fidere acervo auri & argenti, expeditur his verbis: *Aurum veſtrum & argentum* κατίωται, *& ærugo eorum in teſtimonium vobis erit.* Ἰὸς, inter alia, rubigo cujusq; metalli eſt: ἰόω rubigine obduco, & ἴομαι rubigne obducor, rubiginor: quo verbo uſus eſt *Apulejus:* Κατιόω idem eſt, cum ſimplici ἰόω, rubi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ginem ſentio, & καλίομαι rubigine obducor & conſumor. Geminâ autem potiſſimũ ratione rubigo auri & argenti teſtabitur contra avaros: Nam loqvutio: εἰς μαρτύριον ὑμῖν, valet καθ᾽ ὑμῶν, contra vos: qvo etiam ſenſu ſumitur Matth. 10. v. 18. & 23. v. 31. & 24. v. 14, annotante *Piſcatore*. *Vna*: quia hæc ærugo ſatis teſtabitur, avaros fiduciam collocare in re corruptioni obnoxiâ, contra diſertam monitionem Chriſti Mat 6. v. 19. *Alterâ*: quia iſta ærugo teſtatura eſt contra iſtos Eucliones, maluiſſe eos ærugine perdi aurum & argentum, qvàm neceſſariis pauperum uſibus inſumi, atq; ita ſusq; deq; habuiſſe monitum Chriſti, de amicis ex injuſto Mammona conciliandis Lucæ 16. v. 9. ſeq. *Secundum argumentum*, quo monſtrat Apoſtolus perqvàm periculoſum eſſe, auro & argento avarè incubare, enunciatur his verbis: *Et exedit carnes veſtras, ſicut ignis*, ſive qvia anxia ſolicitudo aſſervandi pecuniam avaros velut ignis conficit Matth. 6. à verſu 25. uſq; ad finem: ſive qvia auri & argenti ſine uſu aſſervatio, materia eſt inflammandæ iræ divinæ, quæ inſtar ignis avaros abſumit Matth. 19. v. 21. Lucæ 16. v. 9. ſeq. 1. Tim. 6. v. 9. *Tertium argumentum*, quo D. Jacobus dejicit avarorum ſpem, fundatam in divitiis avare reconditis, his abſolvitur verbis: *Theſaurum congeſsiſtis in extremis diebus.* Nomine *extremorum dierum* intelligit Apoſtolus, uti ultimam hominis ætatem; ita extremũ Domini advẽtum. Senſus eſt: incidiſtis in ultima tempora: brevior eſt qvàm qvondam fuit vita hominis: cenſorius ille & ultimus dies propior eſt quam putem?. Quidni ergo ſarcinas potius colligitis, & qvæ avarè congeſſiſtis, in pauperes diſtribuitis, quàm ut in incertis divitiis laborioſé cumulandis & curioſe cuſtodiendis periculosè occupemini. Confer quod eſt Job cap. 27. verſib. 19. 20. Lucæ 12. v. 33.

Doctrina. Res eſt periculoſiſſima, aurum & argentum avarè recondere; nec hoc agere, ut moderato uſu ſplendeat. Tantum abeſt, aurum & argentum proſint avaro, ut lutum ſint, gravans & inqvinans tenentem Habac. 2. v. 6. ſpinæ ſint, qvæ pungant eos à qvibus tractantur Matth. 13. v. 22, remoræ ſint, qvæ à Regno Dei avocent Matth. 19. v. 23. 24. Laqvei ſint, qvibus animæ, æterno damno & dolore, irretiantur 1 Tim. 6. v. 9. 10. Si itaq; divitiæ affluant, muniendus ſeriò animus eſt, adverſus vitia, qvæ opes ſecum trahere ſolent Pſalm: 62. v. 11. & meminiſſe ſemper oportet monitionis *Chriſti* Matth: 16. v. 26. & *Pauli* 1 Tim: 6. v. 17. 18.

V. 4. Ἰδοὺ ὁ μισθὸς τῶν ἐργατῶν ἀμησάντων τὰς χώρας ὑμῶν ὁ ἀπεστερημένος κράζει. καὶ ἡ βοαὶ τῶν θερισάντων εἰς τὰ ὦτα Κυρίου Σαβαὼθ εἰσεληλύθασιν.

V. 4. Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, per vos interverſa clamat: & vociferationes eorum qui meſſuerunt, in aures Domini Sabaoth introierunt.

HIc qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus? Quartum & ultimum argumentum eſt*, quô, velut machinâ qvadam, Apoſtolus expugnat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

gnat inſolentem avarorum fiduciam. Qvâ enim qvæſo ſive veritate ſive ſucceſſu poterit homo iſtis divitiis, tanqvam ſolido & certo theſauro, gloriari, qvæ malis artibus partæ, non ſine ſummâ in proximum injuriâ & crudelitate cuſtodiuntur? Quæ verò poterit eſſe major aut injuſtitia aut ſævitia, qvam hominem, cujus ſudorem exſuximus, mercede ſuâ neqviter fraudare? μισθὸς ἀπεστερημένος merces eſt, retenta in ejus damnum & fraudem, cui debetur. Nam στερέω eſt privo, & ἀποστερέω fraudo & defraudo, ſpolio: apud *Plutarchum*, *Demoſthenem*, *Ariſtophanem*. Grande verò eſt flagitium, & enorme facinus, fraudare operarium mercede, monitore *Iehova* Levit: 19. v. 13, *Chriſto* Matt. 10. v. 10, *Paulo*, 1 Tim: 5. v. 18. Et ne neſciant avari divites, qvàm grave ſcelus ſit intercipere operariorum mercedem, monet Apoſtolus, qvod interverſa & intercepta *merces clamet*. Etenim *peccata illa* dicuntur *clamare*, quæ adeò atrocia ſunt, ut juſta Dei judicia accelerent, & repentinam ultionem advocent: cujus generis peccata clamantia ſunt cædes Gen: 4. v. 10; pudenda libido Gen: 18. v. 20; pauperum oppreſſio Exod: 3. v. 7; mercedis operariorum iniqva detentio, Jac. 5. v. 4. Hoc ergo vult D. Jacobus: detentam operariorum mercedem eſſe enorme peccatum, quod vindictam clamoſé poſcat. Nec irritus eſt hic clamor, aut in auras evaneſcit: Nam *clamor* hic *intrat in aures Domini Sabaoth*. Loqvutio eſt ab hominibus deſumpta. Deus enim, qui ſpiritus eſt, non habet aures Joh: 4. v. 24: *clamor* itaq; *in Dei aures introit*, qvando exaudit Pſal: 18. v. 7. Eſa: 37. v. 17. Hoc ergò vult Apoſtolus: Divinam juſtitiam, jure ſuo velut expoſcere, ut clamor operariorum exaudiatur, & iſti pauperum oppreſſores puniantur & perdantur, teſte *Moſe* Exod: 12. v. 29. *Davide* Pſal: 9. v. 13. *Chriſto* Luc: 18. v. 7. Fruſtra autem obtendunt avari divites, ſuam opulentiam & potentiam. Res enim futura eſt ipſis cum *Domino Sabaoth*. Quam vocem Ebræam, ſi in ſermonem latinum transfuderis, *Dominus Sabaoth* eſt Dominus exercituum. Qvod eſt Epitheton Dei Eſa: 1. v. 9. Jerem: 11. v. 20. Rom: 9. v. 29, inſtituto Apoſtoli maximè accommodum. Nam ut abſtineant impii divites ab injuria, monentur, qvòd ipſorum potentia nulla ſit, collata cum Dei potentiâ, tutoris pauperum. Deus enim eſt Deus exercituum; ſic dictus, qvòd cœlum, terra, & omnia, qvæ eorum ambitu continentur, ad nutum divinum ſe componant, & inſtar ordinatiſſimi & potentiſſimi exercitus hoſtes Dei invadant, impugnent, peſſundent.

Doctrina. Noli ut diteſcas, mercede fraudare operarios. Memento interdicti divini Levit: 19. v. 13: memento pœnarum, qvibus Deus in Pharaonem, qvi operarios mercede fraudavit, ſeverè animadvertit Exod. c. 7. & 8. & 9. & 10 & 11. & 12. & 13. & 14. Ne æmulare iniqvum Labanem, qvi merita laborum præmia Jacobo negavit Gen. 31. v. 41. Deum æmulare, qui ſuis operariis promiſſam mercedem ſemper ſolvit Matth: 20. v. 2. ſeq.

V. 5. Ἐτρυφήσατε ἐπὶ τῆς γῆς καὶ ἐσπαταλάσατε· ἐθρέψατε τὰς καρδίας ὑμῶν, ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς.

V. 5. In delitiis vixiſtis ſuper terram & laſciviſtis: enutriſtis corda veſtra, ut in die mactationis.

HIc qværitur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ tum cohærentia tum ſententia?* Diximus adverſum ſecundum, perſtringere Apoſtolum *trium generum divites:* nimirum tàm illos, qvi divitias avarè aſſervant, qvàm iſtos, qvi aut congeſtas opes prodigunt, aut opibus ad opprimendum alios abutuntur, De *Primo genere* egit, de *ſecundo* jam agit; videlicet, de divitibus, qvi ſe ſaginant, viventes more animalium, qvæ natura prona & ventri obedientia finxit. Homines deſcribit Apoſtolus, qvi ſint ſimiles epuloni, de qvo *Chriſtus* Lucæ 16. v. 25: *Fili recepiſti bona tua in vita tua.* Adhibet vero Apoſtolus *tria verba*, valdè emphatica, ad exprimendum iſtorum divitum luxum. *Primum* eſt τρυφᾶν: qvod eſt delicatè ac luxurioſé vivere. Nam τρυφὴ eſt luxus, deliciæ. Geneſ. 2. adhibetur à 70 Interpretibus ad iſtas delitias denotandas, quibus Adam in Paradyſo fruebatur. Deſcriptio eſt hominum, qvibus ſumma eſt felicitas, in dies ſingulos ſplendidè veſtiri & delicatiſſimis cibis ſatiari, more divitis iſtius, quem Chriſtus culpat & caſtigat Luc: 16. v. 19. D. Petrus 2 Epiſt. c. 2. v. 13 ita iſtos homines deſcribit: ἡδονὴν ἡγούμενοι τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφήν. *Secundum verbum*, qvo Apoſtolus delicatorum iſtorum hominum luxum deſcribit, eſt σπαταλᾶν. Qvo verbo uſus etiam eſt *Paulus*, loqvens de viduâ laſciviente: ἡ δὲ σπαταλῶσα ζῶσα τέθνηκε 1. Tim: 5. v. 6. Σπαταλᾶν *Svidæ* eſt τρυφᾶν: & σπατάλη in Epigrammat. Græcis delitiæ ſunt, & σπαταλᾶν in delitiis vitam luxurioſé tranſigere. Non itaq; qvævis prohibentur delitiæ, ſed qvibus caro ita fovetur, ut laſciviat. Qvod ne fiat, diſertè prohibet Dei ſpiritus per *Paulum* Roman: 13. v. 14. *Tertia* deniq; *loqvutio*, qvâ Apoſtolus immoderatas divitum lautitias caſtigat, concepta eſt his verbis: *Enutriſtis corda veſtra ſicut in die* σφαγῆς. *Beza* vertit *tanquam in die epuli*. Qvod *Heinſius* ſuis in N. T. exercitat: pag. 592 acerbiùs improbat: nec immeritò. *Quis enim, inqvit, cum vel* ἡμέρα σφαγῆς, *vel* πρόβατα σφαγῆς *hoc ſenſu occurrit, oves epuli, aut diem epuli dicat? Et quis ita apud Eſaiam vertere auſit, cum de impiis dixit:* Συνάγαγε αὐτοὺς ὡς ποίμνια εἰς θυσίαν, καὶ ἄγνισον αὐτοὺς εἰς ἡμέραν σφαγῆς. *Quod & de hominibus, qui è medio tolluntur uſurpatur: qui tamen nihil ad epulum. Notum eſt illud Iobi:* Ἐὰν ᾖ πολλοὶ γένωνται οἱ υἱοὶ αὐτῶν, εἰς σφαγὴν ἔσονται. *Et familiare eſt quod dicit. Sicut pecudes mactationi deſtinatæ vorant cupidè quæ apponuntur, eoq; avidiùs quo magis ſaginantur, de exitio ſecuri, ac de illo in quem ſaginantur die: Ita impii cor omni voluptate rèplent, nec de die cogitant qui inſtat quo mactandi ſunt.* Hæc *Heinſius:* cujus ſententiæ ultrò accedimus; ſed ita, ut addamus cum Piſcatore & Interpretibus Belgicis, digitum intendere Apoſtolum ad ſolennes illos dies feſtos, quibus ſacrificia Euchariſtica copioſiùs mactabantur, & lautiùs vivebatur Prov. 7. v. 14. Eſa: 22. v. 13. Docere vult Apoſtolus, qvòd qvotidie celebrârint læta & lauta convivia. Non ſine cauſa dixit Apoſtolus: luxurioſos iſtos divites, non *tàm corpora, quàm corda enutrire*. Is enim cor in delitioſis conviviis enutrit, qvi ita genio & voluptatibus indulgeat, ut cor gravetur, & ad pietatis exercitia ineptum reddatur. Quod ne fiat, *Chriſtus* ſeriò interdixit Luc: 21. v. 34:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Cujus qvi non parent monitioni, hos voluptuoſa illa vita velut ſaginari in diem mactationis, teſtis eſt ſuo exemplo *dives epulo* Luc: 16. v. 19. ſeq.

Doctrina. Cavebunt ſibi ſedulò pii à luxu, ab ebrietate, à delitiis, qvibus cor gravatur. Nimis notum eſt, qvomodo impii delitiis iſtis ſe velut ſaginarint ad mactationem. Evincunt exempla *Balthaſaris* Dan. 5. v. 1. 2. ſeq. *Epulonis* Lucæ 16. v. 19 ſeq: aliorum. Sapiamus dum licet, memores qverelæ iniqvorum divitum poſt hanc vitam Sap. 5. v. 2. ſeq. Lucæ 16. v. 23. 24. ſeq. maturè reſipiſcamus, ac pareamus *Chriſto* Luc: 21. v. 34. & *Petro* 1 Ep: 5. v. 8, vigilantiam & ſobrietatem ſuadentibus.

V. 6. Κατεδικάσατε, ἐφονεύσατε τὸν δίκαιον· οὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν.

V. 6. Condemnaſtis, occidiſtis juſtum: non reſiſtit vobis.

HIc quæritur: *Quis ſit & nexus & ſenſus Apoſtolicæ orationis? Tertium genus divitum eſt*, qui hic tanguntur & caſtigantur, nimirum, qui per vim & iniqva judicia opprimunt & occidunt pauperes, ſed juſtos. Καταδικάζειν apud 70 Interpretes Thren: 3. v. 35. eſt ſententiam condemnatoriam ferre contra jus & æqvum. De qvo divitum genere conqveſtus fuit noſter Apoſtolus c. 2. v. 6: conqveruntur Prophetæ, *Eſaias* cap. 24. v. 5, *Ieremias* c. 22. v. 3, *Amos* c. 5. v. 7. Verùm in hac κακοδικία ſeu corrupto judicio non ſiſtit divitum improbitas: latiùs ſerpit malitia. Comes enim perverſi hujus judicii eſt piorum cædes. *Diſputant Interpretes, quid ſignificetur loqvutione*: ἐφονεύσατε τὸν δίκαιον? Non conſentiunt. *Oecumenius* de Chriſto, qvem Scriptura τὸν δίκαιον appellat, interpretatur, qvem Judæi interemerunt Act. 3. v. 15. *Lorinus* de Stephano promartyre ſermonem Apoſtolo eſſe cenſet, qvem Judæi lapidarunt Act. 7. v. 59. De Chriſto non interpretor, qvippe cujus mortem ſcriptura non tàm divitibus, qvàm principibus & ſacerdotibus Judæorum imputat Luc: 24. v. 20. Et qvis credet, Jacobum exprobrare voluiſſe Judæis, fidem Chriſti amplexis, & facti pœnitudine ductis, cædem Chriſti? Nec ad Stephanum qvæ hic dicuntur commodè reſtringere licebit. Non enim divites luxurioſè viventes, ſed Phariſæi & Sacerdotes, qvi volebant ob vitam auſteriorem in pretio eſſe Lucæ 18. v. 10. 11. ſeq. in Stephanum conſpirarunt & innocuum occiderunt Act: 6. & 7. Contextus urget, ut cum *Eſtio*, *Piſcatore*, *Paræo*, *Interpretibus Belgicis*, qvosvis intelligamus divites, qui injuſtitia & cæde opprimunt juſtos. Nomine autem *occiſorum*, non tantùm eos deſignatos volumus, qui manu 2. Reg. 21. v. 9, Matth: 26. v. 59. ſeq Dan: 13. v. 33. ſeq. ſed etiam qvi fraude juſtos occidunt; Quod monent *Piſcator, Eſtius & Interpretes Belgici.* Sic vir ſangvinum eſt, non tantùm qui ſangvinem hominum fundit; ſed etiam qvi crudelis eſt, & ſangvinis fundendi cupidus 2 Sam: 16. v. 7. Et horum etiam manus plenæ ſangvine dicuntur, qvi fraudulentis oppreſſionibus utuntur Eſa: 1. v. 15. Et homicida eſt, Interprete *D. Iohanne* 1 Epiſt. 3. v. 15, qvi fratrem odit. Cæterùm exaggerat Apoſtolus factum & facinus divitum iſtorum, divitiis & potentiâ abutentium, dum inqvit:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Occidiſtis juſtum, & non reſiſtit vobis. Poſſent divites iſti flagitium ſuum utcũq; velare, ſi à juſto læſi eſſent. Tantum autem abeſt, hoc verè dicere poſſint, ut juſtus præter meritum duriter tractatus, ne qvidem reſtiterit. Quæ eſt patientia, qvam Chriſtus tantoperè ſuis commendatam cupit Luc: 6. v. 2. 28, 9.

Doctrina. Qui potentiâ & opibus abutuntur ad opprimendum juſtos, dabunt ſuo tempore juſtas facti pœnas. Afflixit Judæos Pharao, ſed factum non abſtulit inultum Exod. 14. v. 23. ſeq. Achab & Jezabel contra jus oppreſſerunt Nabothum 1 Reg. 21. v. 1. 2. ſeq. ſed ultrices manus Dei experti ſunt, prædicente Elia 1 Reg. 21. v. 19. 20. ſeq. Vos verò pii, qvos vis inimica ditiorum duriùs urget, patientes eſtote afflictionum. Imitamini veſtrum *Ieſum*, qui convitiis convitia non rependit Eſa: 53. v. 7. Facite qvod fecit *Stephanus*, qui pro his, qvi vim ipſi inferebant, interceſſit Actor: 7. v. 60. Sic fuit dehortatio ab abuſu divitiarum.

PARÆNESIS X.

De injuriis æquo animo ferendis, à verſu 7. uſq; ad verſum 12.

v. 7. Μακροθυμήσατε οὖν ἀδελφοί, ἕως τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου. Ἰδοὺ ὁ γεωργὸς ἐκδέχεται τὸν τίμιον καρπὸν τῆς γῆς, μακροθυμῶν ἐπ' αὐτῷ, ἕως ἂν λάβῃ ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον.

v. 7. Patientes ergo eſtote fratres, usq; in adventum Domini. Ecce agricola expectat pretioſum fructũ terræ, patienter exſpectans dum accipiat pluviam matutinam & ſerotinam.

v. 8. Μακροθυμήσατε καὶ ὑμεῖς· στηρίξατε τὰς καρδίας ὑμῶν, ὅτι ἡ παρουσία τοῦ κυρίου ἤγγικε.

v. 8. Patientes eſtote & vos: confirmate corda veſtra, qvoniam adventus Domini appropinqvat.

HIc qværitur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia: qui ſenſus & ſententia?* Dixerat Apoſtolus, qvàm inique ditiores opprimant juſtos: Jam docet qvid facto opus ſit, ne pii adverſis & injuriâ illatâ frangantur. Μακροθυμία opus eſt. Deſcendit verbum μακροθυμεῖν, qvo utitur Apoſtolus, à nomine μακρόθυμος; qvi ſic dicitur, annotante hic *Piſcatore*, qvaſi μακρύνων θυμὸν, prolongans ſeu differens vel potius longè ſubmovens iram, non facile iraſcens. Qvæ virtus omnibus commendatur 1 Theſ. 5. v. 14. Additur verò terminus & duratio μακροθυμίας, qvæ hîc imperatur: videlicet, ἕως τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου. Voce παρουσίας tum præſentia, tum adventus ſignificatur, apud L.

Græ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Græcæ ſcriptores probatiſſimos. Præſens qvidem eſt in hac vita ſuis Deus & Dominus Jeſus, Matth.28.v.20, & tamen adventus expectatur, qvi illuſceſcet, qvando in nubibus ſe præbebit conſpiciendum Actor 1: v. 11. Matth.25 v.31. ſeq: Differentia autem longè maxima eſt inter præſentiam, qvâ Deus jam ſuis adeſt, & qvâ poſt hanc vitam ipſis affuturus eſt. Etenim præſentia Domini in hac vita non excludit afflictiones Actor.14.v.22. Roman.8.v.17. At verò, ultimo illo & viſibili adventu Domini infœlix lolium & ſterilis advena, bonæ ſementi interſperſa, radicitus extirpabuntur Matth 13 v.19: & lacrymæ ab oculis piorum penitus abſtergentur Apocal.21.v.4. Hoc die ſe ſuſtentabunt & conſolabuntur pii, audituri lætam illam vocem, de qvâ Chriſtus Luc.21:v.28. *Levate capita veſtra: nam inſtat redemptio veſtri.* Ne verò pios tædeat paulò protractioris moræ: accendit Apoſtolus in piis patientiam, *ſimilitudine ab agricolis* deſumptâ. Jubet enim, ut oculos conjiciant in agricolas, qvi facta jam laborioſa opera ſemente, fructum patienter exſpectant. Et diligenter notandum eſt, qvod *duo* in hac περιστάσει ab Apoſtolo adducantur, qvæ diuturniorem illam moram leniant. *Vnum* eſt, fructus terræ τίμιος. Vocat autem fruges, qvæ è terra naſcuntur, fructum τίμιον: id eſt, qvi in pretio & honore jure habeatur: qvia ſingulare Dei donum eſt, deſtinatum corporibus noſtris alendis. *Alterum* eſt; non eſſe in manu agricolæ pro arbitrio maturare fruges. Id indicat D. Iacobus, qvando inqvit; *quod patienter exſpectet* ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον. Qva loqvendi formâ qvid ſignificetur, non eſt eadem interpretum ſententia. Verior eſt ſententia *Stephani, Piſcatoris, Parei, Lorini, Cornelii à Lapide,* qvi per πρώϊμον ὑετὸν intelligunt ὡραῖα ὕδατα, ut Theophraſtus appellat: & per ὑετὸν ὄψιμον, ὀψιαίτερα ὕδατα, qvæ Plinius vocat, aqvas ſerotinas. Reſpicit Apoſtolus dictum qvod extat Deut.11.v.14, & ita habet juxta verſionem LXX. Interpretũ: Δώσει τὸν ὑετὸν τῇ γῇ σου, καθ' ὥραν πρώϊμον καὶ ὄψιμον. In Ebræo ὑετὸς πρώϊμος vocatur pluvia jacientis, nempe ſeminatoris, ſeu ea qvæ cadit poſt ſemen jactum, & humo mandatum. At ὑετὸς ὄψιμος ibidem vocatur pluvia collectionis, hoc eſt qvæ cadit ſub tempus meſſis, cum fruges metuntur, & in horrea convehuntur. Deſcriptio itaque eſt pluviæ, adeo tempeſtivæ, ut ſerviat frugibus & eliciendis è terra, & maturandis atque conſummandis, juxta hoc promiſſum divinum Deut.28.v.12. *Aperiet tibi Iehova theſaurum ſuum optimum, ac dabit pluviam terræ tuæ tempore ſuo.* Hanc agricolarum patientiam, transfert ad inſtitutum Apoſtolus v. 8. hoc ſenſu: Si tantum poteſt apud agricolas ſperatus terræ fructus, ut nulla longi temporis frangantur mora: res certè foret pudenda, hominem Chriſtianum morâ diuturniore adverſitatum & dilatione adventus Domini fractum, haſtam abjicere. Alit Agricolam ſpes fructus terræ, pretioſi qvidem, ſed perituri, Iohan 6.v.49: & hominem ad patientiam non animabunt vitæ ſeqvuturæ gaudia, & ineffabilia, & æternum duratura Rom.8.v.18 2Cor.4,17. Accedit, qvod nihil proficere poſſint homines impatiẽtia ſua. Nam veluti agricola non poteſt ſua ſolicitudine evocare è cœlo pluviam, ſive maturam, ſive ſerotinam, ſed hîc divina benedictio unicè exſpectanda eſt: Ita nihil proficient ſua impatientia juſti. Oculo irretorto ſemper adſpicere oportet divi-

nam

nam providentiam, absque qva ne capillus qvidem de capite noſtro decidit Matt. 10. v. 29. 30. Et ne mora videatur longior; conſolatio erit, *appropinquare adventum Domini.* Nam ſi vel maxime differri videtur iſte Dei & Domini noſtri adventus, cauſa tamen protracti adventus debet eſſe nobis optatiſſima, expoſita à D. Petro 2. Epiſt. 3. v. 9. Qvod ſi qvis dicat, minus verè dictum videri, *adventum Domini appropinquaſſe*, qvòd ex qvo hæc ſcripſit Apoſtolus, aliqvot centeni anni effluxerint: ſciat, ſcripturæ familiare eſſe, tum appellare illud tempus, qvod fluxit à tempore, qvo natus & in cœleſtem gloriam evectus eſt Chriſtus ὥραν ἐσχάτην 1 Ioh. 2. v. 18: tum dicere, diem, etiam protractiorem adventus Domini in propinqvo & velut præ foribus eſſe, qvòd mora illa, collata cum ſubſecuturi gaudii duratione, vix momentum ſit 2. Corinth. 4. v. 17. Hæc res, videlicet conſolatio ab adventu Domini, debet στηρίξαι τὰς καρδίας. Uſurpatur hoc verbum à LXX. Interpretibus Exod. 17. v. 12. de laſſis Moſis manibus, lapide fultis. Nullum eſt fulcrum, qvod labentes ſub adverſitatum onere animos validius ſuſtinere poteſt, qvàm meditatio coronæ, repoſitæ in adventum Domini, 2. Tim. 4. v. 6. ſeq.

DOCTRINÆ. Nullæ adverſitates debent eſſe tantæ, ut nos ad deſperationem adigant, aut à Deo noſtro deficere faciant. Dicamus cum *Iobo* cap. 13. v. v. 15. *Si vel occideris me, non tamen deſinam in te ſperare.* Dicamus cum *Paulo* Rom. 8. v. 35. *Quid ſeparabit nos à charitate Dei?* Lenire debet magnitudinem malorum, qvibus urgemur, futuræ vitæ gloria, exemplo *Iobi* cap. 19. v. 24. 25. ſeq: *Pauli* Rom. 8. v. 17. 18. & ipſius *Chriſti* Luc. 24 v. 25. 26. Philip. 2. v. 6. 7. 8. ſeq.

v. 9. Μὴ στενάζετε κατ' ἀλλήλων, ἀδελφοὶ, ἵνα μὴ κατακριθῆ. ἰδοὺ κριτὴς πρὸ τῶν θυρῶν ἕστηκεν.

v. 9. Ne ingemiſcatis alii adverſus alios, fratres, ut non condemnemini. Ecce judex præ foribus adſtat.

HIc qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ ut nexus, ita ſenſus? Secundum* argumentum eſt, qvo in injuriis ſuſtinendis patientia ſvadetur, ſumptum à noxio effectu vindictæ, adverſæ τῇ μακροθυμίᾳ. Nam periculum imminet à condemnatione, ſi ingemiſcamus adverſus fratres ac vindictam poſcamus. Hoc vult Apoſtolus, ut caveant pii, etiam contra jus læſi, ne cupiditate vindictæ nimium inſtent ſuſpiriis apud Deum, ut in oppreſſores duriter & qvàm citiſſime animadvertat. Qvod ut perſvadeat Apoſtolus, monet, qvod hic fervor & effrenis cupiditas vindictæ, conjuncta ſit cum præſentiſſimo & maximo periculo. Cùm enim non ſit inter homines vel unus, qvi non peccet & Deum offendat 1. Iohan. 1. v. 8: condemnatoriam Dei ſententiam in ſe provocat, qvi vindictam fervidius urget. Qvocirca, monitore Apoſtolo, haud erimus de vindicta cupide ſoliciti, ne accuſatorio gemitu condemnationem attrahamus, memores moniti Chriſti Matth. 18. v. 23. ſeq.

Secundò qværitur: *Quid verbo* στενάζετε, *quo hic utitur Apoſtolus, ſignificetur?* Interpretes prope omnes vertunt, *ingemiſcite*. Improbat *Heinſius ſuis in*

hunc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

hunc locum exercitationibus, pag. 595, ac στενάζειν *idem hîc eſſe cenſet, quod clamorem edere: ut rixam & contentionem eorum ſic notet, qui per iſtos gradus ad judicia ac forum veniunt: ubi alter ſaltem cadat neceſſe eſt. Tale eſſe vult quod eſt Iob. cap. 31.* εἰ ἐπ᾽ ἐμοί ποτε ἡ γῆ ἐστέναξε. *Quare*, inqvit Heinſius, *non neceſſe erat, ut de gemitu ſoliciti eſſent eruditi. Et addit, nihil impedire, quo minus ita reddamus: Ne clamore & rixis inter vos contendite aut committamini.* Ego receptæ verſioni ac ſententiæ accedere malo: tùm qvia τὸ στενάζειν nuſpiam, qvod ſciam, in ſcriptis probatorum Græcorum valet, rixari, clamare, rixis contendere: tùm qvia στενάζειν in N.T. eſt ſuſpirare, ingemiſcere Marc. 7. v. 34. Rom. 8. v. 23. 2. Cor. 5. v. 2. 4. Hebr. 13. v. 17; & στεναγμὸς non eſt rixoſus clamor, ſed ſuſpirium, gemitus, Actor. 7. v 34. Rom. 8. v. 26.

Tertiò qværitur: *Quid ſibi velint verba:* Ἰδοὺ κριτὴς πρὸ τῶν θυρῶν ἕστηκεν? Nomine *judicis, Lorinus, Eſtius, Cornelius à Lapide, Interpretes Belgici* intelligunt Chriſtum, & rectè: Hic enim in libris N. T. inſignitur ſolenni judicis appellatione, veluti videre eſt Actor. 10. v. 42. Johan. 5. v. 22. 2. Timoth. 4. v. 8. *Quo autem ſenſu judex Chriſtus præ foribus ſtare dicatur*, Interpretes non conſentiunt. *Cornelius à Lapide duas* affert expoſitiones: *Vnam*; Chriſtum è cœlis cominus intueri omnia, ita ut ne qvidem ipſi gemitus ipſum lateant, ac adeſſe, ut iſtos gemitus & impatientiam caſtiget. *Alteram*: Chriſtum brevi adventurum, ut mundum judicet, & perſeqventium tyrannidem ulturum. Priorem expoſitionem probat *Eſtius*: poſteriorem *Paræus*. Ego utramq; ſententiam commodè jungi poſſe cenſeo, hoc modo: Nolite impatientius ferre injurias & ſuſpiriis veſtris Deum ad vindictam fervidius provocare. Etenim importuniore illâ qverelâ in dubium vocatis, tam Dei præſentiam & providentiam, deſcriptam Pſal. 102. v. 20, 21; qvàm univerſalis judicii diem; qvi ubi opinione citiùs illuxerit, juſtas iniqvorum factorum pœnas dabunt piorum oppreſſores, piis ab omni miſeria liberatis 2. Theſſ. 1. v. 6. 7. ſeq. De loqvutione περὶ θυρῶν, vide proverbia *Druſii*. Senſus eſt, non longe abeſſe judicem, more & modo eorum, qvi cum ad fores ſeu oſtium acceſſerint, ingreſſum parant, annotantibus *Interpretibus Belgicis*, & citantibus qvod eſt Matth. 24. v. 33.

DOCTRINÆ. Injuriis affecti, non tam de vindicta ad Deum ſuſpirabimus, ultionis cupidi; qvàm injurias illatas Chriſtiano animo concoqvemus; Exemplo *Chriſti* 1. Petr. 2. v. 23; *Stephani* Actor. 7. v. 60, aliorum. Pareamus Chriſto, dicenti Matth. 5. v. 44. *Orate pro iis, qui vobis infeſti ſunt.* Solemur & ſuſtentemus nos adventu filii Dei ad judicium: Dies enim ille nos à malis omnibus expediet, & perſeqvutores debitis pœnis mactabit 2. Theſſ. 1. v. 6. 7. 8. ſeq.

v. 10. Ὑπόδειγμα λάβετε τῆς κακοπαθείας, ἀδελφοί μου, καὶ τῆς μακροθυμίας, τοὺς προφήτας, οἳ ἐλάλησαν τῷ ὀνόματι Κυρίου.

v. 10. Exemplar accipite afflictionis, fratres mei, & patientiæ, Prophetas, qvi loqvuti ſunt nomine Domini.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus? Tertium argumentum eſt*, qvo Apoſtolus ſvadet in afflictionibus patientiam, ductum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ab exemplo Sanctorum, qvi licet Deo cariſſimi eſſent, & nomine Dei loqverentur; tamen variis preſſi ſunt afflictionibus. Reſpicere videtur Apoſtolus ad verba *Chriſti* Matth. 5. v. 12. *Ita perſeqvuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.*

Secundò qværitur: *Qua in re Prophetæ proponantur nobis* εἰς ὑπόδειγμα *ſeu exemplar?* Apoſtolus nominat tum κακοπάθειαν, tum μακροθυμίαν: & vult tam in illa, qvàm in iſta ſanctos imitemur. Adhortationem ad κακοπάθειαν ſeu tolerantiam malorum, vide 2. Timoth. 2. v. 3, & exempla κακοπαθούντων, lege Ebr. 11. v. 36. 37. 38, & ipſius *Pauli* 2 Timoth. 2. v. 9. Ad μακροθυμίαν verò hortatur ut *Iacobus*, ita *Paulus* exemplo Sanctorum Ebr. 6. v. 12: cujus illuſtre documentum non tantùm elucet in Prophetis hic ab Apoſtolo nominatis; ſed inprimis in ſervatore *Ieſu*, commendatum ab *Eſaia* & D. *Petro* 1. Epiſt. 2. v. 23.

Tertiò qværitur: *Quid ſit Prophetas loqvutos fuiſſe nomine Domini? & quid faciat hoc Prophetarum elogium ad Apoſtoli inſtitutum? Piſcator* cenſet, qvòd in loqvutione Græca, τῷ ὀνόματι Κυρίου omiſſa ſit præpoſitio ἐν, incuriâ ſcribarum. Sed reclamant exemplaria Græca, qvæ mihi videre contigit; & ſubeſt cauſa omiſſæ præpoſitionis. Conſtabit id, ubi explicatum fuerit, qvid hac loqvutione ſignificetur. Prophetæ non tantum dicuntur *loqui nomine Domini*, qvia mandato & juſſu Domini loqvuti ſunt 2. Petr. 1. v. 20. 21, qvod vult *Lorinus* & *Interpretes Belgici*: ſed etiam qvòd Deus incolens cor Prophetarum, per eorum os loqvutus ſit. Alio certè modo loqvuti ſunt Prophetæ ὀνόματι Κυρίου, qvàm legati nomine ſuorum Dominorum loqvuntur. Hi enim loqvuntur, remoti ſæpè à Dominis, tantùm inſtructi, qvæ loqvantur. At Deus ipſe, in corde Prophetæ exiſtens, per os ejus loqvitur. Huc ducunt hæc divinarum ſcripturarum dicta, Ebr. 1. v. 1. *Deus loqvutus eſt* ἐν προφήταις. 1. Petr. 1. v. 10. 11: *Prophetæ ſcrutati ſunt ventura per eum, qui in ipſis erat, Spiritum Chriſti.* Non igitur ſine cauſa dixit Apoſtol⁹: loqvutos eſſe Prophetas ὀνόματι Κυρίου, omiſſa præpoſitione ἐν: Docere enim vult, qvod ita loqvut⁹ ſint, ut qvi eos audiret loqventes, certò ſtatuere poſſet, audire ſe loqventem ipſum Dominum: hoc enim eſt *loqui nomine Domini*. Nota ſunt hæc *Chriſti* & *Apoſtolorum* effata. Matth. 10. v. 20. *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris mei, qvi eſt in vobis.* 2. Cor. 13. v. 3. *Vultis ne experimentum ſumere loquentis in me Chriſti.* Maxime verò facit hoc elogium Prophetarum κακοπαθούντων ad Apoſtoli inſtitutum. Si enim Prophetæ, qvos Deus dignatus eſt ſuo alloqvio & ſingulari præſentiâ, non potuerunt immunes eſſe à ſævis perſecutionibus: qvid miramur nos variis urgeri malis? Hoc eſt, qvod ait *Paulus* Hebr. 13. v. 7. *Memores eſtote ductorum veſtrorum, qui loqvuti ſunt vobis ſermonem Dei.*

Doctrinæ. Ne deſpondeamus animum ob adverſitates & ſævas perſeqvutiones. Diſcamus à *Prophetis*, ab *Apoſtolis*, ab ipſo *Ieſu*, & κακοπάθειαν & μακροθυμίαν. Concludamus cùm Paulo Ebr. 12. v. 1. 2. *Proinde nos quoque, cum tanta nos circumſtet teſtimoniorum nubes abjecto omni pondere & peccato* εὐπερίστατῳ *per tolerantiam propoſitum nobis ſtadium decurramus. Intuentes in*

fidei

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ſidei auctorem & conſummatorem Ieſum, qui pro propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem ignominiâ contemptâ, & ad dextram throni Dei conſedit.

v. 11. Ἰδοὺ, μακαρίζομεν τοὺς ὑπομένοντας. Καὶ ὑπομονὴν Ἰὼβ ἠκούσατε, καὶ τὸ τέλος Κυρίου εἴδωτε, ὅτι πολύσπλαγχνος ἐστιν ὁ Κύριος καὶ οἰκτίρμων.

v. 11. Ecce, beatos prædicamus tolerantes afflictionem. Patientiam Jobi audiviſtis, & finem Domini vidiſtis, qvoniam Dominus valde miſericors eſt & commiſerator.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ & nexus & ſenſus? Quartum argumentum eſt*, qvo Apoſtolus ſvadet κακοπάθειαν & μακροθυμίαν, ductum à fine & fructu optatiſſimo, qvi eſt beatitudo. Hi enim beati ſunt, qvi injurias æqviſſimo & patiente animo ſufferunt: Nam vox *Chriſti* eſt Matth. 5 v 10. *Beati, qvos perſeqvuntur juſtitiæ cauſâ: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Illuſtrat & confirmat hoc Apoſtolus *Iobi* Exemplo: nec ſine cauſa: Nam qvantum ex hiſtoriis colligere licet, vix ullus unqvam extitit, in qvem plures & duriores ærumnæ impetum fecerunt, qvàm in Jobum: qva de re liber Jobi conſuli poteſt. Emerſiſſe verò Jobum tandem ex adeò profundâ abyſſo miſeriarum, commonet D. Jacobus dum inqvit. *Et finem Domini vidiſtis.* Qva loqvutione lætam cataſtrophen & optatiſſimum exitum adverſitatum indicat, perſcriptum in libro Jobi cap. ult. v. 10. 11. ſeq. Vocat vero D. Jacobus exitum, qvem dedit Dominus afflictionibus Jobi, *finem Domini*, ut nos commoneat, qvod in omnibus adverſitatibus, ſemper reſpicere oporteat ad finem, qvem Deus afflictionibus intendit, qvi ſemper eſt ſalutaris, teſte Dei ſpiritu Rom. 8. v. 18 Ebr. 11. v. 24. 25.

Deinde quæritur: *Cur Apoſtolus Deum hîc vocet* πολύσπλαγχνον καὶ οἰκτίρμονα? Docere vult D. Jacobus, optatiſſimum illum ex afflictionibus exitum, non merito afflictionum, ſed bonitati & miſericordiæ divinæ unice adſcribendum eſſe Rom. 8. v. 18. Vox πολύσπλαγχνος, qvâ hic utitur Apoſtolus, ſingulariter emphatica eſt. Radix eſt τὰ σπλάγχνα *viſcera*, & πολύσπλαγχνος, vi vocis, *qui eſt multorum viſcerum.* Appellatione hac ſignificatur miſericordia intima, ſumma, profundiſſima, qvæ deſcribitur metaphorâ viſcerum: inde petitâ ſimilitudine, qvòd in affectibus vehementioribus, præſertim tenerrimi amoris & ſingularis commiſerationis, ſentiamus τὰ σπλάγχνα, id eſt viſcera vitalia, qvàm maximè commoveri & affici: ut qvando *Salomon* jubet 1. Reg 3. v 26. infantem vivum gladio diſſecari, matris viſcera dicuntur commota. Voce itaque πολύσπλαγχνος, qvâ D. Jacobus utitur, qvid ſignificetur indicatur in cantico *Zachariæ* Lucæ 1. verſ. 78, facta mentione σπλάγχνων ἐλέους θεοῦ. De qvâ Dei noſtri eminentiſſimâ & plane ineffabili miſericordia, lege Num. 14. v. 18. Pſal. 103. v. 8. Phil. 2. v. 1. Coloſ. 3. v. 12.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Doctrinæ. Non eſt quicquam, qvod efficaciùs ſolari nos poſſit, in duris adverſitatibus conſtitutos, quàm meditatio devotior finis, qvem Deus afflictionibus intendit. Non certè ſuos affligit Deus, aut affligi ſinit, ut perdat; ſed ut ſalutem eorundem promoveat. Obſerventur hæc divini Spiritus per Apoſtolos monita. Ebræor: 12. v. 5. 6. *An obliti eſtis adhortationis, quâ Deus quæ vobis tanquam filiis loquitur: Fili mi ne parvi facias caſtigationem Domini, neqve animo frangitor, cum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus caſtigat: flagellat omnem quemcumq; filium agnoſcit.* 1 Pet. 4. v: 13: *Gaudete quod eſtis conſortes afflictionum Christi, ut cum patefiet gloria ejus, gaudeatis exultantes.* Rom: 8. v. 18: *Statuo quod paſsiones hujus temporis nihil ſint, ad gloriam, quæ aliquando revelabitur in nobis.* 2. Corinth. 4. v. 17: *Momentanea afflictio, quam ſuſtinetis, pariet æternum ploriæ pondus.*

Sic fuit Παραίνεσις *de injuriis patienter ferendis.*

PARÆNESIS XI.

De non temerè jurando v. 12.

V. 12. Πρὸ πάντων δέ ἀδελφοί μου, μὴ ὀμνύετε, μήτε τὸν οὐρανὸν, μήτε τὴν γῆν, μήτε ἄλλον τινὰ ὅρκον. ἤτω δὲ ὑμῶν τὸ ναὶ ναὶ, καὶ τὸ οὒ οὔ, ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε.

V. 12. Ante omnia vero, fratres mei, ne jurate, neq; per cœlum, neq; per terram, neq; ullum aliud juramentum. Sit autem ſermo veſter eſt, eſt, & non, non; ne in condemnationem incidatis.

HIc primò quæritur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus?* Non improbo *Bedæ* ſententiam, adductam & approbatam à *Lorino*, qui cenſet propoſitum fuiſſe inter alia Apoſtolo noſtro ſeveriùs lingvæ abuſum caſtigare. Obtrectationes, judicia temeraria, gemitus in adverſitatibus, verſibus qvi præceſſere, ſub cenſuram acrem vocavit; jam tranſit ad juramenta, circa qvæ non parùm à Chriſtianis peccatur.

Secundò quæritur: *Quid impulerit D. Iacobum, ut juramenta temeraria adeo ſeriò caſtigaret?* Rectè docet hoc loco *Paræus*, Judæis & Phariſæis familiare vitium fuiſſe, juramentis temerariis ludere: veluti liqvet è *Chriſti* concionibus Matt: 5. v. 34. 35. 36. 37. & c. 23. v. 20. 21. 22. Cum verò non ignorarent, omnem nominis divini abuſum lege divinâ interdictum; ne in legem divinam impingere viderentur, populo perſvadebant, qvod ſine periculo & nominis divini profanatione, jurare liceret, per cœlum, terram, templum, aurum templi, caput, alias creaturas: tùm verò periculum fore perjurii, ſi qvis in ſuis juramentis expreſſam faceret Dei mentionem. Qvam Sophiſticen & *Chriſtus* locis antea adductis, & hoc loco D. *Iacobus* ſeriò improbant & damnant.

Tertiò,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Tertiò quæritur: *Quid ſibi velit Apoſtolus hac loqvutione:* Περὶ πάντων μὴ ὀμνύετε? *Lyra* cenſet, Apoſtolum his verbis, περὶ πάντων: hoc dicere, hoc docere velle, ne juramentum ſermoni aut admiſceatur, aut præmittatur. Fallitur: Nam loqvutione περὶ πάντων, caſtigatur temerè jurandi κακόηθες, ac injungitur, ut præ omnibus curetur, ne temerè juretur: qvod rectè annotavit *Druſius & Cornelius à Lapide.* Huc enim ducit ipſa loqvendi forma, qvâ Apoſtolus utitur, monente *Auguſtino* de verbis Apoſtoli ſerm: 28. tom. 2. inqviens: *Quid eſt ante omnia? Præ cæteris certus eſto, plus attentus eſto, quàm ad alia. Major conſuetudo majorem intentionem flagitat.* Liqvet hinc non obſcurè, haud paucos tempore Apoſtolorum in eâ fuiſſe ſententiâ, qvod qvanqvam non liceret in rebus minoris momenti interponere jurejurando nomen Dei: nihil tamen impedire, qvò minus in cauſis ac negotiis minutioribus per creaturas juraretur. Qvem in juramentis luſum damnat Apoſtolus, ſeqvutus magiſtrum *Chriſtum* Matth: 6. v. 34. ſeq. & 23. v. 20. ſeq.

Qvartò qværitur: *An Iacobus hac ſuâ monitione, omne penitus juramentum velit ſublatum, ita ut non liceat ullâ de causâ jurare?* Res hîc eſt nobis & cum priſcis & cum recentioribus hæreticis. *Eſſæi* omne juramentum æq; atqve perjurium damnabant, teſte *Ioſepho* lib: 2. de bello Jndaico cap. 7. *Pelagiani* etiam omne juramentum in N. T. ſublatum voluerunt, annotante *Hieronymo* tomi 2. pag. 20. edit. Baſil: & tom: 4. pag. 63. *Anabaptiſtæ* ſibi non conſtant. Nam in *colloquio Embdano* eandem cum Pelagianis tenent & tuentur ſententiam. At in *colloquio Frankentalenſi* art: 11. pag. 619. ſeq: non niſi temeraria damnant juramenta. *Socinianorum* qvæ ſit ſententia legere eſt apud Smalcium diſp. 6. refut. theſ. Frantz: pag 396. de qva pôſt agemus. Nobis certum eſt, licita eſſe juramenta, ſi *verè*, hoc eſt ſine fuco, fraude & ſimulatione; ſi *ritè*, & in judicio, compulſi neceſſitate officii & mandato magiſtratus, cui ſubſumus; ſi deniq; *juſtè*, id eſt, in rebus licitis & dignis qvæ firmentur juramento, juremus. Hæc enim *tria* reqvirit *Ieremias* cap. 4. v. 2. Qvæ ubi adſunt omnia & ſingula, tùm licitum eſſe jurare, evincunt tùm *diſerta ſcripturarum dicta* Deut: 6. v. 13. Eſa: 65. v. 16. Jerem: 12. v. 16. Ebr. 6. v. 16. tùm *exempla ſanctorum, Abrahami* Geneſeos 14. verſu 22, *Davidis* 1. Samuelis 20. verſu 3, *Pauli* Rom: 9. v. 1. 2. Cor. 1. v. 13. Philip. 1. v. 8. Nec adverſatur Jacobi monitio, reſpicientis dubio omni procul ad verba Chriſti Matth: 5. v. 34: *Ne juretis* ὅλως *ſeu omnino.* Qvis enim credet, Chriſtum antiqvare voluiſſe legem, de qvâ dixerat eodem capite v. 17: *Non veni ſolvere, ſed implere legem.* Quinimo qvi ita volet interpretari *Chriſti*, & *Iacobi*, Chriſtum ſeqvuti, verba, ac ſi tàm ille qvàm iſte omne penitus juramentum velit ſublatum, adverſabuntur huic aſſertioni, *diſerta ſcripturarum dicta*, & *Sanctorum*, tàm V. qvàm N. T. *exempla*, qvæ citavimus. Qvocirca ne Scriptura cum ſcripturâ committatur, fateri omninò oportet, improbari tantùm à *Chriſto* & à *D. Iacobo* improbam conſuetudinem, per Phariſæos introductam, videlicet, licere, per cœlum, terram, & qvamvis aliam creaturam jurare, nec committi perjurium, non injecta diſerta nominis divini mentione, aut donorum, Deo oblatorum. His enim interpretationibus adulteraſſe Phariſæos legem Dei de juramentis, non negabit, qvi mediocri diligentiâ expendere

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

volet, qvæ Chriſtus diſputat contra juramenta, à Phariſæis permiſſa Matth 5. & 23. cap. Nec extirpatam fuiſſe falſam & fanaticam doctrinam, tempore Apoſtolorum, præſens Jacobi locus evidentiſſimè oſtendit. Qvando ergo Jacobus ait: μὴ ὀμνύετε: aut qvod Chriſtus urget Mat. 5. v. 34: μὴ ὀμόσαι ὅλως: non abſolutè interdicitur juramentum, ſed tale, qvale Phariſæi permiſerant. Ingenioſus eſt *Heinſius* ſuis in c. 5. Matt. exercit: p. 27. Nam verba hæc Chriſti: μὴ ὀμόσαι ὅλως: conjunctè legit, hoc modo: μὴ ὀμόσαι ὅλως, μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ, μήτε ἐν τῇ γῇ. Unde emerget ſenſus: Non qvidem omninò non eſſe jurandum, cum opus eſt: ſed nullam ex jurandi formulis, tum uſitatis, uſurpandam: qvia ſi vel maximè verum eſt, qvod juramento confirmatur, juramentum tamen eſt vitioſum, qvippe contra legem, quæ jubet Deut: 6. v. 13, ut per Dei nomen juretur Non ignoro, *Clementem Alexandrinum*, *Chryſoſtomum*, *Ambroſium*, *Auguſtinum*, *Hieronymum*, aliam afferre ſolutionem: ſed qvam non attingimus, tanqvam qvæ impetum veritatis non ſuſtineat.

Qvintò qværitur: *An hoc præcepto adaucta ſit lex Moſaica? Hoc eſt: An in Teſtamento V. tantum perjuria damnata ſint: in N. autem Teſtamento hac Iacobi, Chriſtum imitati, monitione ſublata ſint omninò juramenta, vera quidem, ſed non neceſſaria?* Ita cenſent Pontificii, *Maldonatus* in cap 5. Matth. pag. 124. ſeq. *Becanus* lib. 4. manual: controv: cap. 5. p. 436: & Socini ſectator *Smalcius* diſp. 6. refut: theſ: Frantzii p. 396. Qvin & patrum plurimi idem ſenſiſſe videntur, veluti videre eſt apud *Baſilium* in Pſal: 15, *Chryſoſtomum* in Mat: homil: 17, *Theophylactum* in cap. 5 Matthæi. Non conſentimus. Ecqvis enim adducetur ut credat, licuiſſe in V. T. temerè & levi de cauſa jurare, ſi vel maxime non pejeres. Moſes enim diſertè prohibet Exod 20. v. 7, ne nomen Dei in vanum ac leviter leves. Sat ſcio, adverſam partem urgere vocem Ebræam, qvâ ibi utitur Moſes, & contendere, qvod ea ſignificetur, qvicqvid eſt falſum & doloſum. Verum eâdem illâ voce ſignificari qvicqvid vanum eſt & leve, doctè docuit congeſtis exemplis *Iacobus ad Portum* in refutatione inſtit: Oſterodi ad cap. 25, & manifeſtum eſt inſpectis locis Malach: 3. v: 14. Jerem. 4. v. 30. Pſal. 127. v. 2. Qvare etiam ſeptuaginta Interpretes verterunt ἐν ματαίῳ, Aqvila εἰς εἰκῆ.

Sextò qværitur: *An juramenta per creaturas vel permiſſa fuerint in V. T. vel licita eſſe poſſint ſub Novo?* Sunt qvi ajant: qvibus opponimus, tùm *diſertum Dei mandatum*, jubentis ut per nomen ſolius Dei juremus Deut: 6. v. 13, tùm rotundam *Chriſti* Matth. 5. v. 34. & *Iacobi* hoc loco prohibitionem: tùm exemplum *Pauli* 2. Corinth: 13, & aliorum ſanctorum, qvi non niſi per nomen Dei jurarunt: tùm naturam ipſam juramenti, qvæ hoc poſcit, ne per alium juremus, qvam eum, qvi & dolum noviſſe, & fallentes punire poteſt; qvæ ſolius Dei elogia propria ſunt. Qvæ in contrarium adduci ſolent argumenta, doctè diſſolvit *Spanheimius* part: 3. dubiorum Evang. Dubiô 124. p. 623. 624. ſeq: & ipſi etiam qvalemcunq; hic præſtitimus operam tom: 2 Syſt. Theol. artic: de lege Dei cap. q. 2. p. 77. ſeq. nec iteramus.

Septimò qværitur: *An inde tuto colligatur, honorem religioſum deberi creaturis, quia per creaturas jurare non licet?* Pontificiorum hoc eſt commentum.

Tho-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Thomæ vox eſt 2a 2æ, qvæſt: 89. artic: *6*, juramentum per Deum principaliter, ſecundariò autem per creaturam perfici. *Bellarminus* conſentit: Nam l. 2. de Imag: Sanct: cap. 12. ex verbis iſtis Chriſti: *Nolite jurare per cœlum*: infert; juramentum eſſe actum religionis, qvo honoratur primariò Deus, ſecundariò id, per qvod juratur. *Maldonato* verò in cap. 5. Matth. pag 126, ſuo more, mordaci, impius & imperitus *Lutheranorum* & *Calviniſtarum* error eſt, nullum niſi Deo religionis honorem tribuentium. Nugæ. Etenim qui hic pugnant verbis aut *Chriſti* aut *Iacobi* pro actu Religionis, qvaſi is ipſus etiam creaturis tribuendus ſit, graviſſimè peccant. Cùm n. & Chriſtus & Jacobus improbat juramentum per creaturas: hoc ipſo uterq; negat, cultum religioſum creaturis tribuendum eſſe. Nec enim religio eſt jurare per cœlum & terram Eſa: 65: v. 16, ſed actus eſt religioni contrarius: Nam in locum creatoris, per qvem jurare oportet, creaturæ falsò ſubſtituuntur; qvi eſt fœdiſſimus creaturarum abuſus, vergens in conditoris contemptum & contumeliam.

Octavo qværitur: *Quid ſibi velint verba: Sermo veſter erit, Ναὶ ναὶ, οὒ οὔ?* Non tantum Jacobus his utitur verbis, ſed etiam Chriſtus eadem loqvendi formâ utitur, de juramentis agens. *Quo a. ſenſu accipienda ſint Apoſtoli verba*, Interpretes non conſentiunt. *Auguſtinus in Enchirid. cap. 17. & 22. non aliud velle cenſet, aut Chriſtum aut Iacobum, quàm ut vera loquamur, &, quod alii addunt, ut quæ promittimus, conſtanter præſtemus.* Non placet: Nec enim ſcopus Chriſti eſt aut Jacobi, hortari ad veritatem in ſermone, aut ad ſervandum in promiſſis fidem: ſed qvid de juramentis ſtatuere conveniat, uſu tum freqventatis, univerſa eſt tam Chriſti qvam Iacobi diſſertatio: qvod eſt manifeſtius, qvam ut negari poſſit. *Chryſoſtomus* in cap. 5. Matth. homil. 16. *Hieronymus* in Epiſtola ad Celentiam de inſtitutione matris familias, & *Rabanus apud D. Thomam, urgent, hoc velle, & Chriſtum, & Apoſtolum hac loqvutione, ut ab omni juramenti ſpecie abſtineamus, ita ut cum aliquid affirmandum eſt, uti debeamus verbo, Eſt, id eſt, nuda affirmatione ſine juramento, & contra, ubi aliquid negandum eſt, ſimplici negatione, quæ voce οὐκ exprimi ſolet utamur, ſine juramento.* Qvæ expoſitio, probata à *Maldonato* in cap. 5. Matth. pag. 127, ſi vera eſt, omne ſublatum erit juramentum: qvod minus vere dici oſtendimus q. 3. Non diſplicet ſententia *Heinſii* in cap. 5. Matth. pag. 18 & *Interpretum Belgicorum*, qvi cenſent, iſtis doceri verbis, qvid in familiari converſatione fieri debeat: hìc enim Ita & Non ſufficere. Senſus ergo verborum erit; ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, nempe ὁ ὁμιλητικὸς, ſermo familiaris, Ita & Non.

Nonò & ultimò qværitur: *Cur Apoſtolus doctrinam de juramento his concludat verbis:* ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε? Variat hìc lectio. Exemplaria pluſcula habent; ἵνα μὴ εἰς ὑπόκρισιν πέσητε; Ne in ſimulationem incidatis. Et hanc loqvutionem ſeqvutus eſt Eraſmus. Receptiſſima eſt lectio: ἵνα μὴ εἰς κρίσιν, id eſt, κατάκρισιν, condemnationem, incidatis. Docere vult Apoſtolus, cur à temerariis juramenris abſtinere oporteat, nimirum ob imminentis periculi magnitudinem. Alludere videtur Apoſtolus ad divinam interminationem, his verbis traditam Exod. 20. v. 7. *Ne aſſumito nomen Iehovæ Dei tui in vanum. Nam non relinquet Iehova impunem eum, qui aſſumpſerit nomen ſuum in vanum.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Doctrina. Spiritus Dei non tantum damnat perjurium, qvando qvis non præſtat qvod promittit Pſal. 15. v. 4; nec tantum improbat juramentum falſum Pſal. 15. v. 2. Johan. 8. v. 44. Zachar. 5. v. 4: Sed etiam interdictum vult omne juramentum, qvod citra urgentem neceſſitatem uſurpatur Matth. 5. v. 37, aut qvod alius, qvàm veri Dei nomine præſtatur Matth. 5. v. 33. Qvas autem metuere habeant pœnas, qvi temere aut falsò jurant, planiſſimum eſt, tùm è verbis Dei Levit. 24. v. 4, tùm exemplo *Senacheribi* 4. Reg. 19. v. 35. 2. Par. 32. v. 20. *Herodis* Actor. 12. v. 23. *Nabuchodonoſoris* Dan. 4. v. 28. *Balthaſaris* Dan. 5. v. 3, *Syrorum* 3. Reg. 20. v. 28. & aliorum.

PARÆNESIS XII.

Qvomodo nos geramus, ſive affligamur, ſive valeamus & lætemur, ſive ægrotemus, à v. 13 usq; ad v. 19.

V. 13. Κακοπαθεῖ τις ἐν ὑμῖν? προσευχέσθω. εὐθυμεῖ τις, ψαλλέτω.

V. 13. Affligitur qvis inter vos? oret. Bono aliqvis eſt animo? Pſallat.

HIc primò qværitur: *Quis ſit nexus orationis Apoſtolicæ? qui ſenſus & ſcopus?* Nexum orationis hic fruſtrà qværi cenſet *Cornelius à Lapide. Quid enim*, inqvit, *triſtitia cum juramento, quod præceſſit?* Rectiùs, annotante *Lorino*, *Primaticcius*, qvi contendit hanc Apoſtoli monitionem concinne cohærere, tùm cum univerſæ Epiſtolæ ſcopo, tùm cum iis, qvæ præceſſere. Prohibuit proximè juramenta: hic qvæ ex adverſo uſurpanda ſint pietatis exercitia, tempore tàm læto qvam triſti, commonet & commonſtrat.

Secundò qværitur: *Quid faciendum ſit homini pio, in afflictiore rerum ſtatu?* Indicat id Apoſtol⁹ his verbis: *Affligitur quis inter vos? Oret.* Verba Græca ſunt ſignificantiora. Κακοπαθεῖν enim, qvo utitur Apoſtolus, eſt malis qvàm duriſſime affligi & vexari. Unde & apud Ariſtotelem in Politicis κακοπαθῶς ζῆν valet aſperè tractari, ſeu inter aſperrimas difficultates duram vivere vitam: & memba ægra & malè affecta, Græcis dicuntur κακοπαθοῦντα μόρια. Qvoniam igitur ſcriptura ſacra teſtatur, proprium eſſe piorum κακοπαθεῖν 2. Tim. 3. v. 12. 2. Tim. 2. v. 3, præſcribit Apoſtolus, qvid in hac κακοπαθείᾳ faciendum ſit. Mundi hoc eſt conſilium, ut qvi duriùs affliguntur, de vindictâ ac ultione ſerio cogitent. Improbat Dei ſpiritus, qvi qvid hic facto opus ſit, indicat, inqviens: *Oret.* In Græco eſt προσευχέσθω. Paulus 1. Timot. 2. v. 1. diſtincte meminit δεήσεως, προσευχῆς καὶ ἐντεύξεως. Δέησις propriè dici videtur, annotante Piſcatore, qvâ petimus ὧν ὁ δεῖ, id eſt ea, qvibus egemus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

unde ἐνδεὴς egenus. Προσευχὴ verò votum eſt ad Deum directum, qvo aliqvid optam⁹: ſeu petitio boni, nobis neceſſarii ad felicitatem. ἔντευξις deniq; oratio eſt, qvâ pro altero intercedimus. *Svidæ* certe προσευχὴ eſt vox & generalioris & ſtrictioris ſignificati: Nam προσευχὴ *Svidæ* eſt tùm qvævis oratio, qvâ cum aliqvo familiarius agimus; tum αἴτησις ὧν πέφυκεν ὁ θεὸς ἀνθρώποις δωρεῖσθαι πρὸς σωτηρίαν. Qvo poſteriore ſignificato vox προσευχῆς hic non incommode uſurpatur. Vult enim Apoſtolus, ut qvi cum adverſitatibus durius conflictantur, Deum pro liberatione à malis ſolicitent ſeriis precibus, ſed ita, ut ſuam voluntatem divinæ voluntati ſemper ſubmittant, exemplo *Chriſti* Matth. 26. v. 39; ac una petant, ut Deus omnia illa largiatur, qvæ ſalutaria eſſe poterunt, memor promiſſi, qvòd non velit qvenqvam ſupra vires tentare, ſed optatam dare tentationibus ἔκβασιν 1. Cor. 10. v. 13.

Tertiò qværitur: *Quid faciendum ſit lætiore rerum ſtatu?* Docet id Apoſtolus, his uſus verbis: *Bono animo eſt aliquis? Pſallat.* Non neſcivit Apoſtolus, nimis freqvens eſſe, oblivisci Dei benefactoris, ubi omnia ad nutum & votum fluunt Deut. 32. v. 15. Pſal. 49. v. 13. Qvocirca ut à ſecuritate & ingratitudine animos avocet D. *Iacobus*, jubet ut in rebus lætioribus *Pſallamus*. Lætior ille rerum ſtatus enunciatur verbo εὐθυμεῖν. Nam εὔθυμος opponitur apud Ariſtotelem in problematibus τῷ δυσθύμῳ. Veluti itaque δύσθυμος eſt, qui graviter animo affectus eſt, mœſtus eſt, & merore plenus: Ita ex adverſo εὔθυμος dicitur, qvi animo eſt hilari & ſecuro: qvare etiam εὐθυμία Ciceroni eſt animi tranqvillitas, ſeu animus terrore liber. Et *Paulus* ſocios naufragii conſolatione ſuâ erecturus, jubet eos εὐθυμεῖν Actor. 27. v. 22. 25. Qvid jam faciendum ſit, ubi qvis eſt εὔθυμος, commonet unica hac voce Apoſtolus: ψαλλέτω. Qvanqvam vero ψάλλειν, annotante *Svidâ*, propriè ſignificat τὸ ἄκρῳ τῶν δακτύλων τῶν χορδῶν ἅπτεσθαι: hoc tamen loco valet hymnos Evchariſticos cantare, in ſignum gratitudinis pro præſtitis beneficiis. Qvod ut omnes & ſinguli Chriſtiani faciant, monet Apoſtolus *Paulus* Eph. 5. v. 19. 20.

Doctrina. Preſſi gravioribus adverſitatibus, non imprecabimur hoſtibus mala, nec de vindicta cogitabimus Matth. 5. v. 44. Actor. 7. v. 60; ſed humili prece Deum ſolicitabimus, ut mala aut mitiget, aut tollat, aut ſaltem in ſalutarem uſum convertat. Fecere id ſancti Iob c. 16. v. 12. ſeq: *David* Pſal. 77. v. 8. 9. ſeq: *Paulus* Roman. 8. v. 28. 29. ſeq; alii. Ne deſperes, ſi gravibus afflictus adverſitatibus, ſtatim non exaudiaris. Scito, Deum juvare ſuos, aut dum cruce & calamitate penitus liberat Pſalm. 50. v. 15. aut dum afflictiones temperat & mitigat Hab. 3. v. 2. 1. Corinth. 10. v. 13. aut dum vires, oneri ferendo pares, ſubminiſtrat Phil. 1. v. 29. aut deniq; dum temporarias pœnas æterno gaudio & cœleſti coronâ tandem commutat 2. Cor. 4. v. 17. Iac. 1. v. 12. Veluti verò in rebus adverſis Deo ſupplicare oportet: ita fas eſt, ut in ſecundis Hymnos Evchariſticos Deo concinamus, exemplo *Moſis* Exod. 15. v. 1. 2. ſeq: *Annæ*, matris Samuelis 1. Sam. 2. v. 1. 2. ſeq: *Davidis* 2. Sam. 22, 1. 2. 3. ſeq: *Mariæ*, matris Jeſu, Lucæ 1. v. 46. ſeq: *Zachariæ* Luc. 1. v. 68. ſeq: & aliorũ. Qvorum imitatores ut hac in parte ſimus, jubet *Paulus* Epheſ. 5. v. 19, Colloſ. 3. v. 16.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

v. 14. Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν? προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς Ἐκκλησίας, καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ᾽ αὐτὸν, ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου.

v. 14. Ægrotat qvis inter vos? accerſat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.

HIc primò quæritur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus?* Dixit proximè Apoſtolus, qvid faciendum ſit ſanis, ſtatu rerum tum lætiore, tum triſtiore; jam docet, qvid faciendum ſit ægrotis. Apoſtolus utitur verbo ἀσθενεῖν: qvod de omnibus illis uſurpatur, qvi non ſunt integris viribus. Qvod diligenter notandum eſt, tum contra Pontificios, qvi extremam, qvam urgent, Vnctionem non adhibent, niſi ubi anima jam meditatur ac molitur è corpore exitum; tum contra perverſos mores hominum, hoc ſeculo viventium; qvippe qvi verbi divini miniſtrum accerſere non ſolent, anteqvam omnia fuerint indeſperatiſsimis. Tam enim illi, qvam iſti hic redarguuntur. Ἀσθενεῖν enim dicitur, qvi eſt imbecillis aut infirmus: ἐξασθενεῖν autem ſoli illi dicuntur, qvi prorſus defecti ſunt viribus. Qvocirca præſens Apoſtoli conſilium non tantum præſcribitur illis, qvi animam agunt, in mortis confinio jam conſtituti; ſed etiam omnibus, qvi infirmis ſunt viribus: qvibus qvid præſcribatur faciendum, ordine videbimus.

Secundò qværitur: *Quid velit monitio Apoſtoli, de advocandis Presbyteris? Presbyteri* vox, qvod vel pueris notum eſt, Græca vox eſt. Nam Græci πρεσβύτερον vocant, qvi eſt ætate provectior, ſenior: Et hoc ſenſu uſurpatur hæc vox 1 Tim. 5. v. 1. Quia verò ſeniores utplurimùm juvenibus prudentiores ſunt, & ad officia publica magis idonei: inde factum eſt, qvod *Presbyteri* vox cœperit eſſe nomen dignitatis, deq; his uſurpari, qvi eminentiâ officii aliis anteeunt. *Presbyterorum* autem *duo genera* fuiſſe in Apoſtolicâ Eccleſia, docet non obſcurè Divus Paulus 1. Tim. 5. v. 17 inqviens: *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici digni ſunt honore, maximè qui in verbo & doctrinâ laborant.* Alii itaqve *Presbyteri* ſerviebant Eccleſiæ docendo; de qvo genere *Presbyterorum* ſcriptum invenitur Actor: 14 v. 23: *Per ſingulas Eccleſias manuum impoſitione conſtituebant Presbyteros.* Et Tit. 1. v. 5: *Conſtitue per ſingulas urbes Presbyteros ſicut ego ordinavi.* Alii vero *Presbyteri* utilem locabant operam Eccleſiæ in diſciplinâ Eccleſiaſticâ gubernandâ & conſervandâ, & in cauſis fidelium cognoſcendis & æſtimandis Act. 15. v. 2 4 6. 22, 1. Tim. 5. v. 17. *Quæritur jam an illi, an iſti hîc intelligendi ſint Presbyteri? Calvinus, Aretius, Piſcator,* omnes promiſcuè intelligunt, qvi regendæ Eccleſiæ præſunt. *Concilium Tridentinum* Seſs: 14 can. 4, & hoc ſeqvuti, *Lorinus, Cornelius à Lapide, Eſtius,* alii, Sacerdotes deſignari volunt, ab Epiſcopo ordinatos. Rectiſſimè *Paræus, Interpretes Belgici*, eos intelligunt, qui quidem munere docendi fungebantur in Eccleſiâ, tanqvam aptiſſimos ad orandum & conſolandum, ſed maximè eos, qvi dono miraculoſo ſanatio-

num

rum excellebant. Hoc enim dono tum temporis qvidam è Presbyteris divinâ gratiâ pollebant, veluti videre eſt Marc: 6. v. 13. & 1. Cor. 12. v. 9.

Tertiò qværitur: *Quid præſtandum ſit Presbyteris, advocatis ab his, qui ſunt infirmi? Duo* traduntur *Presbyterorum officia*, videlicet προσεύξασθαι & ἀλείφειν τῷ ἐλαίῳ ἐν ὀνόματι Κυρίου. Prius officium qvod attinet, enunciatur his verbis: προσευξάσθωσαν ἐπ᾽ αὐτόν. *Quænam ſit illa precatio, quæ qua ſuper ægrotum recitanda eſt, non convenit inter nos & Pontificios.* Hi enim, velut legere eſt apud *Cornelium à Lapide*, inprimis intelligi volunt precandi formulam in Sacramento, qvod vocant, extremæ Unctionis uſurpari ſolitam, hac verborum formâ: *Per iſtam Vnctionem & piiſsimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid deliquiſti per viſum, per auditum, odoratum, tactum, guſtum.* Nos veluti Sacramentum extremæ Unctionis, à Pontificiâ Eccleſiâ approbatum, improbamus: Ita formulam precandi, hic uſurpari conſvetam, probare non poſſumus. Intelligimus itaque cum *Paræo*, Interpretibus Belgicis, & aliis precum nomine, qvæ fundendæ ſunt ſuper ægrotum, orationem qvæ apud ægrum, ipſo præſente & audiente, Deo offertur, hoc fine & ſenſu, velit Deus miſereri ægroti, & pro ſuo beneplacito eum reſtituere. Quo modo legimus *Eliam* oraſſe ſuper filium viduæ 2 Reg. 4 v. 32; *Chriſtum* ſuper Lazarum Joh. 11. v. 41; *Paulum* ſuper Eutychum Actor. 20. v. 9, cum eos è mortuis ſuſcitarent. Nec dubium eſt, qvin cum precibus, de vita & valetudine, conjuncta fuerit inſtitutio, de malorum & mortis cauſa, qvæ eſt peccatum; additâ etiam conſolatione de Chriſti gratia & liberatione per ipſum ab omni malo; unà cum adhortatione ad vitæ ſanctimoniam, ſi Deus vitam prorogare dignaretur. *Alterum Presbyterorum munus fuit Vngere oleo ægrotum.* De qvo ſeniorum officio, eâ, qvæ ſubjungetur, quæſtione agetur.

Qvartò qværitur: *Quid imperetur verbis, de ægrotis oleo ungendis in nomine Domini? Duæ* hic ſe offerunt *ſententiæ. Prior ſententia eſt Pontificiorum, qui hîc tradi volunt ordinarium extremæ unctionis Sacramentum, defenſum, inter alios, à Bellarmino libro de extrema unctione, Iodoco Coccio lib. 7, Svarez tom. 1. lib. 8, Valentiâ tom. 4. diſp. de Sacram: Maldonato de extrema unctione, & in Marc. cap. 6. Horantio 7. loco Catholico cap. 9. & Interpretibus Divi Iacobi, Salmerone, Fevardentio, Paezio, Iuſtiniano, Lorino, Cornelio à Lapide, Eſtio, aliis. Hujus Sacramenti geminam prædicant virtutem; videlicet remiſsonem peccatorum omnium, & corporalis morbi levationem, ſi ita expediat: ſin minus animæ ſalutem.* Firmamenta ſententiæ Pontificiorum, & attulimus & juſtâ diligentiâ refutavimus tom. 2. Syſtem Theol. artic. de Sacram: cap. 6. qvæſt. 2. pag. 2023. 2024. 2025: qvo lector remittitur, ne actum agamus. *Poſterior ſententia eſt Theologorum, tàm Lutheranorum, quàm Calvinianorum, quibus certum eſt, agere Divum Iacobum non de ordinario aliquo Eccleſiæ Sacramento, quod adhuc obtinere debet, ſed miraculoſo ſanationis dono.* Cui ſententiæ accedimus. Etenim ſcriptura meminit *geminæ unctionis: Altera eſt Spiritualis, altera eſt corporalis, quæ per oleum peragi debet in nomine Domini.* De *Vnctione ſpirituali* agit D. *Iohannes* 1. Epiſt: 2. v 20, quæ nihil aliud eſt qvam efficacia Spiritus Sancti, confirmanti & ſuſtentantis nos, ne adverſitatibus ſuccumbamus. A qvâ unctione vocamu-

mur Chriſtiani: Chriſtus enim, qvi Spiritu Sancto unctus eſt non ad menſuram Johan 3. v 34, ungit nos Spiritu conſolationis & lætitiæ Lucæ 4. v. 18, Act. 4. v. 27. & 10. v. 38. Hebr. 1. v. 9. 2. Corinth. 1. v. 1. 21. Rom: 8. v. 16. Et hanc unctionem tàm nos, qvàm adverſarii Pontificii admittimus & approbamus. Datur *Unctio*, qvæ eſt *externa*, tempore Chriſti & Apoſtolorum uſitata: qvam non ordinarium Eccleſiæ Sacramentum, ſed planè extraordinariam & miraculoſam ſanationem fuiſſe contendimus. Aſſertioni facimus fidem è collatione præſentis loci Jacobæi & hiſtoriæ Evangelicæ. Etenim in hiſtoria Jeſu Chriſti à *Marco* deſcripta diſertè dicitur & docetu cap. 6. v. 13, diſcipulos Dæmonia ejeciſſe, & oleo ægrotos inunxiſſe & ſanaſſe. Nec de alia inunctione ſermonem eſſe D. Jacobo, è verbis textus qvàm manifeſtiſſimum eſt. Nam Apoſtolo ſermo eſt de illâ inunctione, qvâ ἀσθενὴς ita inungitur, ut erigatur, & priſtinæ ſanitati reſtituatur. Quin & non obſcurè liqvet annotante *Chemnitio* in Concil. Trident. pag. 408, è tribus verbis, qvibus utitur Apoſtolus, ſermonem eſſe Apoſtolo de ſanitate corporis. Primum verbum eſt ἐγείρειν: qvod uſurpat Chriſtus, qvando decumbentes & lecto affixi ita reſtituuntur, ut ſurgere & incedere poſſint Matth. 9. v. 5. 6. 7. Marc. 9. v. 27. Lucæ 8. v. 54 Johan. 5. v. 8. Alterum verbum, ἰᾶσθαι, adhibetur inter alia in Nov. T. ad miraculoſæ ſanationis donum exprimendum, veluti legere eſt 1. Cor. 12. v. 9. Tertium deniq; verbum eſt σώζεσθαι: qvô non raro utitur Spiritus Dei in ſignificandis corporalibus ſanationibus Matth. 9. v. 22. Marci 5. v. 23. Lucæ 8. v. 36. Et qvis adducetur ut credat, Divum Jacobum unctionem ad alium transferre voluiſſe uſum, qvàm qvi à Chriſto præſcriptus & imperatus eſt Marci 6. v. 13? Quæ hîc diſputat Cornelius à Lapide, *An Maria virgo ſuſceperit extremam unctionem?* tanqvam inepta & indigna commemoratu, omitto.

Doctrina. Lecto affixus morbo, aut morti vicinus, ſollicitus eſto ut fidi paſtores tibi adſint, & preces pro te publicè fundantur. *Ezechiæ* ægroto & moribundo adeſt Eſaias, & ipſum fideliter inſtruit 2. Reg. 20. v. 1. 2. ſeq. Et qvis dubitare poteſt, qvin tum maxime opus ſit conſolatione, ubi ultima illa, & omnium periculoſiſſima decertanda eſt pugna?

V. 15. Καὶ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ Κύριος· κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκὼς, ἀφεθήσονται αὐτῷ.

V. 15. Et oratio fidei ſervabit laborantem, erigetque eum Dominus: Qui ſi peccata commiſerit, remittentur ei.

Hic primò qværitur: *Quæ ſit orationis Apoſtolicæ cohærentia? qui ſenſus?* Dictum fuit verſu præcedente, ægrotum ab advocato Presbytero ungendum eſſe oleo. Quo autem fructu & effectu id fieri debeat jam docet Apoſtolus, ſed ita, ut addat, qvod qvæ ſubjungentur effecta, non oleo, ſed precibus adſcribenda ſint. Εὐχὴν fidei qvando nominat Apoſtolus, precationem intelligit, è fide profectam. Nam qvi vult qvicqvam aut ſibi aut aliis à Deo impetrare precibus,

cibus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

cibus, in fide poſtulet neceſſe eſt, & non dubitet, Jacobi 1. v. 6. *Non ſine cauſa autem quæſiveris cur Apoſtolus meminit hoc verſu ſolius fidei, cum verſu qui proximè præceſsit, injecta ſit mentio junctim & unctionis & orationis?* Ejus autem rei *gemina* afferri poteſt *cauſa*. *Vna*; ut ſciamus exiguum fore unctionis uſum in ægroto reſtituendo, ubi deeſt fides. Nam ut curatio ſuccedat, debet tàm Medicus, qvàm patiens certò ſtatuere, Deum poſſe juvare. Nam absq; hac fide non ſuccedunt miracula Matth. 13. v. 58. Marc. 6. v 5. 6. *Altera cauſa*, ob qvam ſolius fidei meminit, citra unctionis mentionem, eſt hæc; qvod ſc: docere velit, qvod qvanqvam donum miraculoſæ ſanationis, per externam unctionem olei, non ſit in Eccleſia futurum perpetuum: Eccleſiæ tamen à Deo ſit relictum aliud medium, quo utetur in ægrotis curandis; & eſt oratio fidei, cujus qvæ ſit virtus & efficacia, luculenter explicat Apoſtolus, dum attexit duo precum, è fide vera fuſarum, effecta: quæ jam attingemus & explicabimus.

Secundò quæritur: *Quis ſit prior effectus orationis fidei?* Indicat id Apoſtolus, inqviens: Et oratio fidei σώσει κάμνοντα, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ Κύριος: Verba Græca ſunt ſignificantia. Σώσειν eſt ſalvum & incolumem præſtare, idq; vel mala avertendo, ne invadant: vel mala, quæ qvempiam invaſere, auferendo. Verbam autem κάμνειν uſurpatur etiam de morbis gravioribus, qvi omnes vires exhauriunt: unde ipſi mortui, *Platoni*, *Ariſtoteli*, dicuntur καμνόντες. Docere vult Apoſtolus, nullum eſſe morbum adeò gravem & periculoſum ac deploratum, cui depellendo oratio fidei par eſſe non poſſit. Cæterùm ne neſciamus, hanc σωτηρίαν adſcribendam eſſe precibus, ut medio, Deo autem, tanqvam cauſæ principi, uſurpat Apoſtolus hæc verba: *Erigetq; eum Dominus.* In Græco eſt verbum ἐγείρειν, qvod nativæ ſignificationis vi eſt expergefacere, excitare Jubet ergo Apoſtolus, ut tàm ægroti, qvàm Presbyteri, ab ægrotis accerſiti, oculos ad Deum attollant, tanqvam ad maximũ illum medicum, cui tam facilè eſt morbos deſperatiſſimos tollere, qvàm eſt facile hominem leni ſomno ſopitum excitare. Et veriſimile eſt, Div. Jacobum uſurpatione voculæ ἐγείρειν, reſpexiſſe ad hiſtoriam Evangelicam, qvæ teſtatur Chriſtum morbos deſperatiſſimos, imò mortem ipſam, vocis ἐγείρειν pronunciatione profligaſſe Marci 2. v. 9. 11. 12. & 10. v. 49. Lucæ 5. verſib. 23. 24. & 7. cap. verſu 14.

Tertiò qværitur: *Quis ſit alter effectus orationis fidei?* Enunciatur ab Apoſtolo noſtro his verbis: *Et ſi peccata commiſit remittentur ei.* Hoc non ſine cauſa qveſiveris: *Cur Apoſtolus hypotheticè dicat: ſi quis peccata commiſit?* Non certè poterit is loqvutionis ſenſus eſſe, inveniri homines ἀναμαρτήτους, nullâ peccati labe infectos: Hoc enim diſertè negat Dei ſpiritus 1 Joh. 1. v. 13. Alius itaq; hypotheticæ loqvutionis inveſtigandus eſt ſenſus. Scripturam qvando adimus & conſulimus, docet ea nos, qvod homines aliqvando gravia committant peccata, ob qvæ ſingularibus pœnis divinitùs affliguntur. Quâ de re legere eſt Johan: cap: 5. v 14. 1 Cor 10. v. 5. ſeq. & 1 Cor 11. v. 30. Talia itaqve peccata ſi commiſſa ſunt, Deus ægrotum non tantùm morbo liberabit, ſed etiam ipſa peccata, ob qvæ morbo ſingulari afflictus fuit, liberaliter condonabit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Quartò qværitur: *An alienæ fidei oratio remiſsionem peccatorum impetrare poſsit ægroto?* Sunt qvi putent, qvod aliena ſive fides, ſive oratio non ſerviat niſi corporalibus bonis impetrandis. Sed repugnat Scriptura Matth 9. v.2. 1 Johan 5. v.16. Non tamen id ita accipiendum eſt, qvaſi aliena fides, & oratio impetrare poſſit remiſſionem peccatorum, qvicqvid demum homo ille agat, pro qvo preces funduntur: ſed ſi converſionis media admittat & violenter à ſe non repellat. Nam noviuius qvomodo pii pro aliis, ſed reſipiſcentiæ media reſpuentibus, orarint, ſed nullo ſucceſſu. Vide 1. Sam: 16. v.1.2. Ezech: 14. v.14. 1. Johan. 5. v.16.

Doctrinæ. Morti qvi vicinus eſt, aliò non confugiet qvàm ad Deum. Fecit id *David* Pſal. 6. v.5 6. ſeq. fecit *Ezechias* 2 Reg. 23. v.24. ſeq. Solus enim Deus eſt qvi occidat & vivificet. Videat ægrotus ne pudeat ipſum operæ Presbyterorum & interceſſionis Sanctorum 1 Reg. 14. v. 1. 2. ſeq. aut ne in medicis & ope hominum potiùs, qvàm in divino auxilio & ſeriis ad Deum precibus ſpem collocet 2. Chron. 16. v.12. ſeq.

v. 16. Ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα, καὶ εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων, ὅπως ἰαθῆτε. Πολὺ ἰσχύει δέησις δικαίου ἐνεργουμένη.

v. 16. Confitemini invicem peccata, & precamini alii pro aliis, ut ſanemini. Multum valet deprecatio juſti efficax.

HIc primò qværitur: *Quis ſit Apoſtolicæ orationis nexus? Et quæ & qualis hic intelligatur confeſsio?* Nexus eſt planiſſimus: Nam affertur alterum monitum, qvo inſtruuntur ægroti, ut qvi non tantum accerſant Presbyteros, ut oleo inungantur, ſed etiam ut peccatorum confeſſionem edant. *Quæ* autem *& qualis intelligenda ſit confeſsio, non ſatis convenit inter ſcriptores ſacros. Tres* ſe offerunt *ſententiæ. Prima ſententia eſt Interpretum Pontificiorum, Paëzii, Lorini, Cornel. à Lapide, Iuſtiniani, Eſtii, Tirini, Menochii, aliorum, qui contendunt hîc ſermonem eſſe Apoſtolo de confeſsione Sacramentali: Nomine confeſsionis ſacramentalis intelligentes omnium & ſingulorum peccatorum enumerationem, quam adeò neceſſariam eſſe volunt, ut abſque hac homo ſibi remiſsionem peccatorum certò promittere non poſsit.* Qvæ eſt periculoſiſſima aſſertio, cujus veluti nullum extat aut mandatum aut exemplum, ſive in V. ſive in N. Teſtamento; ita cum manifeſta ſcriptura pugnat adverſa fronte. Qvis enim ſubductum tenere poterit peccatorum numerum? Nota ſunt hæc Spiritus Sancti effata Pſal. 19. v.13. *Delicta quis intelligit? A peccatis occultis emunda me.* Pſal. 38. v.5. *Iniquitates meæ ſunt transgreſſæ caput meum.* In oratione Manaſſis v.9. *Peccata mea plura ſunt, quàm arenæ maris.* Qvocirca ſi fruſtra ſperatur peccatorum remiſſio, niſi omnium & ſingulorum confeſſio edatur: qvis non de peccatorum remiſſione deſperabit? *Secunda ſententia eſt Calviniſtarum, qui privatam confeſsionem & abſolutionem minus probant. Et ne præſens locus D. Iacobi credatur ſervire ſtabiliendæ privatæ confeſsioni, Paræi & Interpretum Belgicorum, hoc loco, ſive reſponſio ſive eluſio eſt, verba Apoſtoli reſtrictius intelligenda eſſe de mutua deprecatione offenſarum, & de fraterna reconciliatione*

ne

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

ne fidelium, ut qui alios forte læſerunt, culpam agnoſcant & deprecentur fratres læſos, ad cauendas ſimultates, & ad ſervandam Chriſtianam concordiam juxta ſententiam Chriſti Matth.5.v.23. Verum adverſatur ipſe contextus, vel obiter inſpectus. Nec enim ἐξομολογεῖσθε eſt culpam deprecari, ſed confiteri. Vnde de peccatorum confeſſionibus, depoſitis apud ſacras perſonas, tritiſſimæ loqvutiones ſunt: ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας Matth.3.v.6 Marc.1.v.5. Actor.19.v.18. Nec ἐξομολόγησις eſt culpæ deprecatio, ſed, Interprete Suidâ, ἐξήγησις τῶν βεβιωμένων, rerum in vita geſtarum narratio. Inter qvos vero debeat hæc eſſe confeſſio, liqvet è textus cohærentia. Nam Presbytero edenda eſt Confeſſio: Hic enim, jubente Apoſtolo, advocandus eſt. Et praxis Eccleſiæ firmat ſententiam de privata peccatorum confeſſione, veluti jam oſtendemus. Fruſtra opponitur loqvutio: ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις: Nam hac loqvendi formâ aliud non ſignificatur, qvàm alios aliis confiteri debere: hoc eſt, homines hominibus iſtis, qvibus divinitus eſt commiſſa poteſtas remittendi peccata. Nam voce ἀλλήλοις aliud non indicari, docebit collatio locorum Roman.15.v.7 Epheſ 5.v.21. 1.Petr.4.v 9. *Tertia ſententia eſt Eccleſiarum Lutheranarum, quæ probant ingenuam peccatorum confeſſionem, coram verbi divini miniſtro editam, eamq; non tantum generalem, qua univerſe fatemur nos eſſe peccatores; ſed etiam particularem facti alicujus confeſſionem, potiſſimum ubi aut gloria divina, aut afflicta conſcientia, conſolationis indiga, aut proximi, injuriâ affecti, aut ſcandalo læſi utilitas id popoſcerit.* Mandatum talis confeſſionis extat Ioh. 20.v.23. Matth.18.v.17. & exempla inveniuntur 2.Reg.12. Matth.3.v.6 Lucæ 19.v 8. Actor.19.v.18.

Deinde qværitur: *Quid ſibi velint verba:* εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων, ὅπως ἰαθῆτε. Πολὺ ἰσχύει δέησις δικαίου ἐνεργουμένη? Qvanqvam omnibus ac ſingulis dictum ſit, ut alii pro aliis orent Epheſ.6.v..81..Timoth.2. v.1.2; tamen hoc munus precandi & intercedendi pro aliis, Preshyteris Eccleſiæ potiſſimum incumbit. Hiſtoria enim ſacra ſatis docet, ſollicitatos eſſe præ cæteris Prophetas, Apoſtolos & verbi miniſtros, ut in magnis afflictionibus apud Deum de mitigatione malorum precibus ſuis ardenter inſtarent, veluti videre 4. Reg.16.v.12.ſeq: Ierem.15.v.1.ſeq: & 42.v.2.ſeq: Explicationem firmant hæc D. Iacobi verba: *Multum valet deprecatio juſti* ἐνεργουμένη. Vbi diligenter expendendum eſt, *cur Apoſtolus diſertè meminit deprecationis juſti?* Ejus rei cauſa non eſt, qvod exauditionem precum ſuperſtruere oporteat noſtræ dignitati & ſanctitati, contra monitum Prophetæ Danielis cap.9.v.7; ſed Apoſtolus noſter diſerte facit mentionem precum juſti: partim qvia Deus peccatores ἀμετανοήτους non exaudit Eſa.1.v.15. Iohan 9.v.31, partim qvia oportet ut ſit juſtus, id eſt, cor fide purgatum habeat, qvi qvidqvam precibus ſuis à Deo impetrabit Actor.15.v.9. Iacob 4.v.8. & 1.v 6; tum deniq; qvia dici non poteſt, qvanti faciat Deus preces, ab homine pio & juſto fuſas Gen. 18. v. 32; inprimis eo qvi publico docendi munere fungitur Iac.5.v.17.18. Pondus inde accedit orationi Apoſtolicæ non exiguum, qvod reqviritur ut *oratio ſit* ἐνεργουμένη. Non

neſci-

neſcivit Apoſtolus, qvantus ſit in nobis torpor, ubi preces fundendæ ſunt. Qvem ut excutiat nobis, jubet ut precatio ſeu δέησις, id eſt, oratio, qvâ ſubvenimus alienæ indigentiæ (δέεσθαι enim eſt indigere) ἐνεργουμένη ſit, hoc eſt, ardens & efficax. Tum demum verò cenſenda eſt oratio noſtra ἐνεργουμένη, ubi & ardentiſſimo ſpiritus fervore precamur, & malis alienis non minùs qvàm noſtris afficimur, exemplo *Chriſti* Iohan. 11. v. 32. 33.

Doctrinæ. Precibus noſtris ut id, qvod petimus, ſive pro nobis, ſive pro aliis, certò impetremus: debent è fide proficiſci, aliàs nihil impetratur Rom. 14 v. 23, nec non qvi eas fundit, vitæ integritati & ſanctitati ſtudebit Iohan. 9. v. 31. Eſa. 1. v. 15. ſeq: amore etiam proximi ardebit, qvi precatur Proverb. 12. v. 13. Matt. 5. v. 23. 24, precatio denique erit ardens Pſal. 123. v. 2. & continua Luc. 14. v. 1. 2. ſeq: 1. Theſſ. 5. v. 17.

v. 17. Ἠλίας ἄνθρωπος ἦν, ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν, καὶ προσευχῇ προσηύξατο τοῦ μὴ βρέξαι· καὶ οὐκ ἔβρεξεν ἐπὶ τῆς γῆς ἐνιαυτοὺς τρεῖς καὶ μῆνας ἕξ.

v. 17. Elias homo fuit, iisdem qvibus nos affectibus obnoxius, & precando precatus fuit, ut non plueret. Et non pluit ſuper terram tribus annis & ſex menſibus.

v. 18. Καὶ πάλιν προσηύξατο, καὶ ὁ οὐρανὸς ὑετὸν ἔδωκε, καὶ ἡ γῆ ἐβλάστησε τὸν καρπὸν αὐτῆς.

v. 18. Et rurſus precatus eſt, ac cœlum dedit pluviam, & terra protulit fructum ſuum.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus?* Vterq; planiſſimus eſt. Dixit verſu, qvi proximè præceſſit, qvòd vix diei poſſit, qvantum valeat deprecatio juſti ἐνεργουμένη. Qvod verè dictum fuiſſe, *Eliæ* exemplo efficaciſſimè evincit. Qvid enim magis ſtupendum eſſe poteſt, qvàm cœlum precibus hominis ſubjici, ita ut ad Eliæ nutum cœlum qvodammodo & claudatur & aperiatur. Sancitum qvidem eſt ſemel à Deo, ut cœlum miniſtret pluviam, terræ irrigandæ neceſſariam, & ut terra ſtatis anni temporibus optatos fructus proferat & producat. Qvâ interim naturæ lege non impediente, cœlum ad preces Eliæ integrum triennium, & qvod excurrit, negat terræ pluviam, & terra, pluvia non fœcundata, negat hominibus ſolitos fructus. Vnde liqvet, qvanta ſit precum fervidarum, ab homine juſto fuſarum, virtus & valentia. Qvid enim homini, ſeriò precanti, difficile factu erit, ſi dominari poteſt naturæ, ita ut pro arbitratu poſſit & famẽ immittere terræ, & terram fœcundare pluvià, cœlitus precibus impetratã? Qvod ad preces Eliæ factum eſſe, fusè narratur 3. Reg. 17. & 18, repetitũ à Chriſto Luc. 4. v. 25: Verbo ſubmoneo, loqvutionem, προσευχῇ προσηύξατο, ab Ebræis mutuo acceptam eſſe; qvâ precũ ardens fervor indicatur. Nam ejusmodi geminatio augendi vim habet apud Ebræos. Sic *moriendo mori*, eſt omnino mori Geneſ. 2. v. 17, *Comedendo comedere*, eſt, libere comedere Gen. 1, 10; *diſcerpendo diſcerptum eſſe*, eſt, certò diſcerptum eſſe Geneſ. 37. v. 33. *vivendo vivere*,

eſt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

eſt, omnino vivere 2. Reg 8. v. 10, *videndo videre*, eſt clarè & indubitato videre Exod. 3. v. 7. Act. 7. v. 34. Nec eſt hæc geminatio planè inſolens, probatis ling: Græcæ ſcriptoribus: Nam *Luciani* loqvutio eſt: Ἰδὼν εἶδον, & Æſchyli; βλέποντες ἔβλεψον.

Secundò qværitur: *Cur Apoſtolus, adſtructurus exemplo Eliæ precum efficaciam, Eliam appellet ὁμοιοπαθῆ? & quid hac voce ſignificetur?* Objicere non incommodè potuiſſet qviſpiam D. Iacobo, qvod ab efficacia precum *Eliæ* ductũ argumentum non ſtringat. Eliam enim fuiſſe magnum Prophetam, cui alii homines, donis & ſanctitate impares, æqviparari non poſſunt. Obicem hunc amoturus Apoſtolus, monet, *Eliam* hominem fuiſſe ὁμοιοπαθῆ ἡμῖν. Qvâ unâ voce univerſam difficultatem expedit. Verum qvidem eſt, Eliam ſummo gloriæ divinæ propagandæ zelo arſiſſe: ſed & hoc etiam verum eſt, *Eliam* ſua laboraſſe infirmitate. Ecqvid enim aliud eſt, Eliam fuiſſe ὁμοιοπαθῆ ἡμῖν, qvàm *Eliam* iisdem infirmitatibus & affectibus obnoxium fuiſſe, qvibus alii homines laborant. Huc enim ducit nativa ſignificatio vocis, qvâ *Ariſtoteles* uſus eſt in Ethicis: nam loqvens περὶ ἡλικιωτῶν, dicit, qvòd ſint ὁμοήθεις καὶ ὁμοιοπαθεῖς ὡς ἐπιπολύ. Sic Actor. 14. v. 15. *Barnabas* & *Paulus* dicebant Lyſtrenſibus: καὶ ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμὲν ὑμῖν ἄνθρωποι. Docere vult Apoſtolus Iacobus, exauditionem precum Eliæ, non eſſe adſcribendam meritis Eliæ, ſed divinæ promiſſioni, de exaudiendis piorum precibus.

Tertiò qværitur: *Adverſeturne D. Iacobus ſcriptori divino, qui adornavit libros Regum, è quibus hæc de Elia hiſtoria petita eſt?* Nam, referente Scriptore libri primi Regum cap. 18. v. 21, non niſi triennium hæc ſiccitas duravit; noſter verò Apoſtolus triennium iſtud auget ſex menſibus. Sed nulla hîc eſt pugna. Nec enim ſcriptor libri Regum meminit præciſe triennii, ſed triennii & pluſculorũ dierum, qvi qvot fuerint, in V. T. non invenitur ſcriptum: *Chriſtus* verò Luc. 4. v. 25. & D. *Iacobus* hoc loco, clarè docent, qvòd dies iſti, qvi fluxerũt ultrà triennium, durante illâ ſiccitate, ſex menſes compleverint. Verbo indico; verba Iacobi: *non pluiſſe ſuper terram tres annos & ſex menſes*; haud ita intelligenda eſſe, qvaſi univerſalis per totum terrarum orbem fuerit ſiccitas, ſed reſtricte accipienda ſunt, de terra Iſraëlitica, qvam Deus triennali ſiccitate ob peccata domus Achabi afflixit, rectè annotantibus *Interpretibus Belgicis*.

Doctrina. Aſſidui ſimus in precibus, permoti eorundem efficaciâ; qvam plane admirandam eſſe, liqvet non modò exemplo *Eliæ*, cœlum claudentis & aperientis, ſed etiam *Ioſuæ*, qvi ſolem precibus ſuis ſtare fecit immobilem Ioſv. 10 v. 13; *Ezechiæ*, qvi ſolem retrogardi fecit Eſa. 38. v. 9, & *Eliſæi*, Angelos è cœlo evocantis 2. Reg 6. v. 17. Et qvod omnium maximum eſt, tanta eſt precum vis & virtus, ut Deum ipſum, ad iram accenſum, non modo placare, ſed etiam qvaſi vincere poſſint: qvod eſt manifeſtum, è lucta *Iacobi* cum Angelo illo magno, Deo & homine Geneſ. 32. v. 24. 25. ſeq. & Dei ad *Moſen* alloqvio Exod. 32. verſ. 10.

Sic fuit Parænefis XII.

PARÆNESIS XIII.
& ultima.

De fratribus, à veritate aberrantibus, in rectam & regiam viam reducendis, v. 19. 20.

V. 19 Ἀδελφοὶ, ἐάν τις ἐν ὑμῖν πλανηθῇ ἀπὸ τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπιστρέψῃ τις αὐτόν.

V. 19. Fratres, ſi qvis inter vos aberrarit à veritate, & converterit qviſpiam ipſum.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus?* Uterq; manifeſtiſſimus eſt. Dixit proximè Apoſtolus, fratres infirmos & peccato onuſtos juvandos non tantùm miraculoſa inunctione; ſed etiam ſeriis ad Deum precibus. Ne verò quis putet, non niſi lecto affixos precibus juvandos eſſe, monet Apoſtolus, qvod hoc precum & ſalutaris inſtitutionis officium debeatur omnibus & ſingulis, qvi à veritate aberrarunt.

Secundò quæritur: *Qui cenſendi* πλανᾶν ἀπὸ τῆς ἀληθείας? Verbum πλανᾶν emphaticum eſt: Nam propriè de his uſurpatur, qvi à rectâ viâ abducti, vagabundi oberrant. Unde *Homero* eqvi dicuntur πλανάοντες, ubi currunt vagabundi, & currus non audit habenas, qvod ait Poëta. De re ut agamus: A veritate aberrat, non tantùm qvi falſas & fanaticas ſententias, verbo divino extremè adverſantes, animo periculoſè fovet: ſed etiam qvi vitam non traducit agnitæ veritati conformem. Qvod ſi ergo contigerit hominem, ſive illo, ſive iſto modo aberrare; ſedulò danda eſt opera, ut errans frater in viam rectam revocetur.

Tertiò qveritur: *Quid ſit hominem à veritate aberrantem* ἐπιστρέφειν? E lingvæ Græcæ Scriptoribus, *Herodiano*, *Luciano*, *aliis*, notum eſt, verbum ἐπιστρέφειν de his propriè uſurpari, qvi ulteriùs progredi recuſantes, converſo corpore & facie pedem referunt. Qvocirca qvando Apoſtolus jubet, nos ἐπιστρέφειν errantem fratrem; hoc unicè agit & urget, in eo toti ut ſimus, qvò qvi hactenus injuſtitiæ & mendacio ſervierunt, averſi à Deo, greſſu velut in contrarium mutato, appropinqvent Deo: qvod ſcriptura aliàs vocat converti à tenebris ad lucem, & à poteſtate Satanæ ad Deum.

Doctrina. Crebra eſt Spiritus divini monitio, ut circa fratres errantes, in rectam viam reducendos, ſeriò & ſedulo occupemur. Deus certè vult, ut vel inimici bovem & aſinum, à viâ aberrantem, in viam revocemus, Exod. 23. v. 4; qvantò magis tenemur locare erranti fratri operam, ut in viam redeat. Vide qvæ in hanc ſententiam diſſerit *Chriſtus* Matth. 18, v. 15, ſeqventibus, & *Paulus* Galat: 6. verſu 1. ſeqvent.

V. 20.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

V. 20. Γινωσκέτω ὅτι ὁ ἐπιστρέψας ἁμαρτωλὸν, ἐκ πλάνης ὁδοῦ αὐτοῦ, σώσει ψυχὴν ἐκ θανάτου, καὶ καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν.

V. 20. Sciat, quod qui averterit peccatorem, ab errore viæ ſuæ, ſervaturum animam à morte, & obtecturum multitudinem peccatorum.

HIc primò qværitur: *Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus?* Planiſſimus eſt. Nam qvoniam non ignoravit Apoſtolus, rem eſſe operoſam & præſtitu difficilem, reducere hominem errantem in rectam viam; affert *geminum fructum* adeo laborioſi operis, ut in fratrum errantium converſionem eò libentius incumbamus.

Secundò quæritur: *Quis ſit prior fructus, qui promanat è labore, qui impenditur converſioni fratris?* Indicat id Apoſtolus his verbis: *Servabit animam à morte.* Nominatur qvidem anima, ſed ita, ut non excludatur corpus. Nam animâ ſalvâ de corporis reſtitutione dubitare non licet. Sic & *Petrus* nominat σωτηρίαν ψυχῶν 1 Epiſt. 1. v. 9. Præclarum certè opus, & qvo majus nominari non poteſt: Si enim Chriſtus hos operosè commendaturus eſt in extremo die, qvi eſurientem cibârunt, ſitientem potarunt Matt. 25. v. 34. ſeq. qvantum tibi ſtatuet pretium, qvi animam errantis fratris ſervaſti? Quid enim eſt ſalus corporis, collata cum ſalute animæ Matth. 10. v. 18. & 16. v. 20. Cæterùm, *ut anima à morte ſervetur*, neceſſe eſt ut mentis ignorantia pellatur Johan: 17. v. 3, cordis durities tollatur Ezeh: 11. v. 19, totus deniq; homo ſe juſtitiæ & ſanctitati dedat Eph 4. v. 20. ſeq. Nemo autem credet, Jacobum excedere modum laudando laborem qvi impenditur fratrum converſioni, dum qui convertunt fratres, animas ſalvare dicuntur. Etenim non tantum hæc eſt *Iacobi*, ſed etiam *Pauli* clara aſſertio qui inquit 1 Tim: 4. v. 16: *Intentus eſto tibi ipſi & doctrinæ, & permane in iſtis: id enim ſi feceris & teipſum ſervabis & eos qui te audiunt.*

Tertiò quæritur: *Quis ſit poſterior fructus laboris, qui fratris converſioni inſumitur?* Indicat id his verbis Apoſtolus: *Et operiet multitudem peccatorum.* Diſputant Interpretes, *quorum obtegantur peccata. Tres* ſe offerunt *ſententiæ. Prima ſententia eſt Syri Interpretis, & Zachariæ Papæ Epiſt. 1. ad Bonifacium, & Bedæ qui referunt ad peccata convertentis alium, quæ volunt hoc converſionis opere obtegi. Secunda ſententia eſt Salmeronis, Lorini, Cornelii à Lapide, qui verba adducta extendunt ad peccata tàm convertentis, quàm converſi: Nam & illius & iſtius peccata hoc converſionis opere obtegi volunt. Tertia ſententia eſt Paræi, Eſtii, Interpretum Belgicorum, qui ad ſolius converſi peccata reſtringunt.* Qvam ſententiam, ordine ultimam, probamus: qvia orationis Apoſtolicæ cohærentia huc ducit. Nam ejus peccata obteguntur, cujus anima à viâ erroris revocatur: Iſta namq; duo particulâ copulante, καὶ, junguntur. Certius autem eſt, qvàm ut negari poſſit, animam ejus, qvi convertitur, ſervari à morte.

Qvartò quæritur: *Ad quod Scripturæ dictum alludat Apoſtolus his verbis: Operiet peccatorum multitudinem? Et quo ſenſu, qui animam convertit & ſalvat, multitudinem peccatorum operiat? Cornelii a Lapide, Paræi, Eſtii, Interpretum Belgicorum.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

gicorum, & prope omnium, ſententia eſt, reſpicere Apoſtolum noſtrum ad verba hæc, qvæ extant Prov. 10. v. 12: *Charitas omnia peccata operit.* Ego huic ſententiæ non facile acceſſero: tùm qvia D. Jacobus non meminit charitatis, operientis peccata, qvod facit Petrus 1 Epiſt. 1. v. 24; tùm qvia alio modo operit charitas peccata, alio is, qvi animam convertit. Nam Charitas non aliter operit peccata, qvàm patienter ferendo, excuſando, extenuando, benignè interpretando errata, Interprete Paulo 1 Cor. 13. v. 5. 6. 7. At qui animam miniſterio verbi divini convertit, hic longè eminentiore modo multitudinem peccatorum obtegit. Nam prædicatione pœnitentiæ, & annunciatione redemptionis, factæ per Jeſum Chriſtum, efficit, ut peccata ita operiantur, ut verè condonentur & ampliùs non imputentur, ſed tollantur. In qvem finem citamus hæc divinarum ſcripturarum teſtimonia. Pſal: 19. v. 8: *Doctrina Iehovæ integra eſt, reſtituens animã.* 1 Tim: 4. v. 16: *Intentus eſto doctrinæ, & permane in iſtis: id enim ſi feceris, & teipſum ſervabis, & eos qui te audierint.* Act: 2. v. 38: *Reſipiſcite & baptizetur unusquisq; veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionem peccatorum.* Act. 3. v. 19: *Reſipiſcite & convertite vos, ut deleantur peccata veſtra,* Actor: 13. v. *Notum ſit vobis fratres, annunciari vobis per Chriſtum remiſsionem peccatorum.* Joh. 20. v. 27: *Quorum remiſeritis peccata, eis remiſſa erunt.* Hinc liqvet, qvòd qvi animam errantis convertit, ſalvat à morte & operit miniſterio verbi peccatorum multitudinem dùm reſipiſcentiam ſvadet, fidem in Chriſtum urget, & reſipiſcenti ac in Chriſtum credenti remiſſionem peccatorum annunciat.

Doctrinæ. Seduli ſint verbi divini miniſtri in animabus errantium in regiam veritatis & pietatis viam reducendis, memores, tùm præmii ampliſſimi, qvod hos manet, qui hìc ſuis partibus decenter funguntur Dan. 12. v, 3, tùm pœnarum graviſſimarum, qvas incurrunt, qvi in hanc curam negligentiùs incumbunt Ezech. 33. verſu 7. ſeqventibus.

Tu, ô JESU CHRISTE, animas noſtras converte; veſte ſanctitatis tuæ noſtram nuditatem contege; & ſangvine tuo peccata noſtra dele. Tibi cum Patre & Spiritu Sancto ſit gloria ſempiterna. Amen.

COMMENTARII IN EPISTOLAM D. JACOBI FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Index Quæſtionum, quæ hoc in D. JACOBI Epiſtolam Commentario expenduntur & expediuntur.

IN Canonicam & Catholicā D. Iacobi Epiſtolam Prolegomena pag. 1
Sectio I. Quæ & quanta ſit Epiſtolæ Jacobeæ Authoritas? 1. 2. ſeq.
Sectio II. Quis ſit Scripti hujus verus auctor? 11.
Sectio III. An recepta Bibliorum in capita & verſus diſtinctio antiqua ſit, an verò recens excogitata; & quando, & à quo, & quo bono introducta? Et an quæ in Epiſtola Jacobi hodiè legitur in Capita diſtributio, piſcis Græcorum Patrum Exemplaribus reſpondeat?. 12. ſeq.
Sectio IV. Ebræa ne an Græcâ linguâ ſcripta ſit hæc D. Jacobi Epiſtola? 19.
Sectio V. Quota ſit ordine Epiſtola Jacobæa inter Epiſtolas Canonicas? 19.
Sectio VI. Qui Interpretes hanc Epiſtolam commentario illuſtrarint ſive breviore, ſive diductiore. 20.
Sectio VII. Quæ ſcripti Jacobæi occaſio, quæ utilitas, quod Argumentum, quæ diviſio? 21. 22.
Sectio VIII. & Ultima; Qua de cauſa hæc Jacobi Epiſtola cum duabus Petri & tribus Johannis & unâ Judæ Epiſtolis appelletur Catholica & Ἐγκύκλιος? 23.

CAPUT PRIMUM.

v. 1 Argumentum & partitio Capitis 25.
Quis ſcribat Epiſtolam? 25. ſeq.
Quibus S. Jacobus inſcribat Epiſtolam? 27.
Quid his, quibus ſcribitur, ſcriptionis Auctor precetur? 28.
Doctrinæ 29.
Paræneſis I. De tentationibus patienter ferendis v. 2. ob multiplicia, quæ indè proveniunt, commoda v. 3. 4. additâ commonefactione, undè hæc patientiæ Conſtantia petenda ſit, videlicet à Deo v. 5. ſed ſine hæſitatione, ac cum certa fiducia exauditionis v. 6. 7. 8. 29.
v. 2 Quis ſit inſcriptionis & præſentis paræneſeos nexus? 30.
Quid nomine tentationum veniat intelligendum 30
Quinā ſint ποίκιλοι iſti πειρασμοὶ, quorum meminit Apoſtolus? 30
Quid ſit περιπίπτειν ποικίλοις πειρασμοῖς? 31
Cur jubemur varietatem iſtam tentationum pro ſummo ducere gaudio? 31
Doctrinæ 31
Quis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus? 31 v. 3
Qui ſit prior ille tentationum fructus, qui gaudium in tentatis excitabit & accendet? 31
Qui ſit poſterior tentationis fructus, quem promit Apoſtolus, excitaturus in Afflictis ſpiritualem gaudium? 32
Adverſetur nè Jacobus Paulo? 33
Doctrinæ 33
Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus? 34 v. 4
Quid ſibi velit Apoſtolus, quandô inquit: ὑπομονὴ ἔργον τέλειον ἐχέτω? 34
Quo ſenſu patientia nos præſtet τελείους? 35
An patientia ſiſtat nos coram tribunali Dei perfectos, integros & à peccato

incorruptos? 35

Qvo ſenſu patientia præſtet nos ὁλοκλήρους? 36

Quid ſit. Patientiam efficere, ut ſimꝰ ἐν μηδένι λειπόμενοι? 36

Doctrinæ 37

v. 5 Quomodo hic verſus cum verſibus, qvi præceſſēre cohæreat 37

Qvæ & qvalis ſit ſapientia, qvæ reqviritur, ut tentationes æqvo animo ſufferamus? 37

Cur Jubeat Apoſtolus ut hanc ſapientiam à Deo petatur, cui ea deeſt? 38

Undè conſtare nobis poſſit, quod Sapientiàm patientèr ferendi adverſa, à Deo peritam, certò ſimus impetraturi? & quid ſit, Deum dare omnibus ἁπλῶς, nec ὀνειδίζειν? 38 39.

Doctrinæ 40.

v. 6. Quis ſit orationis Apoſtolicæ nexus? 40

Quis in fide petere & precari cenſendus ſit? 40

Quid ſit precantem μηδὲν διακρίνεσθαι? 40

Cur nihil impetremus precibus, quæ fluctuante animo, & corde vacillante funduntur? 41

An ex hoc loco evincatur, quod nos precari oporteat cum exauditionis fiducia? 41

Doctrinæ 42

v. 7. Quæ ſit Orationis Apoſtolicæ συνέπεια? 43

Quâ veritate dicatur, quod qui dubitat, ne tantillum impetret aut accipiat? 44

v. 8. Doctrinæ 43

Quis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus? 44

Quid ſit δίψυχον eſſe? & quo ſenſu is, qui fluctuante animo quicquam à Deo petit, δίψυχος dicatur? 44

Quid ſit ἀκατάστατον eſſe? & quo ſenſu is vocetur ἀκατάστατος, qui de divino in adverſis auxilio certus ac ſecurus non eſt? & undè ſit hæc ἀκαταστασία? 45

Cur δίψυχος dicatur in omnibus ſuis viis ἀκατάστατος? 45

Doctrinæ 46 v. 9.

Quomodò hic verſus cum iis quæ præceſsêre cohæreat? 46

Qui nomine ταπεινῶν veniant intelligendi, & quo ſenſu jubeat Apoſtolus ut humiles in ſublimitate ſua glorientur? 47

Quâ veritate afflictæ ſortis homines, in ſublimitate ſua jubeantur lætari, cum inter afflictiſſimos iſtos & dejectiſſimæ ſortis homines inveniantur non pauci, qui ſublimitate hac, quod ſint filii Dei, nullo jure gaudere poſſint? 47

Doctrinæ 47. 48 v. 10

Πλουσίων nomine qui veniant intelligendi, & quo ſenſu dives in ſua humilitate gloriari debeat? 48

Doctrinæ 49

Cur hanc vitæ humanæ brevitatem & v. 11
fragilitatem Jacobus ad Divites reſtringat; cum ſimilitudinem à momentanea florum duratione deſumptam, Spiritus Dei ad omnes omninò homines extendat? 49

Doctrinæ 50

Quis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus? v. 12 50

Quid ſit ὑπομένειν πειρασμὸν? 50

Quid voce μακάριος propriè ſignificetur? 51

Quo nomine prædicetur beatus, qui tentationibus undiquaq; premitur? 51

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

An Corona vitæ, promiſſa his, qui tentationes viriliter perferunt, meritum Operum adſtruat? 52
An quibusvis, adverſitates varias ſuſtinentibus, vitæ Corona divinitùs promiſſa ſit? 52
An quia Deus promittit diligentibus ipſum coronam vitæ æternæ, indè rectè inferant Pontificii, vitam æternam eſſe charitatis meritum? 53
Doctrinæ 53
Paræneſis Secunda, quâ dehortatur Apoſtolus lectorem ab ea blaſphemia, quâ nonnulli ſua peccata tranſcribunt Deo, à verſu 13 usq; ad v. 18. 54
v.13 Quomodô hæc paræneſis cum præcedente parœneſi, de cruce tolerantèr ſuſtinendâ, cohæreat? 54
Quâ vel ſpecie veri dicat Apoſtolus, nòn tentari quenquam à Deo? 54
An de ſolis internis tentationibus hic agat Apoſtolus? 54
Quinam fuerint impudentes iſti hæretici, qui Deum cauſam peccatorum conſtituerint, hîc ab Apoſtolo redarguti? 54
Quid ſibi velint hæc verba; ὁ γὰρ Θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν? 55
Anne S. Jacobus, dum contendit Deum eſſe ἀπείραστον κακῶν, nec tentare ad malum. hac aſſertione adverſetur ſcripturæ? 56
Doctrinæ 56
v.14 Quis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus. 56
& quid nomine concupiſcentiæ hic ſignificetur?
Quo ſenſu Concupiſcentia ſtatuatur ab Apoſtolo omnis mali cauſa? 56
Qua veritate dicat Apoſtolus, unumquemq; tentari à propriâ concupiſcentia? 57
Quo artificio utatur Concupiſcentia nos ſeductura? 58
Doctrinæ 58
Quæ ſit Orationis Apoſtolicæ connexio? v.15 59
Quid ſit concupiſcentiam συλλαβεῖν? 59
Quo ſenſu Concupiſcentia dicatur parere peccatum? & an indè concludi verè poſſit, Concupiſcentiam nòn eſſe peccatum? 59
Quid ſit ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα? & an hæc ſola generet mortem? 60
Doctrinæ 61 v.16
Quis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus? & quæ in verbo πλανᾶσθε emphaſis? 61
An Lutherani præter meritum impingant Calvinianis errorem, quem S. Jacobus hîc damnat? 61
Doctrinæ 62
Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohærentia? & quomodô Apoſtolus indè colligat, quod Deus non tentet quenquam ad malum, quod ab ipſo ſit πᾶσα δόσις ἀγαθὴ; & πᾶν δώρημα τέλειον? v.17 63
Cur Apoſtolus δόσις & δώρημα diſtinctè ponat? 63
Qvid ſit omne donum bonum & perfectum ἄνωθεν eſſe? 64
Quo ſenſu Deus dicatur πατὴρ φώτων? 64
Qvo ſenſu & quâ veritate dicat Apoſtolus, apud Deum non eſſe παραλλαγὴν aut τροπῆς ἀποσκίασμα? 66
Doctrinæ 67
Quis ſit hujus verſus cum iis quæ præceſsère nexus? v.18 67
Qvo ſenſu Deus dicatur genuiſſe nos βουληθεὶς? 67
Qvalis hic intelligatur generatio? 68

Qvid Apoſtolus per λόγον ἀληθεί-
ας, quo Deus tanquam organo nos re-
generat, velit intellectum? & cur E-
vangelii doctrina ſingulariter appel-
letur Veritatis doctrina? 68
Cur Apoſtolus homines vocet τὴν
ἀπαρχήν τινα τῶν κτισμάτων,
primitias quasdam Creaturarum? 69
Doctrinæ 70
Parænesis Tertia, quâ promit Apo-
ſtolus 4. media, cœpto regeneratio-
nis Operi feliciter continuando ap-
primè ſervitura: & eſt (1.) verbi di-
vini auditio v. 19. (2.) meditatio, ver-
ſu eodem (3.) fuga iræ ac damnatio-
nis v. 19. 20. (4.) ſerium peccata vi-
tandi ſtudium v. 21. opere ipſo de-
claratum à v. 21. ad verſum 26.
v.19. Qvæ ſit hujus verſus & præcedaneæ o-
rationis Apoſtoli connexio? 70
Quo ſenſu requirat Apoſtolus à quo-
vis homine ut ſit velox ad audiendum?
& quæ in voce ταχὺς hic lateat Em-
phaſis? 71
Quid ſibi hic velit tarditas ad loquen-
dum, Secundum conſervandæ regene-
rationis medium? 71
Quo ſenſu Apoſtolus tarditatem ad
iram hic requirat tanquam tertium
conſervandæ regenerationis medium?
71
Doctrinæ 71
v.20 Quis ſit Orationis nexus? 72
Quid deſignetur loqvutione iræ viri?
72
Qvo ſenſu Ira viri non operetur juſti-
tiam Dei? 72
Doctrinæ 73
v.21 Qvæ ſit textus cohærentia? 73
Cur D. Jacobus, ſvaſurus ut peccatis
nuntium remittamus, jubeat ea depo-
namus? 73
Qvid ſit ρυπαρία, cujus meminit A-
poſtolus? 74
Qvid per περισσείαν κακίας intel-
ligatur? 74
Qvomodò verti debeat ἔμφυτος
λόγος, & qvid per eum ſignifice-
tur? 74
Qvo ſenſu doctrina Evangelii qvæ eſt
mediũ illud, qvo regeneramur, voce-
tur λόγος ἔμφυτος? 75
Qvid ſibi velit Apoſtolus, qvandò ju-
bet ut hoc verbum ἐν πραΰτητι ad-
mittamus? 75
Qvo ſenſu verbum Dei animas ſalva-
re dicatur? 76 v.22
Doctrinæ 77
Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus?
77
Qvo ſenſu jubeamur eſſe factores ver-
bi & non ſaltim auditores? & qvid ſit
παραλογίζεσθαι ἑαυτὸν? 77
An ex adductis ab Apoſtolo verbis
certò colligatur, errare noſtras Eccle-
ſias, qvæ docent, fidem in Jeſum ſo-
lam ſufficere ad ſalutem? 78 v. 23
Doctrinæ 78
Qvæ ſit hujus verſus cum præcedanea
Oratione cohærentia? 79
An certa de cauſa Apoſtolus ſimili-
tudinem ſumat non à muliere, ſe in
ſpeculo contemplante, ſed à viro? 79
Qvid per πρόσωπον γενέσεως in-
telligatur? 79
Qvæ ſit illa nativitatis noſtræ facies, v.24
qvam in verbo divino, tanquam ſpe-
culo, contemplamur?. 80
Doctrinæ 80
Quis ſit Apoſtolicæ Orationis nexus?
qvi ſenſus, qvæ ſententia? v.25
80
Doctrinæ 80
Qvomodo hic verſus cum præcedente
nectendus ſit? 81
Qvid ſignificetur lege libertatis per-
fectâ, & qvid ſit in hanc ipſam παρα-
κυπ-

κύπτειν inq; ea παραμένειν? 81. 82
Qvo ſenſu non ſit auditor obliviosus, ſed factor Operis, qvi in lege perfecta libertatis permanet? 83
Qvâ veritate non auditor Obliviosus, ſed factor Operis dicatur ἐν τῇ ποιήσει αὐτοῦ μακάριος? 84
Doctrinæ 85
Paræneſis IV. De verà & falsâ Θρησκεία ſeu religioſitate v. 26. 27.
v.26 Qvæ ſit Orationis hujus cum præcedaneâ connexio? 85
Qvid nomine Θρησκείας ſignificetut? 85
Quid ſit χαλιναγωγεῖν γλῶσσαν? 86
Cur ad religioſum Dei cultum Apoſtolus potiſſimum reqvirat moderamen linguæ? 86
Qvo ſenſu ſuum cor ſeducant, qvi linguam non refrenant? 86
Doctrinæ 86
Qvis ſit Orationis præcedentis & præſentis nexus? 87 v.27
Qvò alludat Apoſtolus, quandò dicit & docet, qvod Religio pura & impolluta ſit, viſitare viduas & pupillos? 87
Cur Apoſtolus diſertè dicat, qvod cura viduarum & Orphanorum ſit pura & impolluta Religio apud Deum & Patrem? 87
Qvid ſit ἐπισκέπτεσθαι ὀρφανοὺς καὶ χήρας? & cur ab horum cura puritas Religionis præcipuè commendetur? Et an meritum Operum hinc adſtrui poſſit? 88
Qvid ſit, ſeipſum à mundo ſervate ἄσπιλον? 89
Doctrinæ 89

CAPUT SECUNDUM.

ARgumentum & partitio Capitis. 90
Paræneſis V. de vitandâ homini religioſo προσωποληψία, id eſt, illâ injuſtitiæ ſpecie, quâ homines non ex meritis, ſed ex rebus adventitiis, puta divitiis, ortu nobiliore, & ejus generis aliis æſtimantur, à verſu I. usq; ad verſum 13. 90
v.1. Qvæ ſit Orationis hujus, cum iis, qvæ proximo capite præceſsère, cohærentia? 91
Qvid ſit προσωποληψία, & cur Apoſtolus numero multitudinis dicat ἐν προσωποληψίαις? 91
Qvid appellatione fidei Domini noſtri Jeſu Chriſti gloriæ hic intelligatur? 92
Qvo ſenſu jubeat Apoſtolus, ne habeamus in perſonarum acceptationibus fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti glorioſi? 93
Doctrinæ 93
Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus? 94 v. 2.
Qvid nomine συναγωγῆς ſignificetur? 94
Qvis ſit ἀνὴρ χρυσοδακτύλιος? 95
Qvid intelligatur per ἐσθῆτα λαμπρὰν? 95
Qvis ſit πτωχὸς ἐν ἐσθῆτι ῥυπαρᾷ? 95
Doctrinæ 96
Qvid ſit hunc reſpicere, qui ſplendidam geſtat veſtem? 96 v. 3.
Qvò reſpiciat Apoſtolus qvando caſtigat improbam conſvetudinem, qvâ ditioribus honoratior ſedes, pauperi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

bus vero depreſſior & abjectior locus aſſignatur? 99
Qvid ſit ſedere καλῶς? 97
Qvid ſibi velit hoc ad pauperes alloqvium, ſta illic, aut ſede hic ſubter ſcabellum pedum meorum? 97
Doctrinæ 97
v. 4. Qvis ſit nexus Orationis? 98
Qvid ſibi velint verba, καὶ οὐ διεκρίθητε ἐν ἑαυτοῖς? 98
Qvis ſit verborum horum genuinus ſenſus: καὶ ἐγένεσθε κριταὶ διαλογισμῶν πονηρῶν 99
Doctrinæ 99
v. 5. Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohærentia? & quis hujus verſus genuinus ſenſus? 100
Qvo ſenſu dicat Apoſtolus: Deum elegiſſe pauperes mundi? Omnesnè pauperes ad vitam æternam electi, & divites ex adverſo omnes, æternum rejecti? 100
An ex his D. Jacobi verbis, θεὸς ἐξελέξατο πλουσίους πίστει: certo colligant & concludant Lutherani: non alios Eligi ad vitam æternam, qvam qvos Deus prævidit credituros? 101
An Dei Spiritus; qvando hos ad vitam æternam electos eſſe docet, qvi ſunt divites fide; ὀλιγοπίστους ab hac Electione excludat? 101
Cur D. Jacobus non contentus dixiſſe; pauperes, qvi ſunt divites fide, electos eſſe à Deo; ſed & addat, hæredes eſſe regni? 102
Cur regnum Cœleſte promittatur diligentibus Deum? Indenè aliqvod dilectionis meritum exſculpi poterit? 102
Doctrinæ 102
v. 6. Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus? 102
Qvid ſibi velint verba: Nonne divites per patientiam opprimunt vos & trahunt vos ad tribunalia? 103
Doctrinæ 103
Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohærentia? 104
Qvid ſit βλασφημεῖν τὸ καλὸν ὄνομα? 104
Qvodnam ſit illud nomen, qvod ſuper Chriſtianos invocatum memorat Apoſtolus? & qvis ſit locutionis hujus ſenſus? 104
Doctrinæ 105 v. 8.
Qvis ſit orationis Apoſtolicæ nexus? v. 6. 105
Cur lex de diligendo proximo vocetur νόμος βασιλικός? 106
Qvid ſibi velit lex: Diliges proximum ſicut teipſum: & qvomodo inſtituto Apoſtoli firmando ſerviat? 106
An homo par ſit legi implendæ, eò qvod Apoſtolus dicat, eos rectè facere, qvi legem præſtant & perficiunt? 106
Qvæ ſit illa lex, à qvâ hominem redargui dicit Apoſtolus? 107
Doctrinæ 107
Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus? v. 10. 107
An aſſerat hic D. Jacobus, legem à qvoqvam ſervari poſſe totam? 107
Qvo ſenſu transgreſſor unius præcepti ſit reus omnium? 107. 108
Anne paritas peccatorum ex hac Jacobi aſſertione neceſſariò ſeqvatur? 108
An ex hoc Jacobi loco rectè colligant Pontificii, non omnia peccata eſſe mortalia? 108. 109
Doctrinæ 109. 110
Qvis ſit nexus Orationis Apoſtolicæ? v. 11. & qvi genuinus adducti verſus ſenſus? 110

Qvo

Qvos hac ſua monitione Apoſtolus inprimis caſtiget & d epectat? 110
An Exempla, adducta ab Apoſtolo de μοιχεία, de homicidio, evincant non velle Apoſtolum, qvod qvævis peccata efficiant hominē verè & perfectè prævaricatorē legis, ſed gravia tantum & enormia peccata vulgò mortalia dicta? 110
Doctrinæ 111
Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohærentia? 111 v.12
Qvid nomine legis libertatis hic veniat intelligendum? 111
Qvis ſit verborum à D. Jacobo adductorum ſenſus? & qvomodo qvæ hic dicuntur προσωποληψίαν oppugnent? 111
Doctrinæ 112
v.13 Qvis ſit Orationis nexus? 112
Qvæ ſit κρίσις ἀνίλεως? & qvo ſenſu dicat Apoſtolus qvod κρίσις ἀνίλεως exſpectanda ſit τῷ μὴ ποιήσαντι ἔλεος? 113
Qvid ſit κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως? 113
Doctrinæ 114
Paræneſis VI. Qva fides operibus vacua, non vera & viva, ſed vana & mortua fides eſſe demonſtratur, à v. 14. usq; ad finem Capitis.
v.14 Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus? 115
Qvid inprimis permoverit Apoſtolum ut diſſertationem adeò prolixam de fide, Operibus vacua, inſtitueret? 115. ſeq.
Qvid nomine fidei hic intelligatur, qvæ ab Operibus abjuncta neqvit hominem ſalvare? 117
An ex hoc D. Jacobi loco, diſtinctio Pontificiorum in fidem informem & formatam certo colligatur? 118
Qvo ſenſu & qvâ veritate dicat D. Jacobus de fide operibus vacuâ, μὴ δύναται ἡ πίστις σῶσαι αὐτόν: num poteſt illa fides ſalvare ipſum? 119
Doctrinæ 120
Qvis ſit nexus & cohærentia Orationis Apoſtolicæ, & qvi adductorum verſuum ad inſtitutum Apoſtoli accommodatorum genuinus ſenſus? 120 v.15 v.16 v.17
Qvid nomine fratris & ſororis hic intelligatur? 121
Qvi cenſendi ſint eſſe nudi? 121
Qvid per ἐφήμερον τροφὴν hic intelligatur? 122
Qvid ſibi velit locutio, ὑπάγετε ἐν εἰρήνῃ? 122
Qvid intelligatur hoc voto: θερμαίνεσθε, χορτάζεσθε? 122
Qva veritate dicatur, qvod blanda verba, qvibus afflictiores compellantur non ſint uſui, ſi τὰ ἐπιτήδεια τοῦ σώματος non dentur? 123
Qvid ſit fidem operibus vacuam, καθ' ἑαυτὴν νεκρὰν εἶναι? 123
Doctrinæ 124
Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohærentia! 125 v.18
Qvo ſenſu dicat Apoſtolus: tu habes fidem? 125
Qvid ſibi velint verba: Et Ego opera habeo? 126
Qvid ſit fidem ex operibus oſtendere?
Qvomodo explicanda ſint verba: Oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis & Ego oſtendam tibi ex operibus meis fidem meam? & qvid de variante hic lectione ſtatuere conveniat? 126
An Opera veram fidem certò demonſtrent, ita ut qvicunq; exteriùs ſtudioſus eſt bonorum operum, verâ fide indubiè prædītus ſit? 127
Doctrinæ 127

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

v.19 Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus 128
Qvid ſit credere Deum eſſe unum? 128
Qvid ſibi velint verba; καλῶς ποιεῖς: qvibus commendatur ejus hominis fides, qvi credit Deum eſſe unum? 128
Qvæ & qvalis ſit Dœmonum fides? 129
An ex hac collatione fidei hominis non habentis opera, & fidei Dœmonum certò colligatur, non eſſe D. Jacobo ſermonem de vera fide, qvalem Paulus, agens de juſtificatione Rom 3. deſcripſit? 130
v.20 Doctrinæ 131
Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus? 132
Qvid per κένον ἄνθρωπον hic intelligatur? 132
Impingatnè Apoſtolus in monitum Chriſti, jubentis ne dicamus fratri noſtro ῥακά Matth 5. v. 22? 132
Qvo ſenſu fides dicatur ſine operibus mortua? 132
Doctrinæ 132
v.21 Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus? 133
Qvo ſenſu Abraham vocetur eorum, ad qvos D. Jacobus ſcribit, pater? 133
Qvâ veritate & qvo ſenſu Abraham ex operibus dicatur eſſe juſtificatus? 133
An hæc controverſia, de juſtificatione ex operibus, tanti ſit momenti, ut qvi hic errat, fundamentum religionis chriſtianæ periculoſiſſimè non tam labefactet, qvam evertat? 140. ſeq.
Qva veritate dicatur Abraham⁹ obtuliſſe Iſaacum in ſacrificium? 144
Cur hæc Abrahami in offerendo filio Iſaaco promptitudo tantoperè commendetur à Dei Spiritu? 144
Doctrinæ 145
Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus? v.22
145
Qvo ſenſu dicat Apoſtolus: ἡ πίστις συνέργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ? 145
An inde, qvod Jacobæa aſſertio ſit, fidem coöperari Operibus, rectè concludatur, Apoſtolum per juſtificationem hoc in loco non intelligere declarationem, ſed incrementum juſtitiæ? 146
Qvid ſit fidem ex operibus conſummari? 146. ſeq.
Doctrinæ 148
Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohærentia? v.23
148
Qvo ſenſu, qva veritate dicatur, impleram eſſe ſcripturam hanc: Credidit Abraham Deo & imputatum eſt ipſi in juſtitiam, filio Iſaaco in ſacrificium oblato? 148. ſeq.
Qvis ſit genuimus ſenſus verborum è Moſe adductorum: Credidit Abraham Deo & imputatum eſt ei in juſtitiam? 151
Ubi locorum in ſcriptura Abrahamus vocetur Dei amicus? & an ex honorario hocce elogio juſtificatio ex operibus certò adſtrui poſſit? 151. ſeq.
Doctrinæ 152
Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohærentia? v.24
153
An è particulari Abrahami Exemplo D. Jacobus univerſalem theſin ſat tutò & certò ſtatuat? 153
Adverſiſnè frontibus pugnent Paulus & Jacobus, doctrinam juſtificationis traditur, & eandem exemplo Abrahami adſtructuri? 153. ſeq
Doctrinæ 156
Qvis ſit nexus Orationis Apoſtolicæ, v.25
& qvi verborum adductorum verus ſenſus? 156
Qvo ſenſu Rahab ab Apoſtolo vocetur πόρνη? 156

Qvo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Qvo ſenſu Rahab ex operibus memoretur juſtificata? 157
Qvæ ſint illuſtria illa facta à qvibus hîc commendatur Rahab? 158
An Rahab verè fidelis fuerit, anteqvam exploratores hoſpitio exciperet? & unde hæc generata fides? 158
An Rahab hac hoſpitalitate vitam æternam promeruerit? 158
v. 26 Doctrinæ 159
Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohærentia? 159
Qxid nomine πνεύματος hîc intelligatur? & qvi verborum horum: Corpus χωρὶς πνεύματος mortuum eſt; verus ſenſus ſit? 159
Qvid nomine fidei, qvæ absq; operibus dicitur mortua, intelligatur? 159. ſeq.
An ex hac Apoſtoli Jacobi ſimilitudine adſtrui poſſit Pontificiâ diſtinctio inter fidem informem & formatam? 160
Doctrinæ 160

CAPUT TERTIUM.

Argumentum & partitio Capitis 161. ſeq.
Paræneſis VII. De cavendâ iniqvâ & intempeſtivâ cenſurâ, & licentioſo in alios animadvertendi magiſterio, à v. 1. usq; ad finem Capitis.
v. 1. Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohærentia? 162
Qvis ſit horum verborum ſenſus: μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γένεσθε? 163. ſeq.
Qvid ſibi velint verba: εἴδοντες ὅτι μεῖζον κρίμα ληψόμεθα? 164
Doctrinæ 164
Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohærentia? 165
Qvis ſit horum verborum: πολλὰ γὰρ πταίομεν ἅπαντες; genuinus ſenſus? ibid.
Annon venialia hîc notentur peccata & leviora? 165
An ullus ſit homo, qvi ſine omni peccato vitam ſuam unqvam trâsegerit? aut ſaltim fieri poſſit ut qvisqvam ſingulari Dei auxilio adjutus, ſine omni labe eſſe qveat? 165
Qvomodo ad inſtitutum Apoſtoli faciant hæc verba: Si qvis in ſermone non labitur, hic perfectus vir eſt? & qvâ veritate perfectus dicatur qvi didicit frenare lingvam? & qvæ ſit propria verbi χαλιναγωγεῖν ſignificatio? 166
An præſens D. Jacobi locus ſerviat perfectioni hominis adſtruendæ? 167
Doctrinæ 167
Qvis ſit & orationis Apoſtolicæ nexus, & adductorum verborum ſenſus? 167 v. 3.
Doctrinæ 168
Qvæ ſit præſentis orationis cum præcedaneâ connexio? qvi ſenſus? 168 v. 4.
Qvid ſit lingvam μεγαλαυχεῖν? v. 5.
Qvomodò faciant ad inſtitutum Apoſtoli hæc verba: Ecce, ignis exiguus, qvantam materiam incendit? & qvi verborum adductorum ſenſus genuinus? 169
Doctrinæ 170
Qvis ſit orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus? 170 v. 6.
Qvid ſignificet ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας? & qvo hîc adhibeatur ſenſu? 170
Qvid ſibi velint verba: Si lingua conſtituitur in membris noſtris, maculans totum corpus? 171

Qvid intelligatur hic per τρόχον
γεννέσεως? & qvo ſenſu lingua
eum dicatur accendere? 172
Qvid ſit linguam inflammari à ge-
henna ignis? 172
Doctrinæ 172
v. 7. Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohæ-
rentia? qvi verborum genuinus ſen-
ſus? 173
Qvâ veritate dicatur, φύσιν θηρί-
ων, πετεινῶν, ἑρπετῶν, ἐναλίων
domari & domitam eſſe? 173
Doctrinæ. 174
v. 8. Cur lingua humana neqveat domari.
feræ autem, ſerpentes, volucres, piſ-
ces domari poſſint? 174
Qva veritate lingua dicatur κακὸν
ἀκατάσχετον? 174. ſeq.
Qvid ſibi velint verba: lingua μεστὴ
ἰȣ̃ θανατοφόρȣ? 176
Doctrinæ. 176
v. 9. Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ συνέ-
πεια? qvi ſenſus & ſententia? 176
An ex hac D. Jacobi aſſertione certò
colligatur, imaginem & ſimilitudi-
nem Dei per lapſum primorum Pa-
rentum non eſſe amiſſam? 177
Doctrinæ, 177. ſeq.
v. 10. Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ & ne-
v. 11. xus & ſenſus? 178
v. 12. Qvâ veritate dicat Apoſtolus, qvod
idem fons non fundere poſſit aqvam
dulcem & amaram, & qvod arbores
non poſſint ferre diverſæ ſpeciei fru-
ctus? 179
An verè dicat Apoſtolus fieri non poſ-
ſe, ut qvis eâdem lingvâ & Deum ce-
lebret & proximum ſugillet? 179
Doctrinæ. 180
v. 13 Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ & ne-
xus & ſenſus? 180
Doctrinæ. 181
Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ ne- v. 14
xus & ſenſus? 181
Qvid ſibi velint verba: Ne glorie-
mini inſolentiùs & mentiamini ad-
verſus veritatem? 182
Doctrinæ. 182
Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohæ- v. 15
rentia? 183
Qvid ſit σοφία ἄνωθεν κατερχο-
μένη? 183
Qvo ſenſu, contentioſorum iſtorum
hominum & intempeſtivorum cen-
ſorum ſapientia ab Apoſtolo appelle-
tur Sapientia ἐπίγειος? 183
Qvid veniat intelligendum locutione
σοφίας ψυχικῆς? 184
Qvâ de causâ importunorum iſtorum
cenſorum ſapientia vocetur σοφία
δαιμονιώδης? 184
An Lutheri doctrina fuerit δαιμο-
νιώδης? 184
Doctrinæ. 185
Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus
& ſenſus? 185 v. 16.
An ex hoc loco verè colligat Juſtinia-
nus, Cornelius à Lapide, doctrinam
Lutheri non eſſe cœleſtem doctrinam,
ut quæ omne vitii genus terris incum-
bere fecerit? 186
Doctrinæ. 186
Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohæ- v. 17.
rentia, qvis ſenſus & ſententia?
186. ſeq.
Doctrinæ. 188
Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus v. 18.
& ſenſus? 189
Doctrinæ. 189

CA-

CAPUT QUARTUM.

Argumentum & Analyſis Capitis 189

Parænesis IIX. De cohibendis Carnalibus Concupiſcentiis v. 1. quarum tum Effecta pernicioſa traduntur à v. 1. usq; ad v. 7. tum remedia præſcribuntur à v. 7. usq; ad finem Capitis.

v. 1. Qvæ ſit hujus verſus, & doctrinæ, qvæ proximo Capite expedita fuit, cohærentia? 190

Qvid nomine πολέμων & μαχῶν hic ſignificetur? 190

An Apoſtoli verba his patrocinentur, qvi negant licere aut arma unqvam ſumere, aut in foro cauſam ſuam coram judice legitimè tueri, aut juſtam ſui defenſionem ſuſcipere? Et an Lutherus hoc unqvam docuerit? 191

Qvid nomine ἡδονῶν ςρατευομένων ἐν τοῖς μέλεσιν, qvæ ſunt bellorum, pugnarum, contentionum cauſæ, veniat intelligendum? 191

Doctrinæ. 192

v. 2. Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus, & horum verborum: ἐπιθυμεῖτε, καὶ οὐκ ἔχετε: φθονεῖτε καὶ ζηλοῦτε, καὶ οὐ δύνασθε ἐπιτυχεῖν: ſenſus? 192

Qvid ſibi velint verba; μάχεσθε καὶ πολεμεῖτε καὶ οὐκ ἔχετε δὲ, διὰ τὸ μὴ αἰτεῖσθαι ὑμᾶς? 193

Doctrinæ. 193

v. 3. Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus? 194

Qvinam cenſendi ſint κακῶς αἰτεῖσθαι? 194

Qvid ſit petere ut in voluptates inſumamus? 194

Doctrinæ. 194

v. 4. Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus? 195

Qvi cenſendi ſint μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες? 195

Qvid ſibi velint verba: An neſcitis ὅτι ἡ φιλία τοῦ κόσμου, ἔχθρα τοῦ Θεοῦ ἐστιν? 195. ſeq.

Doctrinæ. 195

Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohærentia, qvi ſenſus? 197 v. 5.

Ad qvod ſcripturæ dictum Apoſtolus hic digitum intendat? 197

Qvid ſibi velint verba: πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα ὃ κατῴκησεν ἐν ὑμῖν? 197. ſeq.

An è præſenti loco verè colligere liceat, autorem Epiſtolæ ſcriptoribus θεοπνεύςοις & indubitatæ fidei præter meritum annumerari? 199

Doctrinæ. 199

Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus? qvi ſenſus? 199 v. 6.

Qvæ ſit illa, ad qvam Apoſtolus hic reſpicit, ſcriptura? 200

Qvid ſibi velint verba, qvæ Apoſtolus è Salomonis proverbiis adduxit? 200

Doctrinæ. 200

Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus? 200 v. 7.

Qvid ſit ὑποτάγητε τῷ Θεῷ? 201

Qvid faciendum ſit nobis, ut ita reſiſtamus Diabolo ut fugiat à nobis? 201

An Diabolus, ſemel victus & fugatus, pugnam non redintegret? & an, qvando ipſi reſiſtitur, ſemper fugiat? 201

Doctrinæ. 201

Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus? & qvi verborum: appropinqvate Deo & appropinqvabit vobis: ſenſus? 202 v. 8.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Qvid ſibi velit monitio: καθαρίσατε χεῖρας ἁμαρτωλοί? 202
Qvid intendat Apoſtolus his verbis: Ἁγνίσατε καρδίας δίψυχοι? 203
Doctrinæ. 203
v:9. Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohærentia? qvis ſenſus? 203
Qvid indicetur verbo ταλαιπωρήσατε? 204
Cur cum ταλαιπωρία jungat Apoſtolus verba: πενθήσατε, κλαύσατε? 204
Qvid ſit verborum ſenſus. ὁ γέλως ὑμῶν εἰς πένθος μεταστραφήτω, καὶ ἡ χαρὰ εἰς κατήφειαν? 204
Doctrinæ. 205
v.10 Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus, qvi ſenſus? 205
Doctrinæ. 205
v.11 Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus? 206
Qvid ſibi velint verba: ὁ καταλαλῶν ἀδελφοῦ καταλαλεῖ νόμου etc? 206
Doctrinæ. 207
v.12 Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus? 207
Qvâ veritate dicatur: Unum eſſe legiſlatorem, qvi poteſt perdere & ſalvare? 207
An impugnetur hac aſſertione Apoſtolicâ poteſtas illa ſuprema Pontificis Romani in decidendis & definiendis Religionis Chriſtianæ Cap. & controverſiis? 208
Qvid ſibi velint verba: tu autem qvis es, qvæ judicas alienum ſervum? 208
Doctrinæ. 208
Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ & nexus & ſenſus? 209 v.13
An mercatorum tantùm confidentia, an vero aliorum etiam præſumptio hîc reprehendatur, qvi craſtinum ſibi audent polliceri? 209
An Dei Spiritus omne lucrum damnet? 209
Doctrinæ. 209
Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohærentia, qvi ſenſus? & an omnes de futuro Conſultationes damnentur? 210 v.14
Cur vita humana dicatur ἀτμὶς? 210
Doctrinæ. 230
Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus? 211 v.15
An neceſſariò reqviratur, ut conditiones hîc adductas in conſiliis & conatibus noſtris diſertè ſemper & planis verbis exprimamus? 211
An diſtinctio Calviniana in voluntatem Dei abſconditam & revelatam, ex hoc D. Iacobi loco adſtrui poſſit? 211
Doctrinæ. 212
Qvis ſit nexus & ſenſus Orationis Apoſtolicæ? 213 v.16
Doctrinæ. 213
Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus? 214 v.17
Doctrinæ 214

CAPUT QUINTUM.

Argumentum & partitio Capitis. 214
Paræneſis IX. De Miſeriâ Divitum v. 1 tum avarorum v. 2. 3. tum impoſtorum, defraudantium mercede Operariosv. 4. tum Epulonum v. 5. tum expilatorum. v. 6.
Qvis ſit nexus Orationis Apoſtolicæ & ſenſus? 215 v. 1.
Cur Apoſtolus ita minetur divitibus, cum

eum non pauci ſint inter divites, qvi verè pii & probi ſint ? 216
An Apoſtolus hac Oratione iniqvos divites ad reſipiſcentiam invitet, an terrëat tantum absq; ſpe veniæ? 216
Doctrinæ. 216
v. 2. Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohærentia ? qvi ſenſus verborum adductorum ? 216
Doctrinæ. 217
v. 3, Qvis ſit nexus Orationis, qvis ſenſus? 217
Doctrinæ. 218
v. 4. Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus ? 218
Doctrinæ. 219
v. 5. Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ tum cohærentia, tum ſententia ? 220
Doctrinæ. 221
v. 6. Qvis ſit & nexus & ſenſus Apoſtolicæ Orationis? 221
Doctrinæ. 222
Parænesis X. De injuriis æqvo animo ferendis à v. 7. usq; ad 12. verſum.
v. 7. Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohæ-
v. 8. rentia ? qvi ſenſus & ſententia ? 222 ſeq.
Doctrinæ. 224
v. 9. Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ ut nexus, ita ſenſus ? 224
Qvid verbo ϛενάζετε, qvo hic utitur Apoſtolus, ſignificetur? 224
Qvid ſibi velint verba: ἰδὲ, κριτὴς πρὸ τῶν θυρῶν ἕϛηκεν? 225
Doctrinæ. 225
v. 10 Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus ? 225
Qvâ in re Prophetæ proponantur nobis εἰς ὑπόδειγμα ſeu exemplar ? 226
Qvid ſit Prophetas loqvutos fuiſſe in nomine Domini ? & qvid faciat hoc Prophetarum elogium ad Apoſtoli inſtitutum? 226
Doctrinæ. 226
Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ & nexus & ſenſus ? 227 v. 11
Cur Apoſtolus Deum hic vocet πολύσπλαγχνον καὶ οἰκτήρμονα? 227
Doctrina. 228
Parænesis XI. De non temerè jurando v. 12 v. 12
Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus? 228
Qvid impulerit D. Jacobum ut juramenta temeraria adeò ſeriò caſtigaret ? 228
Qvid ſibi velit Apoſtolus hac locutione. Πρὸ πάντων μὴ ὀμνύετε? 229
An Jacobus hac ſua monitione, omne penitus juramentum velit ſublatum, ita ut non liceat ulla de cauſa jurare ? 229
An hoc præcepto adaucta ſit lex Moſaica ? 230
An juramenta per Creaturas vel permiſſa fuerint in V. T. vel licita eſſe poſſint ſub N. ? 203
An inde tuto colligatur, honorem religioſum deberi creaturis, qvia per creaturas jurare non licet ? 203
Qvid ſibi velint verba: ſermo veſter erit Ναὶ Ναὶ καὶ ȣ̓ ȣ̓? 231
Cur Apoſtolus doctrinam de juramento his concludat verbis; ἵνα μη ὑπὸ κρίσιν πέσητε? 231
Parænesis XII. Qvomodo nos geramus, ſive affligamur, ſive valeamus & lætemur, ſive ægrotemus à v. 13. usq; ad 19. v.
Qvis ſit nexus Orationis Apoſtolicæ ? v. 13
qvi ſenſus & ſcopus ? 232
Qvid faciendum ſit homini pio in afflictiore rerum ſtatu ? 232
Qvid faciendum ſit lætiore rerum ſtatu ? 233
Doctrinæ. 233

24. v Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus? 234
Qvid velit admonitio Apoſtoli de advocandis presbyteris? 234
Qvid præſtandum ſit presbyteris, advocatis ab his, qvi ſunt infirmi? 235
Qvid imperetur verbis, de ægrotis oleo ungendis in nomine Domini? 235
Doctrinæ. 239
v. 15 Qvæ ſit Orationis Apoſtolicæ cohærentia, qvi ſenſus? 236
Qvis ſit prior effectus Orationis fidei? 237
Qvis ſit alter Effectus Orationis fidei? 237
An alienæ fidei Oratio remiſſionem peccatorum impetrare poſſit ægroto? 238
Doctrinæ. 238
v. 16 Qvis ſit Apoſtolicæ Orationis nexus? 238
Qvæ & qvalis hic intelligatur Confeſſio? ibid.
Qvid ſibi velint verba: εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων, ὅπως ἰαθῆτε. Πολὺ ἰσχύει δέησις δικαίου ἐνεργουμένη? 239
Doctrinæ. 240
v. 17 Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus & ſenſus? 240
Cur Apoſtolus, adſtructurus exemplo Eliæ precum efficaciam, Eliam appellet ὁμοιοπαθῆ? 241
Adverſeturne D. Jacobus ſcriptori divino, qvi adornavit libros Regum, è qvibus hæc de Elia hiſtoria petita eſt? 241
Doctrinæ, 241
Paræneſis XII. & ultima: De fratribus à veritate aberrantibus, in rectam & regiam viam reducendis v. 19, 20 v. 19
Qvis ſit Orarionis Apoſtolicæ & nexus & ſenſus? 242
Qvi cenſendi πλανᾶν ἀπὸ τῆς ἀληθείας? 242
Qvid ſit hominem à veritate aberratem ἐπιστρέφειν? 242 v. 20
Doctrinæ. 242
Qvis ſit Orationis Apoſtolicæ nexus? 243
Qvis ſit prior fructus, qvi promanat è labore, qvi impenditur Converſioni fratris? 243
Qvis ſit poſterior fructus laboris, qvi fratris converſioni inſumitur? 243
Ad qvod ſcripturæ dictum alludat Apoſtolus his verbis: Operiet peccatorum multitudinem? & qvo ſenſu, qvi animam convertit & ſalvat, multitudinem peccatorum operiat? 243
Doctrinæ. 244

Indicis Commentarij in Epiſtolam D. Jacobi
FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

75.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 95 4° (1,-237)